Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/compendiumphilos0000vari

COMPENDIUM
PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE

COMPENDIUM

PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE

AUCTORE

JOANNE JOSEPHO URRÁBURU

E SOCIETATE JESU

VOLUMEN QUARTUM

PHILOSOPHIA NATURALIS

PSYCHOLOGIA

EDITIO ALTERA AUCTA ET ANNOTATA
A JOSEPHO MARIA IBERO, EIUSDEM SOCIETATIS

BIBL. TH.
P. R.

ALMA COLLEGE
150.2
LIBRARY
Ur 7
Alma, California

MADRID
«Razón y Fe».—Plaza de Santo Domingo, 14, bajo
Apartado de Correos 8.001.—Teléfono 32-10.
1924

22914

IMPRIMI POTEST:
EMMANUEL SÁNCHEZ ROBLES, S. J.
Praep. Prov. Tolet.

NIHIL OBSTAT:
E. UGARTE DE ERCILLA, S. J.
Cens. eccles.

Madrid, 19 de Noviembre de 1924.
IMPRÍMASE
DR. J. FRANCISCO MORÁN,
T. Vic. Gen.

«EDITORIAL IBERICA».—Alburquerque, 12, Madrid.—Teléfono 493-J

INDEX

Disputationum capitum et articulorum.

PSYCHOLOGIA

PROEMIUM 1-5

LIBER I

DE PSYCHOLOGIA ANIMALI

CAPUT I

De potentiis operationibusque vegetativis animalium.

Art. I.—Generalis quaedam animalium descriptio......... 10
Art. II.—De quibusdam affectionibus vitae vegetaitvae in animantibus.................................. 10-12

CAPUT II

De sensatione atque operationibus cognoscitivis animalium.

Art. I.—Utrum bruta animantia sint mera automata, an vero sentiendi facultate polleant.................. 13-17
Art. II.—Utrum bruta tum externis tum internis gaudeant sensibus.... 17-20
Art. III.—Utrum bruta gaudeant intelligentia............. 21-26
Art. IV.—De animalium instinctu........................ 27-29
Art. V.—De animalium appetitu et potentia locomotiva... 29-39

CAPUT III

De natura brutorum animantium.

Art. I.—In quo reponenda sit specifica differentia naturae animalis 39-40
Art. II.—Qualis sit anima brutorum animantium.......... 40-43

Pags.

LIBER II

PSYCHOLOGIA HUMANA

DISPUTATIO PRIMA

DE ACTIBUS PSYCHOLOGICIS GENERATIM INSPECTIS DEQUE MEDIO EOS ATTINGENDI

CAPUT I

De natura cognitionis.

Art. I.—Utrum cognitio in creatis sit accidens subjecti cognoscentis.................................. 45-52
Art. II.—Utrum cognitiot sit objecti similitudo intentionalis. 52-58
Art. III.—Corollaria et axiomata ex praecedenti doctrina collecta.................................... 58-62
Art. IV.—Generales quaedam cognitionis divisiones....... 62-68

CAPUT II

De appetitu generatim.

Art. unicus.—Notio appetitus exponitur................. 68-70

CAPUT III

De conscientia ut medio quo comparatur scientia psychologica.

Art. unicus.—Quid conscientia et quotuplex.............. 70-73

DISPUTATIO SECUNDA

DE SENSATIONE

CAPUT I

De sensatione externa.

Art. I—Sensationum descriptio.......................... 73-80

Pags.

Art. II.—Quod sit sensuum objectum.................... 81-87
Art. III.—Utrum sensus sit potentia pure materialis cujus actus solis materiae motibus absolvatur........ 87-91
Art. IV.—De relatione inter excitationem et sensationem.. 91-94
Art. V.—Utrum sensus sit potentia cujus actus per organum exerceatur 94-98
Art. VI.—Quale sit organum sentiendi.................. 98-99
Art. VII.—De energia specifica sensuum................ 99-100

CAPUT II

De sensibus internis.

Art. I.—Probatur existentia speciei impresae quoad sensus internos 101-102
Art. II.—De sensu communi.............................. 102-107
Art. III.—De imaginatione ac phantasia................. 107-110
Art. IV.—De aestimativa et cogitativa.................. 110-113
Art. V.—De memoria et reminiscentia.................... 113-115
Art. VI.—Utrum sensus interni re, an vero sola ratione distinguantur.................................. 115
Art. VII.—De proprii corporis perceptione ubi de sensu quem vocant fundamentalem................. 115-118
Art. VIII.—De dolore ac voluptate...................... 118-120
Art. IX.—Utrum sensus judicare ac reflectere in suum actum valeant................................ 120-124

DISPUTATIO TERTIA

ASSERITUR HOMINI EXISTENTIA POTENTIARUM INTELLECTUALIUM

CAPUT I

Demonstratur existentia intellectus in homine.

Art. unicus.—Utrum detur in homine facultas sensibus praestantior quae intellectus nominatur............ 125-128

CAPUT II

De termino cognitionis seu Verbo.

Art. I.—Utrum in omni cognitione terminus aliquis immanens vel verbum producatur 130-134
Art. II.—Utrum verbum sit medium quod vel in quo cognoscendi 135-141
Art. III.—Utrum verbum distinguatur a formali intellectione et quomodo producatur.................. 141-148

Pags.

CAPUT III

De actibus intellectus.

Art. I.—De triplici mentis operatione 149 159
Art. II.—De memoria intellectiva et de conscientia....... 159 163

CAPUT IV

Utrum intellectus sit facultas inorganica vel immaterialis aut spiritualis.

Art. I.—Maetrialistarum argumenta exploduntur.......... 165-171
Art. II.—Statuitur spiritualitas intellectus 171-177
Art. III.—Quanta sit intellectus humani a sensu dependentia in hac vita et quaenam illius radix.......... 177-182

DISPUTATIO QUARTA

CAPUT I

De requisitis ad cognitionem ex parte principii efficientis.

Art. I.—Utrum potentia cognoscitiva sit principium adaequatum cognitionis, an vero requirat concursum ipsius objecti sive per se inmediate sive media specie 183-191
Art. II.—Solvuntur difficultates........................ 191-197
Art. III.—Utrum potentia vel virtus formaliter cognoscitiva sit passiva an activa......................... 197-199
Art. IV.—Quid et qualis sit species impressa............. 199 204
Art. V.—Causa efficiens intelligibilium specierum........ 205-216
Art. VI.—Natura et munera intellectus agentis magis declarantur................................. 216-220

CAPUT II

De objecto intellectus.

Art. I.—Quodnam sit objectum adaequatum vel terminativum intellectus................................ 221 222
Art. II.—Quomodo cognoscat intellectus noster substantias spirituales................................ 223-230
Art. III.—An et quo pacto intellectus noster in hac vita cognoscat substantiam et quidditatem rei materialis ac sensibilis............................ 230 232

Pags.

Art. IV.—Utrum substantia prius accidentibus cognoscatur et per quam speciem........................ 232-236
Art. V.—Quodnam sit objectum proprium et proportionatum intellectus nostri in hac vita.............. 237-240
Art. VI.—Quo pacto singularia in hac vita cognoscat noster intellectus.............................. 240-246
Art. VII.—De cognitione quorumdam aliorum objectorum. 246-248

CAPUT III

De origine et evolutione idearum in humano intellectu.

Art. I.—Systemata empirica.............................. 249-252
Art. II.—Systemata idearum innatarum.................. 252-257
Art. III.—Rationalismus transcendentalis............... 257-260
Art. IV.—De traditionalismus.......................... 260-265
Art. V.—De Ontologismo............................... 265-274
Art. VI.—Systema aristotelico-scholasticum de origine idearum.................................... 274-278

DISPUTATIO QUINTA

DE UTROQUE HOMINIS APPETITU ELICITO.

CAPUT I

Objectum generatim appetitus eliciti.

Art. I.—De objecto adaequato appetitus.................. 279
Art. II.—De necessitate atque influxu cognitionis in appetitionem.................................... 280-282
Art. III.—Utrum cognitio influat instar causae an vero instar conditionis in appetitionem.................. 282-283
Art. IV.—Utrum actus appetendi et volendi sit qualitas absoluta.................................... 284

CAPUT II

De appetitu sensitivo.

Art. I.—Objectum appetitus sensitivi.................... 284-286
Art. II.—Organum appetitus sensitivi.................. 286-287
Art. III.—Quotuplex appetitus sensitivus et ejus actus..... 287-291
Art. IV.—An et quo pacto appetitus sensitivus moveat voluntatem ab eaque vicissim moveatur......... 291-294

Pags.

CAPUT III

De appetitu rationali seu de voluntate.

Art. I.—Quotuplex appetitus tribuendus homini.......... 294-296
Art. II.—An voluntas sit potentia inorganica et quomodo distinguatur ab appetitu sensitivo............ 296-300
Art. III.—De objecto voluntatis.......................... 300-302
Art. IV.—Quali cognitione proponi objectum debeat voluntati.................................. 302-308
Art. V.—De variis actibus voluntatis.................... 309-314
Art. VI.—An et quo pacto voluntas moveatur et moveat alias potentias.................................. 314-319
Art. VII.—Utrum potentia sit perfectior, intellectus an voluntas.................................. 319-321

DISPUTATIO SEXTA

DE LIBERTATE

CAPUT I

Vindicatur libertatis existentia.

Art. I.—Libertatis hostes et vindices..................... 322-327
Art. II.—Notio libertatis declaratur...................... 327-329
Art. III.—Impugnatur determinismus 329-335
Art. VI.—Probatur directe libertatis existentia 335-341
Art. V.—In quibusnam actibus sit homo generatim liber... 341-344

CAPUT II

Natura liberi arbitrii declaratur.

Art. I.—An et quaenam potentia sit liberum arbitrium..... 345-348
Art. II.—Utrum stante judicio indiferenti voluntas cogi a Deo ac necessitatem pati possit.............. 348-351
Art. III.—Utrum liberum arbitrium vel libertas recte definiatur potentia quae positis omnibus ad agendum praerequisitis potest agere et non agere........ 352-355

DISPUTATIO SEPTIMA

DE HABITIBUS

CAPUT I

Asseritur habituum realitas.

Art. I.—Natura habitus declaratur...................... 356-358
Art. II.—Vindicatur habitus existentia.................. 358-359
Art. III.—Quo pacto habitus concurrant ad actum 359-360

Pags.

CAPUT II

De causis habituum.

Art. I.—De causa efficiente habituum.................... 361-364
Art. II.—Subjectum vel causa materialis habitus.......... 364-367
Art. III.—In quo sita sit habitus essentia................. 367-370

CAPUT III

Proprietates habituum.

Art. I.—An et quo pacto habitus sint capaces augmenti.... 370-371
Art. II.—Habituum remissio et corruptio................ 372

DISPUTATIO OCTAVA

DE QUIBUSDAM VITAE PSYCHICAE ACCIDENTIBUS

CAPUT I

De affectionibus cognitionem suspendentibus.

Art. I.—De somno.................................... 373-375
Art. II.—De somnio et sonambulismo.................. 376-380

CAPUT II

De affectionibus cognitionem perturbantibus.

Art. I.—Hallucinatio.................................. 381-382
Art. II.—Delirium et amentia.......................... 383-384

CAPUT III

Psychologia abnormalis.

Art. I.—Debilitas mentalis congenita.—Imbecillitas.—Idiotismus aliaque id genus....................... 384-386
Art. II.—Debilitates psychopathicae..................... 386-388
Art. III.—Perturbationes psychicae quae ex cerebri deorganizatione oriuntur......................... 388-389

Pags.

DISPUTATIO NONA

DE ANIMA HUMANA

CAPUT I

Existentia et realitas animae humanae.

Art. I.—Utrum detur in homine anima 390
Art. II.—Utrum in homine sit una duntaxat anima vel unicum omnis vitae primum principium........... 390-394
Art. III.—Utrum eadem anima rationalis sit in hominibus an vero multiplex pro numero corporum informandorum 394 402

CAPUT II

Natura rationalis animae.

Art. I.—Utrum anima sit substantia simplex atque indivisibilis 403-407
Art. II.—Utrum anima sit substantia spiritualis vel immaterialis. 407-411
Art. III.—Utrum anima humana sit immortalis vel incorruptibilis 411-419
Art. IV.—Utrum anima rationalis sit ejusdem perfectionis specificae ac angelus 419
Art. V.—Utrum omnis anima rationalis sit ejusdem perfectionis substantialis 420-421

CAPUT III

De origine animae humanae.

Art. I.—Rejicitur emanationismus.................... ... 422-423
Art. II.—Rejecto generatianismo vel traducianismo statuitur creatianismus.......................... 423-429
Art. III.—Quo tempore creetur anima et corpori infundatur. 429 432

CAPUT IV

De anima rationali ut est corporis forma.

Art. I.—An et quo pacto anima rationalis sit forma corporis. 433-438
Art. II —De sede animae in humano corpore 438-442
Art. III.—Quae qualisque unio inter animam rationalem et corpus intercedat.......................... 442-452

Pags.

DISPUTATIO DECIMA

CAPUT I

De hypnotismo.

Art. I.—Brevis descriptio hypnotismi.................... 453-456
Art. II.—An phaenomena hypnotica naturalibus causis sint adscribenda................................ 456-464
Art. III.—Utrum hypnotica phaenomena infirmare queant veritatem miraculorum ac donorum supernaturalium.................................. 465-466

CAPUT II

De spiritismo.

Art. unicus.—Brevis descriptio et crisis de spiritismo...... 467-470

DISPUTATIO UNDECIMA

DE ANIMA SEPARATA

CAPUT I

Modus essendi animae separatae.

Art. I.—An et qualem mutationem patiatur anima separata circa suam entitatem......................... 470-471
Art. II.—Utrum status separationis sit animae naturalis an violentus................................ 472 474
Art. III.—An anima separata naturaliter appetat unionem.. 474-475
Art. IV.—Quaenam ex praehabitis accidentibus deferat ex hac vita migrans anima.................... 475-476

CAPUT II

De operationibus animae separatae.

Art. I.—De intellectione animae separatae................ 476 484
Art. II.—De motu locali animae separatae................ 484-486

* * *

PSYCHOLOGIA

SEU

ALTERA PARS PHILOSOPHIAE NATURALIS

PROEMIUM

1. Psychologia vi nominis tractatum de Anima significat: obiectum ergo illius primarium est anima humana, secundarium vero anima belluina. Sed quia animas ipsas in se intueri nobis non licet, earum naturas ex actibus deducere opus est. Medium autem cognoscendi actus est conscientia seu experientia interna.

Psychologia ergo est illa Philosophiae Naturalis pars quae animae humanae et belluinae naturam ex cognitione actuum quorum conscientiam habemus ratiocinio deducit.

Eius obiectum materiale sunt actus quorum conscientiam habemus, videlicet cognitiones el appetitiones, siquidem actus vitales eatenus a nobis cognoscuntur quatenus vel manifestant obiectum vel circa obiectum cognitum versantur. Actus intentionales belluarum methodo analogiae examinantur.

Obiectum vero formale est actus psychicos examinare in ordine ad animae cognitionem.

2. Illico iam patet discrimen inter utramque psychologiam rationalem et experimentalem. Rationalis enim actus considerat non ut finem tractationis sed ut medium per quod in cognitionem animae deveniamus. Ideo in actibus eas tantum circumstantias considerat quae animae naturam detegere valent ceteris relictis ad alias scientias sive paedagogicas sive sociales. Medium adhibet experientiam internam spontaneam.

Psychologia autem experimentalis actus considerat ut finem tractationis ideoque eos considerat in quantum cognosci valent, nihil quod ad cognitionem actuum inservire possit omittendo. Ideo actus provocat, eorum intensitatem, durationem, retardationem, processum, variationem, si fieri possit, mensurat: apparatus adhibet, series interrogationum et quaestionum subiecto experientiae proponit, plura adnotat.

3. Cum circumstantiae quae naturam animae declarant ex habitudine inter actum et obiectum desumptae, semper fuerint in psychologia rationali consideratae, novas theses paucas quidem psychologia experimentalis rationali addit: tamen propositiones cognitas confirmat, difficultates ab psychologia moderna propositas solvit, mundi psychici ordinem mirabilem explanat, progressus psychologicos sibi appropiat et plures alios fructus psychologiae rationali experimentalis larga manu praebet. Amplissimos vero et exquisitissimos scientiae practicae, potissimum paedagogia et theologia pastoralis, ex psychologia experimentali debite exculta comparare debent.

4. Psychologiae rationalis praestantia, et necessitas illico patent cum in ea existentia ordinis spiritualis ratione comprobetur, dotes egregiae animae humanae demonstrentur, spiritualitas, immortalitas et liberum arbitrium.

Utilitas vero hujus disciplinae patet tum in se, quia per eam novit se ipsum homo; tum relate ad morum scientiam, quae addisci non potest pro dignitate, nisi praemissa naturae humanae cognitione; ac demum relate ad Theodiceam, nam ad divina cognoscenda per analogiam rerum creatarum nullae aliae conducere magis valent, quam quae praestantissimae sunt in hoc adspectabili mundo. Ex dignitate autem atque utilitate ceu suavissimus fructus efflorescit jucunditas noscendi tractandique illa, quae cum in se ipsis pulcherrima sint, nos vitamque, sensus, intellectum, voluntatem, animam, originem, conditionem nostram intime afficiunt.

5. Si licet iam comparare psychologiam christianam et scholasticam cum psychologia moderna in kantismo innixa hanc antithesim statim stabilire licebit:

In natura cognitionis psychologia moderna subiecti modificationes non autem obiecta realia attingi asserit: unde agnosticismus derivatur et conceptus veritatis prorsus corrumpitur, et cunctae cognitiones pure relativae dicuntur.

In natura appetitionis voluntatis praestantia ignoratur: liberum arbitrium denegatur: motus voluntarii ut combinationes et complexus motuum physiologice reflexorum considerantur.

In natura animae ipsa substantialitas animae negatur: statuitur contra processus in se ipso subsistens, semper mutabilis quin detur quid permanens praeter ipsam mutationem et actuum fluxum.

Inde hominis natura ignoratur et animae spiritualis cum corpore organico mirifica unio substantialis nullatenus concipitur.

Quae corollaria inde sequantur facile conjicere licet: actus si ex obiecto non debent haurire suam dignitatem et veritatem, ad eamdem cathegoriam pertinebunt et actus praestantissimus timoris erga Deum graviter offensum ac inanis timor psychasthenici de puerilibus motivis.

Si veritas solum relativa est, caret immobilitate veritas religiosa quae erit tandem expressio conscientiae collectivae iuxta diversa tempora et regiones diversae.

Si libertas humana in fluxu perenni vitae immergitur, perit responsabilitas, leges poenales fundamento et significatione carent.

Si anima substantialis non datur sed processus semper in fieri, neque immortalitas, neque vita futura erit neque judicium divinum timendum.

Vitae socialis et religionis et educationis prima fundamenta axiomatibus modernae psychologiae penitus corruunt.

6. *Historia psychologiae rationalis.* Psychologia christiana quoad praecipuas eius veritates cum ipsa religione exculta est et ex philosophia hellenica ut spolia Aegyptiorum desumpta et expurgata. Epistola ad Diognetum Patris Apostolici quam spiritualis fuerit ab initio haec psychologia christiana aperte docet. S. Augustinus maxime in analysim interni animi status valde intentus habendus est ut psychologorum princeps.

Augustini vestigiis inhaerens et comentariis aristotelicis S. Thomas doctrinam medioaevalem potissimum in scholis arabum vigentem, expurgavit et Aristotelem Christo militantem fecit.

Psychologia medioaevalis facultates cognoscitivas, intellectum et phantasiam, et affectivas, voluntatem et appetitum sensitivum maxime considerabat, et occasione Averrois intellectum agentem debitis limitibus coarctavit. Proprietates animae tuebatur.

Theologi scholastici saeculi XVI in tractatibus theologicis, maxime in de Angelis et de Actibus humanis plura documenta psychologica tradebant.

Neoscholasticismus actualis in vita sensitiva progressus physiologiae accomodavit ad Psychologiam, et praelia numquam intermissa cum errorum modernorum multitudine quotidie commitere cogitur. Illud certe affirmari licet: psychologiam experimentalem initio in erroribus materialismi et praejudiciis kantianis et empyristis exorsam iam non modo non esse adversariam sed in stadiis procentibus propius ad psychologiam rationalem et christianam accesisse.

7. *Stadia Psychologiae experimentalis* illa sunt: initio, medio saeculo XIX relatio inter excitationem sensorialem et sensationem consequentem ut problema empyrice solvendum est propositum, et mox universalizatum methodos experimentales excogitare compulit. Facilis fuit extensio experimentorum physiologiae sensitivae ad Psychologiam sensitivam. In secundo stadio ad finem saeculi XIX sensus interiores, imaginatio, memoria et vita affectiva quatenus modificationibus physiologicis manifestatur considerata methodice est. Tertium stadium initio saeculi XX posuit Külpe cum et intellectiones et

volitiones quoque methodis experimentalibus subici posse statuit. Fructus reportatus fuit triumphus contra materialismum et contra psychoparallelismum, insufficientia associationismi detecta est et processus psychici structura complexa designata est. Psychologia pueri ad fines paedagogicos exculta, psychologia anormalis a psychiatris est declarata et ad morbos curandos animum affectantes applicata.

8. *Historiam vero modernae psychologiae* erroribus infectae adumbrare quisnam poterit? Subiectivismum pantheisticum, dein horridum matherialismum etiamsi toga evolutionismi ornatum, monismum spiritualistam cui unica realitas est processus psychicus processui physico relative tantum oppositus, actualismum in quo philosophia immanentiae clauditur cuius est: quidquid est, intra conscientiam constitui debet, conscientia vero ex individuo ad collectionem est extendenda: formulam pragmaticam «omnia sunt quasi essent», obiectivitatis oblivionem et despectum eiusque loco valorum psychologorum proclamationem, valorem mere affectivum cum intellectuali aequiparatum dolemus et lugemus in moderna psychologia. Campus vero vastissimus in quo errores et activitates psychologicae extenduntur est campus religiosus quia cuncta ad religionem pertinentia reducuntur ad processus mere psychologicos. Processus structuras accipiunt quibus non modo homines individui sed etiam epochae, regiones, et gentes et stirpes classificantur.

9. Ex his omnibus patet quanta sit necessitas hodiernis temporibus discendi et tractandi psychologiam christianam et scholasticam.

Eam quidem, Deo favente, tractavimus divisam in duos libros quorum primus Psychologiam animalem continet et inferiorem vocamus. Alter liber psychologiam humanam considerat eamque vocamus Psychologiam superiorem ulterius in plures disputationes dividendam.

10. **Cum Psychologia tenentur artissime necessitudine** plures disciplinae naturales, quae amplissimam nactae sunt nostris temporibus evolutionem, ac nominatim *Histologia*, *Anatomia*, *Physiologia* et *Zoologia*, quae similem servant respectum cum *Psychologia*, ac *Physica* et *Chimica* cum *Cosmologia*. Videlicet omnes illae scientiae corpus animatum, vel aliquod ejus genus partemve considerant sicut Psychologia a qua tamen discrepant, quia vel non tractant commune objectum in tota sua amplitudine, vel certe non secundum altissimas causas et rationes perscrutantur. Sane *Histologia*, et *Anatomia* solam partem materialem contemplantur, *Biologia* et *Zoologia* haerent generatim in imperfectioribus viventibus, *Physiologia* etiam ad organicas functiones vel operationes investigandas contrahitur. At vero *Psychologia*, utpote pars praestantissima Philoso-

phiae, in primis ad omne corpus sensitivum generatim aciem considerationis porrigit, in eoque ipsam essentiam atque intimam constitutionem, proprietates, operationes ac praecipua genera pertractat; immo vero ipsas organicas functiones, quarum studium praecipue intendit Physiologia, non solum prout exterius sensu percipi queunt, contemplatur, sed multo profundius, adhibito conscientiae testimonio, sagaci ratiocinio caeterisque omnibus philosophicis praesidiis, quae, quia fere negligunt, et contemnunt naturales scientiae, labuntur saepe misere in turpissimos errores. Quare hic, si unquam alias commendandum vehementer est

11. Mutuum juvamen inter Philosophiam et naturales disciplinas- *Psychologia* profecto eget *Physiologiae* aliarumque modo memoratarum scientiarum observationibus, nam ex illis initium philosophandi repetendum est in *Psychologia*, quae proinde non debet detrectare aut respuere, quaecumque facta certis experimentis comprobata suppeditant affines illae scientiae. Verum non minus indigent hae ipsae judicio, tutela et magisterio Psychologiae, quotiescumque a factis ad principia, ab operationibus ad proprietates ac naturas diversorum viventium est assurgendum. Nec sane aliunde manarunt putidissimi errores, quibus materialismus, positivismus et evolutionismus hisce temporibus physiologicas commaculant disciplinas, nisi quia nec vocem audire volunt, nec jugum subire, quantumvis rationabile, *Psychologiae*, penes quam esse debet supremum in hisce rebus judicium.

12. Methodus agendi haec erit, ut ab his, quae aut obvia observatio cujusque aut exquisitiores Physiologorum investigationes suppeditant, exorsi, ad altiora et secretiora ratiocinando perveniamus; in instrumentis autem observationis testimonium conscientiae, ubicumque haberi potest, maximi faciendum esse ducimus, et quia non minore fide dignum est, quam relatio caeterarum facultatum cognoscitivarum, et quia in multis phaenomenis, praesertim ordinis sensitivi et intellectualis, summa est illius auctoritas (1). Quod quia intelligere noluerunt multi recentiores, eorum opera quantum abundant descriptionibus phaenomenorum organicorum et materialium, quae sensibus externis percipiuntur, tantum deficiunt in veritatibus ordinis intentionalis et psychologici, quae, non attente audita conscientiae voce, ignorentur necesse est, aut etiam corrumpantur.

---

(1) Cfr. Compend. volum. $1.^{\text{um}}$, num. 330.

LIBER PRIMUS

CAPUT I

DE POTENTIIS OPERATIONIBUSQUE VEGETATIVIS ANIMALIUM

Nomine animalium in universum venit genus viventium vita vegetativa et sensitiva praeditorum. Et quamquam vegetativa communis sit animalibus cum plantis, habent tamen in illis quaedam propria, quae breviter innuere oportet.

ARTICULUS I

Generalis quaedam animalium descriptio.

13. Cum tanta sit animalium varietas ab infimo et unicellulari usque ad perfectissimum genus mammalium, arduum sane opus foret una descriptione comprehendere omnia.

Sane divisio animalium a Clausio facta, quae multis arridet novem complectitur animantium suprema genera *(embranchements* vel *tipos)*, quae mox in varias *classes* et *ordines* vel *tribus* et *genera proxima* speciesque subdividuntur. Primum istorum supremorum generum constituunt *protozoaria*, alterum *zoophyta*, tertium *echinodermata*, quartum *vermes*, quintum *arthropoda* vel *articulata*, sextum *mollusca*, septimum *molluscoidea*, octavum *tunicata*, nonum *vertebrata* (1). Cum ergo tanta sit varietas animalium, nemo mirari debet vix posse unam effici communem omnium descriptionem, unde disputatio haec exordium ducere valeat. Communis hominum sensus animalia discernit a plantis per manifesta signa externa sensationis et motus immanentis ac spontanei. Idque nunc sufficere debet; quamquam enim cartesiani negent bruta animantia reapse sentire, negare nequeunt ea ita se gerere, quasi sentirent: quare nunc ex istis sensationis signis et ex communi reliquorum sensu, licet nobis supponere nunc id, quod inferius demostrandum erit, bruta animantia sensu praedita esse.

14. **Sunt praeterea quaedam aliae notae** omnium fere, aut certe praecipuorum, animantium propriae. α) In primis est illis major organorum diversitas. β) Praeterea functiones diversae animales *specializantur*, ut dicunt, nempe non exercentur promiscue in quavis corporis parte, sed solum in determinatis organis. γ) Numerus etiam

---

(1) Cfr. opus fusius, volum. 4, num. 168, paragr. *Difficultas generalem...*

organorum certus est illis ac definitus, nec multiplicatur, sicut in vegetalibus, quae singulis annis novos emittunt flores, folia, ramos. In ipsa vegetatione discrepant a plantis non solum cavitate digestiva, quae cunctis animantibus inest inde a zoophytis, sed etiam in varietate nutrimentorum (1).

15. **Praecipuae partes animalium notantur.** Est praeterea in animalium interiori corpore ossea compages (*sceletum* vocant), ex pluribus ossibus contexta. Circa sceletum vero diversi cellularum contextus accrescunt, ex quibus totus organismus coalescit: varii contextus ejusdem naturae constituunt *systema*, qualia sunt v. g. *nerveum*, *musculare*, etc.; ex diversis contextibus apte coalescentibus *organa* seu instrumenta vitalium functionum existunt, variorumque organorum in unum finem conspirantium complexus nomen *apparatus* inter Physiologos obtinuit. Talis est v. g. *digestivus*, *circulatorius*, etc., apparatus pro vegetatione, et systema *musculare* pro locali motu, ac *nerveum* pro sensatione.

Apparatus sensitivus complectitur tum organa peculiaria, de quibus suo loco, tum systema nerveum, quod in statu plus minus rudi reperiri dicitur in omnibus animalibus. In quo, cum magis evolutum et formatum est distinguendi sunt nervi et centra nervea. α) *Nervi* ex fibris nerveis vel parvis cylindris componuntur ceu fasces vel funiculi ex tenuissimis filamentis coalescentes, qui per varias organismi partes serpunt et inter se medio contextu *conjunctivo* connectuntur. β) Centra nervea in interiori organismo posita sunt, ad eaque deferuntur impressiones per nervos acceptae: nervi externas impressiones ad centra trasmittentes dicuntur *centripeti*, eisque respondent *centrifugi* vel *efferentes*, per quos vicissim impressiones e centris ad varia organa partesve organismi mittuntur. Praecipua centra sunt *medulla spinalis* et *cerebrum:* quare nerveum systema concipiunt multi veluti rete quoddam ex innumeris fibris mire contextum, et varias corporis animalis partes undequaque pervadens. In capite adest cranium, quod ossea cavitas est, continens *encephalum* vel massam encephalicam, quae *cerebrum* complectitur, *cerebellum* et *medullam allongatam*. Cerebrum, massa constans pulposa, exstat in anteriore parte cranii, longe majus est in homine, quam in aliis animalibus, habetque multo magis evolutas *hemisphaeras* cerebrales cum pluribus *circumvolutionibus* In posteriore parte encephali pauloque infra cerebrum adest *cerebellum*, quod minoris est magnitudinis. et ope *pedunculorum* continuatur in solis vertebratis cum *medulla spinali*, quae non aliud videtur esse nisi continuatio cerebri et cerebelli, quo per foramen occipitis trajicitur in canalem situm in columna vertebrali vel *spina dorsii*. Pars superior medullae, quae imum caput ingreditur, *medulla allongata* nominatur et etiam *bulbus rachidianus*. Quae omnia minutatim descripta dabunt Physiologi.

Est praeterea in animantibus alterum systema nerveum, quod *ganglionare* et *magnum sympathicum* dicitur vegetativis functionibus serviens, cujus diversi rami conjungunt organa varia, quae, quamvis invicem independentia, possunt tamen alia in alia mutuo influere, qualia sunt cerebrum, cor, stomachus. Verum haec nunc innuisse sufficiat (2).

Regnum Protistarum, medium inter regnum vegetale atque animale, ab Ernesto Häckel gratis excogitatum, breviter refutatum reperies in alio opere (3).

---

(1) Cfr. opus fusius, volum. 4.^{um}, num. 169.
(2) Cfr. aliud opus, volum. 4, num. 169,
(3) Volum. 4.°, num. 170.

ARTICULUS II

Quales sint vegetativae animalium operationes.

16. **Tres sunt capitales operationes vegetativae in animalibus**, nutritio, augmentatio et generatio, quae saltem in perfectioribus per organa specialia peraguntur, prout notum est, et a Zoologis enucleatius declaratur.

Generatio animalium triplex esse potest, *scissipara*, *gemmipara* et *ovipara*. Scissipara, qua portio organismi animalis abscissa in novum individuum excrescit, viget in lumbricis, hydris, naidibus, etc. Gemmipara in animalculis coralliariis, bryozoariis, etcétera, obtinet, sicque peragitur: in ipso organismo turgere incipiunt quaedam partes instar gemmarum in plantis, et mox crescunt in modum tuberculi, donec tandem segregatae a reliquo corpore vivere pergunt vita propria individuali. In animalibus autem perfectioribus sola inest generatio ovipara, per quam possunt etiam multiplicari ipsa animalcula scissipara et gemmipara. Generatio ista maximam servat analogiam cum in Cosmologia descripta plantarum generatione, peragitur ex foecundatione ovi seu principii passivi, quod inest femellae, per principium activum, *sperma* vel semen, cujus virtus foecundans videtur esse in *spermatozoidibus* ut in Cosmologia declaratum est. Quare necesse non est in his diutius immorari (1).

17. Propositio. **Nutritio in animalibus praeter assimilationem, in qua formaliter consistit, complectitur digestionem, absorptionem, circulationem, respirationem, excretiones ac secretiones.**

De assimilatione satis superius dictum est in Cosmologia.

Assertio vero probatur quoad reliquas partes. Quia nequeunt animalia nutrimentum, quamvis sit caro aliorum etiam sibi similium, organismo suo conjungere atque incorporare, nisi dissolvendo illud varieque transformando quod digestione peragitur in stomacho. Verum decocta sic principia nutritiva refundi debent in sanguinem, qui est nutritius liquor, omnes organismi partes alens ac sustentans, dum omnes perenni fluxu rigat opere *circulationis*. Circulationis porro officium non est solum porrigere organismo nutrimentum, quo reparet jacturas, sed etiam colligere materiam detritam vel inutilem: sanguis itaque, qui nutritioni servit, purgandus est ab omni faece materiave inutili, quam in sua circulatione contraxerat, quod officium est *respirationis, secretionis* et *excretionis*. Organa, his operationibus destinata in perfectioribus animalibus, sita sunt intra cavitatem *thoracicam abdominalem*, atque in suis functionibus reguntur per *magnum sympathicum* (n. 15), quod etiam *systema ganglionare* ac *systema nerveum vegetationis* appellatur, et constat ex catena gangliorum ac nerveorum funiculorum, quae cum cerebro et medulla spinali per multos ramusculos conjuncta, in varios apparatus vitae vegetative sese insinuant, influuntque in cordis, pulmonum, intestinorum, etc., functiones.

18. **Digestio** in suo complexu considerata importat praeparationem nutrimentorum ad hoc, ut possint organismum alere, augere, atque a jacturis, quas continuo subit, resarcire. Apparatus digestivus duplici genere organorum constant; quaedam tubum digestivum constituunt, ut *bucca, dentes, pharynx*, quod organum est deglutionis, et continuatur cum *aesophago*, per quem cibus in *ventriculum* vel *stomachum* trajicitur. Alia organa ad digestionem conducunt, ut

---

(1) Cfr. opus fusius, volum. 4.°, num. 179.

glandulae salivares, *jecur* et *pancreas*. Digestio ergo habet pro scopo dissolvere alimenta, ut absorberi queant et converti in *chylum*, qui liquor est cum sanguine miscendus (1).

Absorptionis nomine venit ea operatio vegetalis, per quam animalia sibi attrahunt, et cum sanguine miscent substantias, sive solidas, sive liquidas, sive äeriformes, quae vel circumstant, vel intra organismum versantur: eaque peragi videtur per omnes corporis contextus media capillaritate, virtute imbibitionis et endosmosi sub altiore influxu animae: unde distinguitur absorptio *cutanea*, *pulmonaris*, etc.

Circulatio est ea operatio, per quam fluida organismi, ac potissimum sanguis, qui est ejusdem proximum nutrimentum, varias lustrat partes, ac percurrit, singulas nutriens. Duplex est, pulmonaris vel parva, primum ab hispano medico, Michäel Servet, inventa, qua sanguis a corde ad pulmonem fertur, et inde ad cor regreditur; et circulatio generalis, quam Gulielmus Harvey detexit, totum corpus percurrens. Sanguis est liquor notissimus, in quibusdam animalibus albus vel incolorus, in aliis purpureus: habet duas partes, *plasma*, cujus complicatissima est chimica compositio, et globulos in eo innatantes, qui coalescunt ex nucleo albuminoide, *globulina*, et ex tegmine purpureo, quod *hematosina* dicitur, unde et globuli et sanguis totus colorem accipiunt; at sanguis albus caret hematosina, globulosque habet albos. Officium sanguinis est organismum nutrire, atque a suis reparare jacturis, est enim quasi vehiculum principiorum nutritivorum, quae singulae partes ab eo mutuantur, et particularum detritarum, sive inutilium sive nocivarum, quibus purgandus est organismus. Apparatus circulationis constat corde vasisque sanguineis, quae *arteriae* ac *venae* dicuntur, circulatio autem eo modo efficitur, qui in fusiori opere descriptus reperitur. Sanguis demum principia sua nutritia desumit ex *lympha* et *chylo* (2). Alia nutritionis animalis operatio est

19. **Respiratio,** cujus nomine illa functio intelligitur, quae habet pro fine sanguinem renovare aptumque nutritioni efficere, vel, ut Physiologi loquuntur, sanguinem venosum in arterialem convertere. Sanguis enim, postquam ab arteriis transiit ad venas, inhabilis est ad alendam vitam organismi: quare, ut iterum in nova circulatione hoc praestet munus, renovandus est, ac porro renovatur in pulmonibus ad contactum äeris per respirationem, cujus duplex est motus, *inspirationis* et *exspirationis*. Per inspirationem attrahitur äer, qui, ut notum est, praecipue componitur ex oxygenio, hydrogenio et nitrogenio, e quibus oxygenium praestat officium renovandi sanguinem; nam dum defluit simul cum eo per arterias, carbonem organismi nimium et noxium comburit, sese cum illo combinando: qua ex combustione et calor in animalis corpore conservatur, et acidum carbonicum resultat, quod, per venas ad pulmonem simul cum sanguine venoso perductum, exspiratur, vel exhalatur in äerem. Respiratio itaque necessaria est, ut vivere animal queat, et consistit in commutatione oxygenii cum acido carbonico; subjectum hujus commutationis est sanguis, medium äer atmosphaericus, instrumentum apparatus respiratorius.

Quamvis enim in imperfectissimis animalibus respiratio peragitur per omnes organismi partes, et datur etiam in perfectioribus quaedam secundaria respiratio, *cutanea*, quae per pellem perficitur, praecipua tamen et simpliciter dicta respiratio eget apparatu speciali, qui in piscibus situs est in *branchiis*, in quibusdam vero animalibus, äereae respirationis, v. g., in insectis, in *trachea*, in mammiferis demum et aliis in *pulmonibus*, qui *pleura* involvuntur; et communicant cum canali *trachea-arteria*, cujus pars inferior dividitur in binos *bronchios*, et horum singuli cum singulis pulmonibus connectuntur, pars autem superior desinit in *laryngem*. Demum ex posteriori parte oris proficiscuntur *fossae nasales*, ad easque per nares ingreditur äer, qui proinde per tracheam ad pulmones pervenire valet. Pulmones dilatantur, et comprimuntur: cum dilatantur, accipiunt äerem; quem expellunt, cum comprimuntur. His si addas *diaphragma*, membranam tenacem et elasticam, quae thoracem ab abdomine separat, habes integrum respirationis apparatum. Quo autem pacto phaenomenum respirationis perficiatur, descriptum videre potes in opere fusiori (1). Restat, ut

---

(1) Cfr. opus fusius, volum. 4, num. 174, ubi haec magis declarantur.

(2) Vide opus fusius, volum. 4, num. 176.

20. **De secretione et excretione dicamus,** quae sunt etiam functiones ad nutritionem spectantes; nam nutritionis valde interest non solum nutrimentum assimilare atque organismo incorporare, sed particulas quoque illius expellere: quod fit ope exhalationis, excretionis secretionisque. Exhalatio est operatio absorptioni contraria, et potest esse interna et externa: externa perficitur per cutem et pulmones, unde *transpiratio cutanea* et *pulmonaris;* per internam humores varii humectant quaedam organa interiora, ut cerebrum, pleuram, etc. Secretio est formatio quorumdam humorum, qui ex materia sanguinis elaborantur a *glandulis* et *folliculis:* humores isti alii serviunt diversis functionibus, ut, v. g., saliva, succus gastricus et pancreaticus, etc.; alii non videntur aliud officium habere, quam sanguinem a noxiis vel inutilibus materiis purgare, v. g., sudor et urina, etc. Denique ad excretionem revocatur in primis expulsio acidi carbonici et aquae in respiratione, deinde faecium vel faecalium materiarum purgatio, ac emissio urinae, per quam residua variarum oxydationum, quasi cineres materiae combustae, foras expelluntur (2).

21. **In his omnibus functionibus manifestissime splendet finalitas vel teleologica tendentia** in natura animali. Tanta enim est varietas organorum, tanta inter instrumenta eorumque operationes proportio et concentus, tam certus ordo et constantia naturae in iisdem phaenomenis iterandis, ut vere caecutire in meridiana luce dicendi sint ii Physiologi, qui post innumera instituta experimenta, post diligentissimam omnium investigationem nolunt agnoscere id, quod tanta evidentia innotescit. Vita vegetativa in animalibus (et in homine) vitae sensitivae subordinatur et juxta affectiones psychicas intra augustos limites modificatur.

ARTICULUS II

De quibusdam affectionibus vitae vegetativae in animantibus.

Tres tantum ejusmodi affectiones innuam *calorem*, qui nutritionem comitatur, *famem* et *sitim*.

I.—Calor animalis.

22. **Caloris animalis existentia.** Principio statuendum est inesse multis animalibus fontem aliquem perennem caloris, qui propriam

---

(1) Volum. 4.°, num. 177, paragr. *Phaenomenum porro respirationis...*

(2) Cfr. aliud opus, volum. 4.°, num. 178, 179.

servet organismi temperiem independentem ab ambientis äeris temperie, prout fieri videmus in animalibus *calidi sanguinis*, quae *in normali statu*, pro sua quaeque specie, quantumvis varient adjuncta externa, eumdem ferme, vel certe non valde varium, retinent gradum caloris: talia sunt mammifera et aves. Animalia vero invertebrata et pisces, reptilia et variae species batrachorum, qui *frigidi sanguinis* vel *variabilis temperiei* dicuntur, non tam fixam servant vim caloris, sed variare illum possunt pro medii vel corporum circumstantium ratione. Caeterum calor proprius generatim animantibus conveniens est, aut etiam necessarius, ad servandam vitam et obeundas vitales functiones, unde quaedam genera calidi sanguinis in hyeme mutant coelum, et ad magis apricas terras transmigrant. Animalia vero frigidi multa, et quaedam etiam calidi sanguinis, ut glis, hericius, etc., quae *hibernantia* vocantur, licet frigore non pereant, lethargo tamen correpta delitescunt, in quo non quidem cessat penitus omnis functio vitalis, sed tamen valde imminuitur, nulloque proditur externo indicio; nam respiratio pulmonaris valde retardatur, immo et cessare videtur, sola forte remanente cutanea respiratione, nec quamdiu eo in statu versatur, ullum nutrimentum *extrinsecus* accipiunt, sed expensis propii organismi et adipis intra illum a natura provida reservati aluntur, quin motum sensusve signum edant, quasi essent mortua (1).

23. **Causa caloris animalis** praecipua, si Physiologos audias, est oxydatio vel oxygenica combustio, quae in nutritione corporis jugiter peragitur. Nam detrita veterataque per novas desintegrationes organismi materia priusquam expellatur e corpore, comburitur oxygenio ex atmosphaera in respiratione absorto: quem in finem per totum organismum contingunt combinationes oxygenii, quod a sanguine arteriali vehitur, cum particulis illis organicis carboni potissimum et nitrogenio mixtis, quae nominantur *oxydationes* vel *combustiones physiologicae*, earumque terminus est productio diversarum substantiarum, ac nominatim aquae, acidi carbonici, ureae, etc., quae purgantur, et foras expelluntur per respirationem et urinae excretionem. Praedictae igitur oxydationes, quae per totum organismum peraguntur, sanguini calorem tribuunt totique corpori.

24. **Aliae causae caloris**, ut, v. g., major respirationis activitas, exercitium musculare, etc., videri queunt apud Physiologos. Causae itaque *proximae* atque *inmediatae* animalis caloris videntur in viribus physico-chimicis esse reponendae. Verum cum illae ipsae, quas dixi, physiologicae combustiones, nutritionem comitantes, exerceri nequeant, nisi quamdiu anima corpus informet, et virtutem atque influxum nutritivum communicet, immo et primum tribuat impulsum respiratoriorum motuum, sine quibus non potest absorberi ex atmosphaera oxygenium, ad praedictas combustiones necessarium; plane sequitur, calorem animalem, aliquo pacto, saltem remote ac mediate, ab ipsius animae influxu dependere, ac proinde vitalem in aliquo sensu dicendum esse (2).

II.—Fames et sitis.

25. **Sapientissimo** divinae providentiae consilio factum est, ut quotiescumque cibo potuve ad restaurandas vires egerent animalia, notissima illa premerentur affectione, quam *famem* et *sitim* vocamus, ut sic ad quaerendum remedium naturae indigentis urgerentur. Omissis definitionibus Aristotelis, quae non vacant difficultate

---

(1) Cfr. volum. 4.^{um}, num. 180.
(2) Cfr. volum. 4.^{um}, num. 181, *Aliae causae...*

Fames describi potest *appetitus nutrimenti*, **sitis autem** *appetitus potus*. Quae definitiones metonymicae sunt, quia declarant causam per effectum, nisi velis cum aliis dicere, illas fieri per causam finalem; fames enim et sitis proprie in se ipsis appetitus non sunt, sed affectiones dispositionis molestae in corpore, quae cupiditatem excitant cibi potusque, et ad illum quaerendum impellunt.

Affectio famis sensim incipit, ac paulatim crescit, et nisi sumpto cibo satietur, vehementissime torquet, atque in furorem ac rabiem agere potest; sedatur autem aliquantulum opio, tabaco, alcohol, chloroformo, etc.

26. **Sedes famis ac vera natura** non tam facile definitur. Quamquam autem variae sunt Physiologorum opiniones ea videtur inter eos frequentior et communi hominum sensui conformis, quae praecipuam famis sedem in stomacho aut regione epigastrica reponit, tum quia ibi reapse intimus sensus molestam affectionem renuntiat, tum quia fames sentitur, cum stomachus plus minus vacuus est, ejusque functiones gastricae cessant, e et converso si stomachus, ingesto cibo, repleatur, recedit molesta ejusmodi affectio. Definiri autem non potest, in qua praecise regione stomachi vel regionis epigastricae resideat fames. Caeterum languor et infirmitas vel debilitas ex defectu nutritionis sentitur per totum corpus (1).

27. **De causis famis** multa conjectati sunt veteres, ut videre est in opere fusiore, eorumque conjecturas videntur confirmasse recentiores, cum ad refluxum bilis, ad succum gastricum ad affrictum *mucosae*, etc., confugerunt ad explicandam causam peculiaris illius sensus, quem famem dicimus. Alii vero inter recentiores famis causam revocant ad imminutionem principiorum nutritivorum in lympha et sanguine, unde reactio quaedam sequatur in centris nerveis, quae reactio sit objectum peculiaris illius sensationis. Quidquid ea sit, causa illa ventriculum vellicans, morsu dolorem gignit, qui sensu percipitur, sicut quaevis alia corporis affectio; mox appetitus illam, quia ingrata est, refugit, et consequenter nutrimentum appetit, quo malum arceatur.

28. **Sitis est** *appetitus potus*, ut modo dicebam, sentirique praecipue solet post sumptum cibum, et generatim cum sanguis amittit magnam partem elementi aquei, et nisi hausta aqua vel aliis modis sedetur, cruciatum affert ipsa fame terribiliorem.

29. **Causae sitim excitantes** variae afferuntur, ac nominatim illae omnes, quae sanguini detrahunt aquea elementa, ut sudor copiosus, amissio sanguinis, absorptio substantiarum acrium et salsarum, secretio lactis, copiosior salivae productio, siccitas mucosae, etc.

30. **Circa sedem sitis** non una est Physiologorum opinio, quamvis melius sentire videantur qui eam reponunt in ore ac faucibus, et praecipue in basi linguae ac pharynge, prout cuique refert intimus sensus; ariditas vero mucosae pharyngianae, ex modo relatis causis proveniens, gignere videtur sensum illum molestum, quem sitis nomine designamus.

De vitalibus atque animalibus, quos vocant spiritibus videri potest opus fusius, ubi exponitur, quid veteres hisce nominibus intelligerent, et qui nunc censeri debeat (2).

---

(1) Volum. 4.°, num. 182, *Si autem quaeras...*

(2) Volum. 4, num. 184.

CAPUT II

DE SENSATIONE ATQUE OPERATIONIBUS COGNOSCITIVIS ANIMALIUM

31. Sensationes sunt operationes vegetativis altiores, quae sine his esse nequeunt, ut experientia ipsa et inductione compertum est, licet e contrario vegetativae possint esse sine sensitivis, et sunt reapse in plantis. Caeterum functiones vitae sensitivae, sicut etiam intellectivae, a Physiologis *relationis* functiones nominantur, quia videlicet ope illorum communicat animal, et commercium ac relationem instituit cum aliis rebus: eae vero triplicis generis sunt, cognitiones, appetitiones et localis motus. Animal enim cognoscens objecta sibi convenientia et disconvenientia, nempe bona et mala, appetitu prosequitur priora, posteriora aversatur, ac postea locali motu tendit ab bona, et fugit mala; sicque triplici operationum genere sese communicat cum rebus externis.

ARTICULUS I

Utrum bruta animantia sint mera automata, an vero sentiendi facultate polleant.

32. Duo errorum genera circa brutorum cognoscitivas operationes reperio, ambo ex una radice profecta, nimirum ex negata intellectus et sensus distinctione. Alii enim ne largirentur animalibus intellectum, negarunt etiam sensum; alii cum viderent sensum non posse negari, tribuerunt etiam intellectum. Primum errorem primus videtur apparatu scientifico tradidisse Gomez Pereira, medicus Metimnensis (de Medina del Campo) in libro, quem de patris ac matris suae nomine *Antoniana Margarita* inscripsit. Ita tamen suam mentem exposuit, ut dum ex altera parte omnem sensum et cognitionem brutis animantibus eriperet, motus eorum locales per phantasmata rerum olim habita et in memoria retenta, per habitus ac disciplinam, cujus capacia esse statuebat, et per instinctum declararet, nimirum secum manifeste pugnans. Hanc opinionem ex Gomezio haustam postea propugnavit, celebrioremque reddidit Renatus Des Cartes in suo tractatu *de Methodo;* Cartesium vero multi alii secuti sunt, ac nominatim Mallebranchius (1). Qui omnes asseverant animalia omni prorsus carere cognitione, sed esse meras machinas vel *automata*, instrumenta videlicet ita affabre a Deo constructa, ut nulla apparente causa moveantur sed sponte videantur moveri, sicut, v. g., horologia; quam doctrinam tuentur etiam Huxley (1) et Carolus Richet (2) multique positivistae hodierni. Quod si Cartesiani verbo tenus vitam et animam sensumque concessere interdum belluis, non verum sensum, qui cognitionem importet, intellexerunt, sed qui mera sit affectio materialis organorum, vel motus spirituum animalium, qui, ad impressionem externorum objectorum in organis receptam ad musculos delati, motum gignant membrorum; nec aliud animae nomine significarunt praeter spiritus animales (3).

---

(1) *Méditations metaphysiques*, 9.^{me} médit.

Cum Cartesio consentire quodammodo visus est Antonius Rosmini in eo, quod docuit sensationem veri nominis cognitionem non esse.

33. Propositio 1.ª—**Absurda et stulta est opinio tenens bruta animantia esse mera automata, nec sentiendi pollere facultate.**

Propositio aperte traditur in sacris Litteris (4), doceturque a Patribus, ut videre est in latiori opere (5).

Probat. 1.° ex communi omnium sensu, solis exceptis Cartesianis.

Prob. 2.° argumento analogiae. Ubi enim adsunt: α) similia organa, β) similis eorum modus operandi, γ) similesque effectus ac phaenomena, similem judicium ferendum est. Atqui tria haec adsunt simillima in brutis et in homine, in quo certe sensus et cognitio inest. Ergo...

Prob. Minor. α) Bruta organis et nerveo systemate instructa esse, oculis nostris perspicimus. β) Eodem ferme pacto, ac homines, si sonus ex aliqua parte proveniat, aures illam versus convertunt, eodem pacto nares applicant ad odorandum, oculos ad videndum, etc. γ) Demum pari modo sensationis gratae vel ingratae perceptae indicia praebent blanditiis, gemitu, fuga; timorem, iram, amorem, tristitiam, gaudium patefaciunt; quemadmodum passim experimur, et ipsae sacrae Litterae testantur (6). Vide inanissimam Cartesianorum responsionem rejectam in alio opere (7).

Prob. 3.° Si belluae forent automata, omnes eorum motus locales essent mechanici. Atqui absurdum est id asserere. Nam α) motus mechanicus perdurat, quoadusque opposita vi elidatur; β) lineam rectam, nisi quid obstet, persequitur; γ) quod si lineam rectam deserat, mediam viam tenet ex oppositis viribus resultantem; δ) praeterea motus unico impulsu impressus, continuo velocitatem minuit ob resistentiam medii ac superficiei, in qua movetur; ε) denique motus mechanicus intensitate proportionem servat cum causa motrice, nec potest esse diversus in iisdem vel similibus adjunctis. Atqui contraria omnia cernimus in motibus belluarum.

---

(1) *Essai de Psychologie générale*,

(2) *Select works, Animal automatisme and other essays*, pagina 193 seqq.

(3) Vide, si lubet, haec fusius expositas in alio opere, volum. 4, num. 186.

(4) Vide v. g. *Isaiae* cap. 1, vers. 3; *Job*, cap. 38 vers. 36; cap. 39, vers. 21-26; *Joann.* cap. 10, vers. 3, 4.

(5) Volum. 4, num. 186.

(6) Vide v. g. *Tobiae* cap. 11, vers. 9; *Sapient.* cap. 7, vers. 17 et 20; *Eccli.* cap. 13, vers. 19; *Job* cap. 39, vers. 21-26.

(7) Volum. 4.°, num. 186, *Prob. 2.°*; *Ad haec respondent...*

Nam α) **Passim videmus** bruta animantia in medio cursu repente sistere sola voce vel sibilo vel interpositu obstaculi. β) Canes et equi... in suo cursu passim directionem variant. Canis si herum e fenestra conspicatus fuerit, non se praecipitem dat, sed descendens per scalam egreditur e porta, ut illi occurrat, et saltibus gyrisque gestiens illum excipiat. Quid dicam de circuitionibus felis murem insectantis? Quid de avium volatu, piscium natatu?, etc. γ) Hinc patet tertium, et δ) quartum, quia nulla certa lege reguntur sive in varianda directione, sive in acceleranda retardandave motus velocitate. ε) Causae motus animalium aliquando sunt morales, ut exhortatio, clamor, sibilum, aliquando physicae, ut levis vexatio, stimulo, flagello... inflicta: omnes prorsus nullam servantes proportionem cum secuto motu. Praeterea eadem vox equum hispanum ad motum incitat, quae gallum vocis ignarum vel eidem insuetum nihil movet: idem vir a duplici cane conspectus alium canem in fugam convertit, alium gestientem ad se trahit, etc. (1).

34. Propositio 2.ª—**Sensatio est veri nominis cognitio.**

Prob. 1.° ex communi omnium sensu. 2.° ex ratione. Natura enim et ratio cognitionis stat in eo, quod sit vitalis objecti repraesentatio vel imago. Atqui sensatio est actus vitalis et repraesentatio objecti, ut constat, v. g., ex visione vel imaginatione rei. Ergo frustra conatur Rosminius distinguere inter perceptionem sensationemque, nam sensatio non solum perceptio, sed cognitio etiam est, omnisque perceptio rationem aliquam habet cognitionis.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

35. Adversus primam propositionem.—**Objic.** 1.° Probationes nostrae nihil evincunt, 1.° quia ex eo petuntur, quod effectus similes, id est, motus externi et effectus in nobis et in brutis, similibus causis, nempe sensationi et cognitioni, tribuendi sint. Atqui nihil vetat simi-

---

(1) Cfr. P. Josephus Fernandez Cuevas, *Cosmologia*, num. 83, 84. Et vide, si libet, aliud argumentum in opere fusiori, volum. 4, num. 186.

les effectus a diversis causis procedere, ut patet in hac ipsa materia, quia omnes motus corporis humani, ipsa loquela non excepta, possent causari ab angelo corpus invisibiliter ingresso. 2.° Ut ex organis legitime inferatur sensatio, supponi debet illa esse apta ad sentiendum. Atqui apta non sunt, nisi virtute sentiendi instruantur. Ergo argumentum supponendo virtutem sentiendi in organis re vera petit principium.

Respond., *neg.* assert. **Ad 1.am probationem** *neg.* Major. Nam non solum argumentati sumus ex effectuum similitudine, sed etiam ex organorum similitudine similique illorum applicatione: ex quibus omnibus conclusimus similem virtutem et actionem sensitivam in brutis. Praeterea ex sola quoque effectuum similitudine recte concludi posset similitudo causae, si probetur impossibilitas illos attribuendi causae diversae, quod evincit tertia probatio. Hypothesis vero angeli alicujus motus animalium gignentis gratuita prorsus foret, quia non solent angeli ordinarie in natura operationibus se immiscere. Quod si dubitare hac in re liceret, facile sequeretur universalis scepticismus.

Ad 2.am probation. *dist.* Major. Debet supponi organa esse complete apta ad sentiendum, *neg.*; incomplete apta, nempe simili modo fabricata et conformata, ac in homine, *conc.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 2.° Potuit Deus animantium corpora tam artificiose condere, ut motus hisce similes mechanice peragerent. Ergo ita reapse fecisse dicendum est, quia nihil supervacaneum facit. Cum potissimum ars imitetur naturam.

Respond., retorq argumentum sic: Potuit Deus dare brutis facultatem sentiendi et cognoscendi. Ergo dedit; eo vel magis, quod non appareat ratio, cur tot organis instruxerit corpus animale.

Respond. 2.° *trans* antec., *neg.* conseq., cujus falsitas satis apparet ex probationibus.

Ad illud quod de arte adjungebatur, respondeo, artem quidem imitari, sed non assequi vel aequare naturam.

Objic. 3.° Nequeunt esse vitales actus illi, quorum simillimos, edunt belluae vita functae. Atqui belluae jam mortuae motus locales efficiunt simillimos eorum, quos in nostris probationibus meminimus. Sic muscae amputato capite volant, et ranae, ope fluidi galvanici contractis musculis, agitant crura, etc. Quibus adde motus *reflexos*, quos etiam automatice peragi volunt multi.

Respond., *dist.* Major.; si belluae actus illos eodem pacto edant vivae ac mortuae, *conc.*; secus, *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Ad probationem dico muscas illas amputato capite adhuc probabiliter vivere, anima enim praeditae sunt extensive divisibili, sicut alia insecta Ranarum vero motus vel sunt mechanici vel automatici ex reactione quadam organica profecti, de quibus nonnihil dicetur inferius, ubi de motu animalium, sicut etiam de motibus reflexis.

Objic 4.° Si bruta doloris ac voluptatis essent capacia, vitam degerent saepe misserrimam sine culpa. Atqui, docente Augustino, *sub Deo justo miser esse quisquam, nisi mereatur, non potest* (1).

Respond. *dist.* Major.; per se, *neg.*; per accidens, *conc.* Nam bruta animantia sua habent voluptates, suosque explent plerumque appetitus. Quod si interdum vexentur, id per accidens contingit in intentione divina propter conservationem ordinis mundani, quem Deus primario intendit: in quo, caeteroquin, nullum est inconveniens, siquidem animalia non ad felicitatem, sed ad hominis servitium creata sunt. Verbo vero S. Augustini de homine intelligenda sunt.

---

(1) S. August., *Oper. imperf.*, lib. 1, num. 39.

Objic. 5.° Automata dicuntur, quae ex impressionibus extrinsecus receptis moventur. Atqui bruta, etiam in nostra sententia, ex huiusmodi impressionibus moventur. Nam etiam sensationes praeviam requirunt extrinsecus excitationem. Cum ergo aliunde appetitio et motus localis esse non possint sine sensatione, objectum prosequendum fungiendumve proponente; sequitur omnes actus brutorum tandem ex extrinseca impressione procedere.

Respond., *dist.* Major. Automata dicuntur, quae ex impressionibus extrinsecus receptis moventur tamquam ex adaequata et proxima causa mere physice vel mechanice agente, *conc.;* tamquam ex inadaequata et remotiori causa excitamenti, unde nova virtus vitalis ad agendum applicetur, *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Longe aliter ad agendum moventur automata et entia sensitiva: illorum adaequata causa motus est extrinseca, horum vero non, quia excitamento extrinsecus accepto per speciem sensibilem, virtus vitalis sensitiva determinatur ad sensationem, quae actio immanens est, eliciendam (1).

36. ADVERSUS ALTERAM PROPOSITIONEM.—**Objicies 1.°** Veri nominis cognitio non habetur, nisi aliquod attributum vel praedicatum asseratur objecto cognito, videlicet nisi contineat judicium. Atqui in sensatione, quae simplex est perceptio vel apprehensio, non datur judicium. Ergo... 2.° Ad rationem cognitionis pertinet aliqua immaterialitas vel elevatio supra materiam. Atqui sensatio, non gaudet immaterialitate, quia est operatio materialis seu dependens a materia. Ergo... 3.° Proprium cognitionis est posse referre objecta quoque spiritualia et universalia. Atqui objectum sensationis est materiale duntaxat et concretum. Ergo... 4.° Si sensatio foret cognitio, confunderetur cum intellectione, aut solum accidentaliter ab ea discreparet.

Respond. ad 1.um, *disting.* Major. Cognitio perfectior, *conc.;* cognitio qualiscumque, *neg.* Et *contradist.* Minor.

Respond. ad. 2.um Aliqua immaterialitas, nempe elevatio supra materiam mox declaranda, *conc.;* immaterialitas, quae importet independentiam a materia in *esse*, et aequivalet spiritualitati, *subdist.*; ea pertinet ad rationem omnis cognitionis, *neg.;* cognitionis intellectualis *conc.* Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq.

Respond. ad 3.um, *dist.* pariter Major. Id proprium est cognitionis generatim, *neg.;* cognitionis intellectualis, *conc.*

Respond. ad. 4.um, *neg.* assert., sensatio enim est operatio compositi et materialis seu dependens in *esse* a materia, intellectio autem spiritualis et sòlius animae.

ARTICULUS II

Utrum bruta tum externis tum internis gaudeant sensibus.

37. Sensus alii sunt externi, alii interni, quos summatim in primo hujus Compendii volumine descripsimus (2), et fusius postea tractandi sunt. Externi sunt illi notissimi, *visus*, *auditus*, *odoratus*, *gustus* et *tactus;* interni vero *sensus communis*, *imaginatio*, *aestimativa*, *memoria*. Porro experientia ipsa constat, non omnes sensus in

---

(1) Quaedam alia videri queunt in opere fusiori soluta, 4, num. 188.

(2) Vide, si lubet, num. 322.

omnibus animalibus vigere, quamvis nulli deesse videtur saltem ex externis tactus et gustus, ex internis autem sensus communis, qui radix caeterorum esse dicitur, et aestimativa ex qua moveatur ad quaerenda objecta convenientia et fugienda nociva. Quamobrem animalia in perfectiora et imperfectiora dividi solent, prout pluribus paucioribusve polleant sensibus, et magis minusve praestanti organorum instruantur apparatu.

38. PROPOSITIO.—**Bruta animantia, saltem perfectiora, praeter externos internis quoque gaudent sensibus.**

Prima pars *de sensibus externis* probatione non indiget; innumera enim suppetunt genera animantium, canes, equi, feles, boves aves, etc., etc., quae et similia nostris habent organa, et iisdem utuntur, sicut nos, eademque fere praebent indicia, ex quibus colligimus caeteros homines sentire. Quare Physiologi non solum concedunt belluis sensus, sed etiam quibusdam vivaciores nostris, potissimum visum, auditum, odoratum (1).

Secunda pars *de internis sensibus* probatur 1.°, quia perfectiora bruta cerebro potiuntur, quod est organum sensus interni, similiter disposito, atque homo, 2.° inductione sensuum internorum. Ac primo quidem:

α) **Habent sensum communem.** Nam proprium ejus est discernere inter diversa sensibilia diversorum sensuum, quod quidem praestari debet ab una eademque potentia (2). Atqui bruta profecto discernunt inter diversa sensibilia. Pone canem vel equum sapidissimo pastu fruentem; si aculeo pungantur, vel lupi ululatum audiant, vel fuste appropinquantem videant hominem, a quo alias male multacti sint, extemplo videbis, relicto cibo, se fugae praecipites dare.

β) **Habent imaginationem** vel **phantasiam**. Nam *et per loca nota sine errore jumenta pergunt*, et *cubilia sua bestiae repetunt*, et *canes dominorum suorum corpora recognoscunt*, et *dormientes plerumque immurmurant*, et *in latratum aliquando erumpunt* (3).

γ) **Habent aestimativam**. Etenim agnus matri, relictis caeteris ovibus, adhaeret, ovis lupum venientem vel ululantem fugit, et gallina vulpem atque accipitrem, ac columba milvum, etiamsi nunquam alias vidisset, aut mali quidpiant experta fuisset. Item canis quaerit, cum aegrotat, herbas medicinales, avis cum tempus est procreandi, paleas colligit ad nidificandum, etc. Atqui in his aliisque id genus incredibile est agnum, ovem, gallinam, etc., moveri ad tales actiones propter colorem vel odorem formamve corporis in objectis, quia sunt alia multa similia objecta, quorum apprehensio non determinat illa ad istiusmodi actiones. Ergo necesse est, ut in objectis illis apprehendant rationem aliquam convenientis, vel inconvenientis, amici vel inimici, sensibus externis impervias, quae propterea dicebantur a veteribus *insensatae:* id autem proprium est aestimativae (1).

---

(1) Nec latuit veritas haec veteres Philosophos, quorum sunt illi versiculi:

Nos aper auditu, linx visu, simia gustu,
Vultur odoratu, praecellit aranea tactu.

(2) Cfr. Compend., volum. 1.um, num. 322, paragr. *Sensus communis*..

(3) S. August., *Contr. epist. fundamenti*, cap. 17.

δ) **Habent memoriam;** nam addiscunt vias, et loca quaedam repetunt, ut columbae domum, apes alvearia; alia recognoscunt herum et benefactores, injuriarum et vexationum recordantur; alia cantilenas edocentur, immo et regi se sinunt, ac disciplinae atque educationis capacia fiunt (2).

Prob. 3.° a priori cum S. Thoma. Natura enim non deest in necessariis, tum quia id fere constat experientia, tum quia secus defectus refundendus esset in Deum, quod stare nequit cum mirabili ejus providentia. Atqui ad vitam animalis perfecti recte instituendam necesarii sunt sensus externi et interni. Ergo... (3).

Minor quoad externos sensus patet per se. **Quoad internos** vero facile probatur. Animalis discernere debet inter diversa sensibilia, ut eligat convenientia, fugiat adversa, quod spectat ad communem sensum. Debet etiam quaerere non solum praesentia, sed etiam absentia, non enim habet omnia semper in promptu: ergo eget imaginatione, quae repraesentet etiam quae non coram adsunt. Deinde sine memoria nec possent nidos et cubilia repetere, nec prolem post brevem absentiam recognoscere, nec benefactores agnoscere, nec capacia esse disciplinae. Denique cum careant ratione, indigent aestimativa vel instinctu, quae ratiocinium suppleat in iis, quae necessaria sunt ad bonum propriae vitae conservationemque speciei, quaerendo convenientia, vitando mala et nociva etiam ante omnem experientiam (4).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

39. **Objic. 1.°** Argumenta nostra non probant necessitatem praecise internorum sensuum. Nam praeter externos posset poni facultas altior, v. g., intellectus, qui praestaret unus omnia, quae multis internis attribuuntur.—**Respond.**, *neg.* assert. et adjunctam rationem, tum quia brutis non inest intellectus, ut inferius probabitur, tum quia

---

(1) Vide de S. Thom., opusc. *De potentiis animae*, cap. 4.

(2) Vide S. August., *De music.*, lib. 1, cap. 4, num. 8, Cfr. *Confession.*, lib. 10, cap. 1; et S. Thom., 1 p., quaest. 78, art. 4; et opusc. *De memor. et reminiscent.*, cum Aristotele, ibid.

(3) Haec fusius evoluta vide in opere fusiori, volum. 4, num. 198.

(4) Vide S. Thom., 1. p., quaest. 78, art. 4; quaest. *De anim.*, art. 13; opusc. *De potentiis*, cap. 4.

argumenta, quibus internorum sensuum existentia evincitur, probant existentiam potentiarum, objecta duntaxat concreta et singularia attingentium, quae profecto sunt ordinis sensitivi.

Objic. 2.° Intelligi nequit, quo pacto aestimativa suum cognoscat objectum. Ergo non est admittenda.

Respond., *trans.* anteced., *nego* conseq. Alia enim est quaestio facti, alia modi. Et saepe evidens est rei existentia, cujus tamen modus aut ignoratur, aut solum probabiliter potest cognosci. Caeterum quod ad modum operandi spectat, est magna varietas opinandi; alii contenti sunt speciebus impressis externorum sensuum, et per illas volunt etiam internos ad actum determinari; alii tenent necessitatem specierum specialium, quas *insensatas* vocant, sive ab externis sensationibus, sive ab illis simul cum objectis, sive a sensu quodam agente, sive a Deo productarum; alii malunt in brutis agnoscere species quasdam naturaliter infusas, quae ad praesentiam quorumdam objectorum externis sensibus perceptorum excitentur ad determinandam peculiarem aestimativae cognitionem. Probabilius solum datur imaginum associatio quae delectationem praebet et quae in finem utilem animali vel proli dirigitur inconscie, ut explicabitur agendo de instinctu.

Objic. 3.° Si motus, qui aestimativae tribuuntur, procederent a cognitione rationum aliquarum insensatarum, asserendum quoque brutis esset judicium quoddam. Atqui judicium est actus intellectus, quem nos ipsi negamus inesse brutis. Ergo... Praeterea si memoria pollerent, deberent cognoscere tempus; proprium enim est memoriae apprehendere res praeteritas, prout jam alias perceptas. Atqui cognitio temporis iterum arguit intelligentiam. Ergo...

Respond., **ad** 1.^{um}, *dist.* Major.: asserendum esset judicium formale, *neg.;* virtuale atque implicitum, quale sensibus etiam externis competit (1), *conc.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Respond., **ad** 2.^{um}, *dist.* Major. Si bruta memoria pollerent, deberent cognoscere ipsam abstractam temporis rationem, *neg.;* deberent cognoscere tempus in concreto, seu hoc concretum, rem hanc alias cum certa affectione grata vel ingrata perceptam, *conc.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 4.° Objecta sensuum internorum tandem sunt ipsa externorum objecta. Ergo si potentiae specificantur ex objectis, frustra invehuntur sensus interni ab externis distincti.—**Respond.**, *neg.*, anteced. Nam ad imaginationem spectant objecta sensuum externorum non solum prout praesentia hic et nunc, sed prout absentia, ad memoriam prout olim percepta, ad sensum communem prout diversimode subjectum afficientia, ad aestimativam prout convenientia vel nociva, amica vel inimica: quae profecto cum sint distinctae cognoscibilitates, distincta formalia objecta constituunt (2).

---

(1) Cfr. Compend. volum. 1.^{um}, num. 327.
(2) Quaedam alia in volum. 4.°, num. 190.

ARTICULUS III

Utrum bruta gaudeant intelligentia.

40. Affirmant post multos veteres (1) recentiores sensistae, materialistae, transformistae, et evolutionistae. Opinio vero saltem perfectioribus animantibus intellectum largiens plurimos nacta est asseclas inter Physiologos, ne ipsis quidem exceptis gravissimis viris, Cuvier, H. Milne-Edwards, Quatrefages et Flourens; quamquam ex his quidam mitius loquantur, ut Leroy, et Flourens, ac Quatrefages, qui negant brutis facultatem ratiocinandi, cognitionumque boni et mali moralis, religionis, et vitae futurae, alii forte quoad modum loquendi potius, quam quoad rem errare videantur, vel opinionem istam ex ignorantia christianae Philosophiae amplexatos fuisse credere liceat. Doctrina vero communis et veterum et recentiorum Philosophorum christianorum brutis negat intellectum; pro qua sententia laudandi sunt etiam egregii Physiologi, Isidorus Geoffroy de S.^{t} Hilare, J.-H. Fabre insignis entomologus, Henricus Joly, Georgius Surbled, Wasmann, aliique.

41. Porro ne sit ambiguitas in vocibus, nomine intellectus vel intelligentiae intelligimus eam potentiam immaterialem, quam postea homini asseremus et accurate describendam curabimus, quae α) se extendit ad objecta etiam immaterialia, β) et ipsa quoque materialia objecta immateriali, nempe universali et abstracto modo, repraesentat, γ) rerum causas et essentias investigat, δ) in se ipsum suumque actum reflectit, ε) ac tamdem judicia formalia pronuntiat, et formaliter ratiocinatur. Judicia formalia et ratiocinationes formales sunt illa, quorum structuram in Logica descripsimus (2): judicium nempe formale est actus, quo affirmamus vel negamus identitatem duorum conceptuum; et ratiocinium formale est actus, quo ex una veritate in alterius venimus cognitionem propter nexum et illationem utriusque. Judicium formale opponitur judicio *virtuali*, cujus capaces sunt facultates sensitivae; est enim actus apprehensionis, attributum vel qualitatem aliquam in subjecto concrete cognoscentis apte ad movendum ac determinandum appetitum; ut cum oculus videt colorem et lineamenta panis in objecto praesenti. Quamvis enim in ejusmodi actu non adsit formalis affirmatio vel compositio mentalis, qua ratio panis huic objecto asseratur, nihilominus adest *virtuale* et *exercitum* atque implicitum judicium, siquidem eo ipso quod aprehenditur hoc concretum sic coloratum, cognoscitur reapse panem esse, unde potest ex tali apprehensione panis appetitus excitari, et consequenter motus localis determinari ad illum arripiendum, non secus ac si formale ac verum judicium praecessisset (1).

---

(1) Quos vide in volum. 4.° num. 198. Cfr. bibliographiam et rationem recentem tractandi hanc thesim in Schanz-Koch *Apologie des Christentums*, Freiburg i. B. 1910, t. 1.°, pag. 355-433, Tier und Menchs.

(2) Cfr. Compend., volum. 1.^{um}, num. 121, 177.

42. Propositio.—**Bruta animalia non gaudent intelligentia.**

Prob. 1.° Characteres proprii cognitionis intellectualis, communissime agniti, sunt: α) attingere objecta immaterialia, rationemque honestatis, virtutis et vitii, religionis, moralis obligationis atque imputabilitatis: β) objecta ipsa materialia universali modo repraesentare, atque in proprios actus reflectere: γ) apprehendere mutuas, quae inter varia objecta intercedunt, relationes. Atqui nihil horum apparet in brutis animantibus. Ergo...

Major constat in primis ex communi sensu; deinde ratione, tum quia talis est natura et conditio intellectus nostri, tum quia spiritualis potentia est intellectus, potentia vero spiritualis, utpote independens a materia et corpore debet ad objecta immaterialia, et materialia immateriali vel universali modo percipienda se porrigere, nec impeditur in se suosque actus reflectere (2).

Minor probatur per partes: α) *quoad objecta immaterialia*, etc. Nullum signum prodiderunt unquam belluae cognitionis objecti spiritualis: si quod unquam observarunt adversarii, proferant illud. Idem dicito de sensis religionis, virtutis, obligationis moralis: unde nunquam distinguunt bruta inter locos et actus religiosos et profanos, omnesque lites dirimunt vi nec verentur aliorum aspectum vel in maxime pudendis.

Prob. Minor. β *quoad universales cognitiones* et *reflexionem in proprios actus*, primo quia nullum edunt signum talis cognitionis, ut modo dicebam, tum quia si eam haberent, essent quoque perfectionis et progressus capaces, non autem sunt, ut statim dicetur.

Prob. Minor. γ) *quoad relationum cognitionem* eodem modo, quia nullum est indicium ejusmodi cognitionis in brutis. Deinde relationes maxime obviae sunt causae et effectus ac medii et finis. Atqui has profecto non cognoscunt animalia. Ergo multo minus aliae abstrusiores. **Minor patet,** tum quia nunquam adhibent belluae instrumenta ad operandum, etiamsi videant hominem iis uti, tum quia etiamsi saepe molestissimos effectus patiantur, causam eorum non investigant, nec removent. Media vero aut non adhibent, aut consueta adhibent, cum mutatis adjunctis desinunt esse apta, aut demum si utilia adhibent, similia sunt eis quibus jocando passim utuntur. Exemplum primi casus habes in canibus et felibus qui quamvis sexcenties viderint in culina ignem admoto fomite ali, nunquam tamen languentibus flammis ullum remedium adhibent. Exemplum alterius casus habes in castore qui etiamsi captivus teneatur, colligit asseres ad exstruendum, quasi liber esset prope aquas. Exemplum denique tertii casus offerunt simii qui fructus eminus pendentes calamis aliis in alios insertis carpunt. Ipsi enim usum introducendi calamum in calamum non ignorant. Quidquid enim post experientiam externam associatio phantasiae representare valet, ante experientiam externam phantasia elementa jam percepta potest associare vi instinctus. Ex quibus infertur, si quando videantur animalia propter finem agere, id praestare non *formaliter*, sed pure *materialiter*, id est non intendendo, nec cognoscendo rationem finis et proportionem mediorum, sed omnino inconscie atque ex naturae instinctusve impetu.

---

(1) Haec omnia fusius dilatata reperies in volum. 4.°, num. 198.

(2) Cfr. haec breviter probata singillatim in vol. 4.°, num. 199, *Prob. 1.°*, et 4.° Postea vero directe tractabuntur, ubi de intellectus natura.

Prob. 2.° Alterum indicium intellectus est usus loquelae signorumque arbitrariorum ad sensa aliis manifestanda. Atqui nihil ejusmodi cernitur in brutis animantibus.

Major patet 1.° experientia, nam nulla est gens, quantumvis barbara, quae careat loquela, et ipsi infantes facillime ac quasi sponte naturae addiscunt parentum linguam.—**2.° Ratione**, quia cum norint homines, quot rebus indigeant, et quomodo possint aliorum consortio juvari, vehementer inclinantur ad aliorum societatem, ideoque vel inveniunt signa arbitraria, vel ab aliis inventa usurpant avidissime ad animi sensa mutuo communicanda.

Minor etiam patet, quia quamvis inter homines degant, animalia nunquam loquelam addiscunt, nec aliis utuntur signis, quam naturalibus, ut v. g., vocibus inarticulatis, gemitibus, latratu, ululatu, etcetera. Immo ea ipsa quae voces quasdam articulatas addiscunt, ut psittaci, manifeste produnt se illarum vim nullatenus percipere, sed tantum eas instar machinae repetere.

Prob. 3.° Aliud signum intellectus est perfectibilitas et progressus in scientiis et artibus, ut constat in humano genere. Atqui in brutis α) nullae sunt scientiae, nullae artes, nullus amor sciendi. β) Nullum inventum vel simplicissimum, nullus usus instrumentorum, quae alii invenerint. γ) Ipsa opera artificiosissima, quae nonnullae belluae efficiunt, ut v. g. favos mellis, araneorum telas, semper et ubique omnes eodem modo exsequuntur, nec eorum fabricam addiscunt disciplina, sed norunt ex naturae instinctu. Lege Buffonis aliorumve recentiorum descriptiones animalium, et compara illas cum Plinis Aristotelisve descriptionibus, et videbis nullum animalia progressum fecisse.

Prob. 4.° Intelligentiae comes individua est libertas arbritrii. Atqui ea carent bruta animantia. «Omnes enim vulpes subdolae sunt, omnes araneae ingeniosae et insidiatrices, omnes grues circumspectae, omnes lepores timidi, omnes leones magnanimi, omnes lupi praedatores, omnes apes industriae, omnes formicae providae. Itemque singulae species ex innata propensione certum habent modum operandi, a quo non deflectunt, ad certa opera, et non ad alia se applicant (1).» Unde etiam nemo ex communi sensu reputat bruta meriti vel demeriti capacia, nec vera entia moralia, nec suis praedita juribus.

Prob. 5.° Facta in speciem mirabiliora, ex quibus animalium intelligentia probari solet, rem non evincunt. Ergo...

Prob. antec. *α*) Illa ipsa animalia, quorum mirabiles et ingeniosissimae operationes praedicantur, extra genus illud vel lineam arctissimam suae industriae, insignia praebent stupiditatis et hebetudinis exempla: quod profecto non accideret, si pollerent intellectu. β) Si operationes et industriae brutorum probarent intellectum, probarent pariter hominem vel ab imperfectioribus animalibus intellectu superari, utpote qui nec studio nec arte potest pertingere, quo illa ex naturae dono perveniunt sive in sagacitate venandi et seligendi cibos, sive in medicinis adhibendis, sive in mansionibus sibi et prole aedificandis, etc., etc. Atqui manifeste absurdum est brutorum intellectum humano praestantiorem esse. Ergo hic omnino locum habere dicendum est illud proloquium: *Quod nimis probat, nihil probat.*

Plura, si cupis, vel haec ipsa enucleatius declarata, in alio opere require (2).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

43. **Objic. 1.°** Argumentatio nostra nihil evincit. Nam *α*) solum probat non esse in brutis intellectum humano similem. Atqui ex hoc non sequitur brutis non esse concedendum intellectum inferiorem, minus evolutum, restrictiorem atque adeo specifice distinctum ab humano; sicut enim ipse intellectus humanus imperfectior est angelico, ita nihil vetat dari alium ipso imperfectiorem. β) Sicut infantibus datur vere intellectus, quamvis initio non se prodat ullo externo indicio, et simile quiddam dici potest de *idiotis* et hebetibus; ita latere potest in animalibus nondum evolutus, ut immaterialia et universalia cognoscat.

Respond., *neg.* assert. **Ad probation.** *α*) *neg.* Majorem. Nam si natura potentiae dijudicanda est ex actibus et objectis, limitatio illa belluinae cognitionis ad materialia singularia et concreta, impotentiaque in se suumve actum reflectendi videtur omnino probare materialitatem vel dependentiam virtutis cognoscitivae a materia in essendo. Non ergo est jus fingendi novum genus intellectus, vel nomine intelligentiae designandi potentiam illam, quae et limitatione sua et dependentia a materia ostenditur valde diversa a veri nominis intellectu. Nec juvat exemplum intellectus angelici, nam ille, secus atque potentia cognoscitiva brutorum, convenit cum nostro intellectu in immaterialitate et in objecto adaequato ac terminativo, quamvis discrepet in proprio et proportionato; et praeterea eadem uterque actuum genera exercere potest.

---

(1) Conimbricens., *Physicor.* lib. 2, cap. 9, quaest. 3, art. 2. Cfr. S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 66, initio...

(2) Vide volum. 4.^{um}, num. 199 et Cfr. Wasmann. S. J.—«*Instinkt und Intelligenz in Tierreich*» (Freiburg i. B.) et plura ejusdem Wasmam scripta in «*Stimmen der Zeit*» et alibi.

Ad probation. β) *negatur* paritas infantium, quorum natura et facultates nondum sunt evolutae, et hebetum vel idiotarum, qui et pauci sunt, atque in statu anormali versantur, et solum ex organismi vitio mentalem evolutionem assequi non potuerunt. Quis autem probabiliter dicat nullum brutum adhuc post tot saecula justam obtinuisse facultatum evolutionem?

Objic. 2.° Ubi est prudentia et artes aliaeque virtutes, ibi est intellectus. Atqui brutis insunt haec; nam in apibus et formicis laudatur prudentia, in leone magnanimitas, in cane fidelitas...—**Respond.**, *dist.* Major.: ubi est veri nominis prudentia et artes caeteraeque virtutes, *conc.*; ubi sunt tantum ingenitae quaedam qualitates analogiam habentes cum virtutibus et artibus, *nego*. Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Nam in brutis nulla est libertas et electio arbitrii, ut proprias virtutes assequi valeant, nulla perfectibilitas, qua possint artes addiscere.

Objic. 3.° Bruta disciplinae capacia sunt, nam et vocem humanam edocta reddunt, et loquelam imitantur, et multa ludicra addiscunt, et spectacula exhibent et operationes arithmeticas computant. Accedit, quod signa naturalia capiunt, per quae saepe inter sese communicant, et sensa mutuo patefaciunt: quod videtur cognitionem intellectualem requirere.

Respond. ad 1.um, *neg.* conseq. Educatio enim brutorum tota nititur in associatione phantasmatum et imaginum pure sensibilium; labor enim belluas educandi huc tandem redit, ut certa series motuum actionumve, quam imitentur vel exsequantur, saepius repetatur, additis vel minarum vel dolorum timore ac voluptatum illecebris, quae imaginationi aut memoriae altius impressae, faciant illos eo pacto operari donec usum et facilitatem assequantur.

Respond. ad 2.um, *neg.* Minor. Ad naturalia enim signa et affectus ac sensa aliorum percipiendam sufficit facultas sensitiva, ad quam pertinet tota series passionum, utpote quae procedunt ex sensitivo appetitu.

Objic. 4.° Signum manifestum intelligentiae est objecta physice non existentia cognoscere. Atqui ea cognoscunt bruta. Nam α) matres lugent abstractos e nido pullos vel mortuos, β) saepe belluae praesagiunt futura, ut, v. g., tempestates.

Respond., *dist.* Major.; si id fiat cognoscendo motiva et fundamenta objectiva, *trans.*; secus, *neg.*

Ad probation. α) *neg.* conseq. Ad lugendos enim pullos amissos sufficit memoria sensitiva. **Ad probation.** β) *dist.* assert.; bruta praesagiunt tempestates vel generatim futura, cognoscendo eorum rationes, *neg.*, donec mihi probes; ex naturae instinctu, quatenus coeli vel äeris mutatione excitantur in eorum organismo quaedam impressiones, ex quibus ad certos quosdam motus, vel ad cantum, fugam, etc., determinentur, *conc.* Nec mirum est, homines hujusmodi impressionibus non moveri, sicut moventur belluae, quia cum sint ratione praediti, facilius eisdem dominari queunt; aliunde vero cum magis impliciti sint aliarum rerum curis et cogitationibus minus attendunt, nec tam acute persentiscunt externas impressiones. Quare facilius conjicimus futura ex motibus et externis animalium significationibus, quam ex immediata nostra perceptione atmosphaericarum modificationum.

Objic 5.° Non videtur animalibus deesse universalium cognitio itemque relationum. Primo enim cognoscunt non solum *hoc* individuum, sed *quodlibet* individuum speciei; sic ovis cognoscit non solum *hunc* agnum, filium suum, in individuo, sed quemlibet agnum vel ovem, ut ei se jungat, et fugit *quemlibet* canem vel lupum. Videtur ergo ovis ovem et lupum in universali percipere. Deinde cognoscunt bruta rationem utilis vel nocivi, ut cum avis quaerit paleas ad nidificandum, et fugit accipitrem, etc. Atqui hae rationes relationem important.

Respond., *neg.* asser. **Ad probation.** primae partis, *disting.* anteced.: bruta cognoscunt *quodlibet* individuum hujus vel illius speciei, propterea quod in quolibet reluceat similis ratio particularis et individua conveniens vel nocens sibi, *conc.*; propterea quod habeant in phantasia imaginem generalis alicujus rationis sibi convenientis aut nocentis, *neg.* Et *neg.* conseq. Nam ad hoc ut ovis, v. g., se jugat *cuivis* ovi, et fugiat *quemvis* lupum, sufficit, ut quaevis individua ovis et quivis individuus lupus simili modo percellat externum sensum, et simili modo determinet judicium virtuale (num. **41**) aestimativae, quo cognoscatur ovis ut amica, lupus ut inimicus.

Ad probat. secundae partis *dist.* assert.: cognoscunt rationem utilis et nocivi abstractam et reduplicative ut talem, *neg.*, concrete ac specificative, nempe rem quae est utilis et nociva, ac per instinctus judicium virtuale, *conc.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 6.° Multi occurrunt in brutis effectus et phaenomena, quae in homine procedunt ab intellectu. Ergo censendum est ea etiam in belluis ab intellectu procedere. **Prob. antec.** α) Bruta saepe conspirant ad unum communem finem per quandam societatem et laborum distributionem, ut constat in formicis et apibus, in quibus praeterea est regina et caput caeterarum. β) Cum bruta semel aut iterum experta sunt aliquid congruum vel nocivum accidisse sibi ex aliquo loco vel homine, frequentant, vel vitant illum hominem locumve, omnino sicut faciunt entia rationalia.

Respond., *trans.* antec., et *neg.* conseq., ob rationes in probationibus allatas.

Ad probation. α) respondeo id totum fieri absque ulla directione, auctoritate vel subordinatione, ex naturae impetu atque instinctu. **Ad probat.** β) dico, ad objecti phaenomeni reddendam rationem sufficere memoriam sensitivam et phantasmatum associationem.

Plura in alio opere (1), ubi etiam facta quaedam mirabiliora explicantur. Circa quae generatim nota, facta quaedam objici, quae non satis accurate observata fuerunt, immo et alienis interpretationibus completa, et ad falsum sensum detorta. Caeterum vix est factum quod non satis explicetur ex instinctu, ex usu sensuum externorum et internorum, cum consentanea facultate appetitiva, ex disciplina, usu et consuetudine, ex phantasmatum associatione, indeque consequente aliquali experientia, atque ex propensione ad imitandum actiones aliorum, quae quibusdam belluis inest, quin necesse sit ad intellectum recurrere; cum praesertim argumenta contraria sint manifestissima, ac talia omnino, quae vel in factis obscurioribus debeant nos a largiendo brutis intellectu deterrere.

---

(1) Volum 4.°, num. 200. Classicus auctor in tota hac tractatione sicut in sequenti est Wasmam, S. J., *Instinkt und Intelligenz in Tierreicht* (Freiburg i. B.), et in pluribus articulis Recensionum periodicarum.

ARTICULUS IV

De animalium instinctu.

44. Instinctum animalibus inesse fatentur omnes, in quo tamen ejus sita sit natura, arduum sane est definire. Nec vero cuncta, quae mira videri queunt in brutis, instinctui tribuenda sunt; habent enim memoriam, diversaque sociare possunt phantamasta et imagines, atque ita et experientiam quamdam assequi valent, habent propensionem imitandi aliorum opera, et actuum similium repetitione, sin minus proprium habitum, usum certe ac facilitatem operandi comparant: quo pacto arte atque opera hominis disciplinam aliquam capiunt, et educantur. Quare quae in brutis ex hujuscemodi causis procedunt, non sunt effectus instinctus. Character autem proprius instinctivarum actionum est: α) ut sint communes et uniformes in omnibus ejusdem speciei individuis, et β) ut ultro eliciantur ac necessario absque deliberatione ac consultatione, independenter ab omni experientia et disciplina vel memoria casus alicujus praeteriti: sic anas a prima die aquam petit, et innatat, et ovis lupum fugit, quamvis nunquam ejus feritatem sit experta. Quamquam instinctus, ubi concurrat praeterea experientia et disciplina, potest multum perfici.

Instinctus ergo definiri potest *facultas animantium propria determinans operationum quarumdam exercitium, quarum nec finis cognoscitur, nec ratio redditur ab operante.* Quae descriptio fuse declarata videri potest in alio opere (1), quamquam satis ex verbis ipsis perspicua est. Solum noto instinctum dici *proprium animalis*, quia non est in entibus cognitionis expertibus, et reperitur in omnibus animalibus, non vero quia excludendus sit penitus ab homine. Quamvis enim homini data sit ratio, adhuc non videtur deesse instinctus in aetate infantili et puerili, cum nondum vigilat ratio, et etiam in adultis, qui nequeunt uti ratione. Quod si quaeras, quaenam sit regio propia instinctus, seu

Circa quae operationum genera versetur instinctus, respondebo, circa duo, nempe circa ea quae respiciunt conservationem propriam individui et speciei; circa conservationem quidem propriam, quaesitis aptis cibis et vitatis iis, quae nocere vitae queunt; circa conservationem vero speciei, generando et curando aut educando prolem, donec ipsa sibi providere valeat.

45. Illud vero praecipue in controversiam vocatur, quid tandem rei sit instinctus, utrum sit aliqua ex jam memoratis facultatibus animalis, an vero aliqua diversa, et quaenam. Qua de re multae perhibentur hypotheses et opiniones. Primo enim α) quidam cum Gratiolet motus instinctivos volunt esse pure mechanicos vel automaticos, aut etiam ex eorum genere quos *reflexos* vocant. Hi proinde non requirunt cognitionem ad actus instinctivos. β) Wundt etiam arbitratur saltem ad primum impulsum non necessariam esse ullam imaginem aut cognitionem operis peragendi, sed solum excitamentum quoddam vel irritamentum *sensoriale* in organo externo receptum. et affectum motumve animi inde consequentem; quamvis ad majorem instinctus evolutionem ac perfectionem requirat phantasma et repraesentationem actus ponendi. γ) Alii contendunt facultatem actus instinctivos elicientem esse intelligentiam, ac proinde instinctum in intellectu constituunt. Alii δ) operationes instinctivas ex educatione atque experientia vel ex propensione ad imitandos aliorum actus repetunt. Evolutionistae ε) cum Lamarck, Herberto Spencer et Carolo Darwin existimant instinctum esse habitum quemdam haereditate posteris transmissum per generationem; quamvis alii aliter rem postea declarant. Omnes hae sententiae recentiorum magis explicatae ac singillatim refutatae prostant in latiori opere (1).

---

(1) Volum 4.°, num. 201, paragr. *Quaenam ergo est indoles...*

Inter veteres fuerunt, qui instinctu reponerent in qualitate quadam ab Autore naturae phantasiae superaddita, «quae sit velut ars naturalis brutorum»; volebant enim «typos quosdam seu imagines eis infundi, quae sint quasi ideae (vel repraesentationes) operum faciendorum» (2). Haec hypothesis haud inepte actus instinctivos explicat; ex eo tamen deficere videtur, quod non sit ita universaliter vera, ut nequeant explicari multi actus ejusmodi sine phantasmate vel typo faciendi operis perpetuo insidente belluinae phantasiae, Itaque

46. **Communior inter veteres veriorque** est sententia statuens instinctum esse ipsam aestimativam (n. 38, γ), quae naturali ac virtuali judicio cognoscens id, quod convenit vel nocet, consequenter determinat appetitum ad prosecutionem vel fugam aliamve consentaneam operationem. Haec est sententia S. Thomae in multis locis in fusiore opere laudatis, Eximii Doctoris (3), Conimbricensium (4), Joannis a S. Thoma (5) aliorumque, secundum quam proinde potentia instinctus est sensus interior, qui dicitur aestimativa; actus vero proprius est naturale judicium aestimativae dictantis convenire vel nocere rem vel actum aliquem, opera demum instinctiva sunt actus

---

(1) Volum. 4.° num. 202-207.
(2) Conimbricens., *Physicor.*, lib. 2, cap. 9, quaest. 4, art. 1.
(3) *Metaphys.*, disp. 23, sect. 10, num. 14.
(4) *Physicor.*, lib. 2, cap. 9, quaest. 4, art. 2.
(5) *De anim.* (3.ª pars *Philos natur.*) quaest. 8, art. 3, in respons. ad 3.ⁱ argumenti 2.ᵃᵐ partem.

vel motus ejusmodi judicio practico determinati medio appetitu imperante id, quod convenire aestimatur. Judicium ergo naturale aestimativae respondet judicio practico rationis, quo homo bonum propositum decernit amplecti, malum refugere; differt tamen ab eo, quia illud liberum est, et deliberationem cognitionemque rationum supponit, judicium vero aestimativae necessarium est, nec importat notitiam rationum, ob quas hic et nunc oportet hoc aut illud facere, sed ex impetu naturae profluit. Sic ovis, viso lupo, ex naturae determinatione absque ulla rationum consideratione judicat illum inimicum et vitandum, et consequenter arripit fugam; et avis tempore procreationis determinata est pariter impetu naturae ad colligendas paleas seriemque actionum ponendam, ut nidus construatur; et aranea cum plena est materia, unde filamenta educit, determinatur inconscie ac sine rationum deliberatione ad suam texendam telam.

Instinctus ergo est pro animalibus quod lex naturalis pro homine. Sicut enim lex naturalis est in homine participatio legis aeternae qua diriguntur actiones ex deliberatione positae in finem moralem, analogice instinctus est participatio legis aeternae in animalibus ad dirigendas eorum actiones utiles et necessarias sive pro eorum vita sive pro vita prolis.

Sicut lex naturalis in homine est in actu primo facilitas intellectus efformandi dictamina practica et universalia moralia: bonum est faciendum, malum vitandum; et in actu secundo sunt ipsa dictamina practica: Sic quoque instinctus seu lex naturalis in actu primo est pronitas aestimativae belluarum ad efficiendas associationes imaginum quibus dirigantur actiones externae utiles aut etiam necessariae ad vitam sive animalis sive prolis. Et in actu secundo sunt ipsae associationes quibus diriguntur actiones externae utiles pro bono animalis seu prolis appetitu ab eisdem excitato.

Animal quidem non cognoscit bonum utile quoad utile et quoad necessarium quamvis cognoscat quod est utile et necessarium: Appetit quidem quod est sibi utile seu necessarium, refugit quod est sibi nocivum, sed utrumque appetit sub ratione delectabilis vel horridi (1).

ARTICULUS V

De animalium appetitu et potentia loco-motiva.

Duas hasce potentias hic in unum articulum concludimus, tum quia valde inter se connexae sunt, tum quia brevissime nunc de animalium appetitu dicere intendimus, postea fuse acturi de utroque appetitu, sensitivo et rationali hominis.

---

(1) Cfr Lehmen-Bessmer. *Psychologie.* (Freiburg i. B. 1921), pag. 38 39.

I.—An bruta gaudeant appetitu sensitivo.

47. Appetitus generatim est propensio vel inclinatio rei in bonum; ac duplex distinguitur, ut alibi notatum reliquimus (1), *naturalis* vel *innatus* et *elicitus*. Non est hic sermo de naturali, qui rebus cunctis inest, sed de elicito, qui duplex est, sensitivus, consequens cognitionem sensitivam, et rationalis, quae *voluntas* dicitur, consequens intellectivam cognitionem. Cum autem demonstratum sit bruta carere cognitione ac potentia intellectiva, certum pariter est voluntatis vel rationalis appetitus expertia esse. Quare de solo appetitu sensitivo instituenda nobis controversia est.

48. PROPOSITIO.—**Brutis inest appetitus sensitivus.**

Prob. 1.° experientia. Bruta enim manifesta edunt signa, affectuum, amoris, odii, timoris, irae.

Prob. 2.° a priori. Quamlibet formam vel naturam sequitur proportionata inclinatio ad bonum sibi conveniens. Ergo naturam quoque cognoscitivam sequi debet inclinatio ejusmodi ad bonum, quod cognoscitur ut conveniens. Atqui bruta gaudent natura et cognitione sensitiva. Ergo...

Quod si quaeras, quamnam cognitionem sequatur appetitus, duplex cognitio hic distingui potest: *speculativa* et *practica*. Cognitio vel apprehensio speculativa est, illa quae rem considerat praescindendo ab ejus bonitate et convenientia, vel si eam ut bonam exhibet, non tamen ut hic et nunc appetibilem aut appetendam; practica vero quae rem repraesentat non solum ut bonam et convenientem, sed ut nunc appetendam. Et planum est, quod non quaevis cognitio determinet brutum ad actum appetitus, nam canis bene pastus, v. g., non appetit cibum, quem famelicus devorat; sed tantum cognitio proponens rem ut hic et nunc appetendam, quae propterea vocatur practica, quia determinat appetitus actum.

II.—An et quis sit motus animalium proprius.

49. Sermo est de motu locali, qui descriptus in *Cosmologia* est (2), ac duplex distingui potest, *mechanicus* et *immanens*. Mechanicum voco omnem motum extrinsecus impressum, seu cujus principium activum adaequatum est extra subjectum motum: hic

---

(1) Vide Compend. volum. 2.^{um}, num. 136.
(2) Cfr. Compend. volum. 3.^{um}, num 160.

communis est omni corpori, sive viventi sive non viventi, nec de illo nunc agimus. Motus immanens est ille, cujus principium, saltem inadaequatum, est in subjecto motu; non enim destruit rationem immanentis, quod possit excitatio aliqua extrinsecus provenire ad motum determinans, dummodo causa hujus adaequata non sit aliunde adventitia subjecto, sed vere procedat motus ex interna subjecti virtute. Motus immanentes alii sunt *naturales* alii *spontanei* vel *voluntarii* (1). Priores non procedunt ex praevia cognitione, spontanei vero vel voluntarii diriguntur a cognitione proponente bonum aliquod, cujus appetitione determinantur. Quaeritur itaque, utrum belluis insit motus localis immanens.

50. PROPOSITIO. -**Multi sunt in brutis animantibus motus immanentes, qui omnes ad duo genera jure merito revocantur, ad naturales videlicet ac spontaneos vel voluntarios; quamvis hi postremi sunt magis proprie ac formaliter animales.**

Prima pars: *Multi sunt in brutis animantibus motus immanentes*, probatur 1.° ex sensu omnium communi: unde etiam omnes passim ex motu immanenti secundum locum solent animalia a vegetalibus et inorganicis discernere. Idemque constat 2.° experientia; multos enim videmus in belluis motus immanentes sive in ordine vegetativo, ut v. g. motus cordis et respirationis, motus stomachi peristaltici et antiperistaltici, motus membranae mucosae, etc., sive in ordine sensitivo, ut motus, sensationem vel certe nerveam aliquam impressionem excitationemve consequentes, quo spectant omnes motus progressivi, quibus animal ab uno in alium locum se transfert, quaerens jucunda et convenientia, ingrata et nociva refugiens: exempla sunt in gressu pedestrium animalium, in avium volatu, pisciumque natatione.

Quamquam autem sint nonnulla genera, quae non se movent de loco in locum, ut spongiae, ostreae atque alia zoophyta, omnia tamen habent motum aliquem immanentem et spontaneum, quo se dilatant et constringunt, non pure automatice, sed etiam spontanee ex praevia aliqua perceptione atque appetitu, quemadmodum probat superius declarata indoles motuum animalium (n. **33**, *Prob. 3.°)*.

Dices, motus animalium excitamento aliunde proveniente indigere ut determinentur.—**Respond.**, *neg.* conseq. Quia excitamenta praedicta nullam vim motivam mechanicam imprimunt, sed tantum mo-

---

(2) Voluntarium ex communi Scholasticorum consensu dicitur quod procedit ab intrinseco cum aliqua cognitione; et quamvis magis proprie dici solet de eo, quod intellectivam cognitionem sequitur, extenditur etiam ad id quod sequitur sensitivam: unde etiam datur in brutis ex veterum loquendi modo.

vere solent intentionaliter, nempe media cognitione atque appetitione, vel certe si mechanice etiam movent, non est totalis et adaequata causa motus vis extrinsecus illata.

Secunda pars: *Omnes isti motus ad duo genera revocantur.* Nam motus non pure mechanici, sed ex interna virtute profecti, aut determinantur ab appetitu sensitivo, dirigente praevia cognitione, quae objectum bonum vel malum proponat, aut non. Si primum obtinet, motus sunt spontanei vel voluntarii. Sin alterum, naturales. Et sic motus ordinis vegetativi sunt naturales, spontanei autem saltem multi motus ordinis sensitivi.

Tertia pars: *Motus magis proprie ac formaliter animales sunt motus spontanei*, probatur. Illi enim motus maxime proprie dicendi sunt animalis, qui ab eo procedunt secundum modum peculiarem suae naturae. Atqui animal est natura sensitiva, cognoscitiva et appetitiva. Ergo motus qui ex cognitione et appetitu procedunt, dicendi sunt animalis maxime proprii.

III.—De motibus, quos vocant «reflexos» et «automaticos».

51. Motus *reflexi* dicuntur a recentioribus illi, qui receptam in organis externorum sensuum impressionem et ad centra nervea transmissam necessario consequuntur; impressiones enim quaedam in extremitate periphaerica externorum sensuum receptae, per fibras sensiferas vel centripetas ad nervea centra (cerebrum, medullam spinalem, vel etiam ganglia in invertebratis) deferuntur, quae mox quasi reagendo per fibras centrifugas seu musculares determinant in correspondente parte corporis localem motum. Unde motus reflexi dicuntur esse velut *responsa* quaedam externis excitationibus a centris nerveis data. Exemplis pleni sunt libri Physiologorum et Medicorum. Illa vero sunt cuivis familiaria. Si manu ferrum ignitum contrectes imprudens, extemplo illam retrahes, nulla praecedente deliberatione. Item si quod extraneum corpus mucosam nasalem vel membranam pituitariam excitaverit, ejusmodi organi sensibilis irritamentum illico provocat sternutamentum; et si in planta pedis vel inter costas titilleris, vix cohihere te poteris a motu, quantumvis coneris. Centrum reflexorum motuum Physiologi putant esse medullam spinalem.

Ad motus reflexos etiam revocant quidam actiones illas et motus, qui quamvis initio nonnisi ex imperio voluntatis magnaque animi attentione exerceantur, postea vero assuetudine atque habitu facillime peraguntur: in quarum numero continentur v. g. digitorum motus, quibus periti musici saepe, animo ad alia distracto, pulcherrimos sonant concentus. Verum motus ejusmodi perperam dicuntur reflexi, quippe qui omnino videntur esse voluntarii, ac visu vel memoria vel imaginatione animique aliqua licet tenui attentione regi.

Sunt multi, qui motus reflexos opponunt voluntariis vel spontaneis, voluntque illos nullatenus imperari ab appetitu. Id quod mihi valde dubium est, tum quia non desunt alii docentes dari reflexos motus, qui praesupponunt praevias sensationes (1), tum quia in quibusdam exemplis ita dicendum esse videtur, quamvis in multis aliis manifeste absit omnis influxus praeviae sensationis atque appetitionis. Illud tamen facile concedo, motus reflexos necessario poni, seu non libere imperari. Sicut etiam e converso iidem motus in homine non penitus eximuntur ab influxu liberae voluntatis, quae potest illos semel exortos plus minus cohibere, ut patet exemplo tussis vel stornuti, quod fraenatur, vel modificatur voluntatis imperio.

Motus reflexi dividi solent in *conscios* et *inconscios*, prout adsit vel non adsit eorumdem conscientia. Verum haec divisio non magni videtur momenti; quod enim quis habeat vel non habeat conscientiam motus, naturam hujus non mutat; et potest quis etiam motuum pure mechanicorum conscius esse, sicut conscius est ille qui curru vehitur, vel ex alto ruit. Quod autem motus procedat, vel non, ex directione praeviae alicujus cognitionis ac determinatione appetitus, varietatem inducit.

52. **De motibus automaticis** secundum recentiorum explicationem sufficiat dicere illos, licet sint ab intrinseco, non tamen procedere a cognitione atque appetitione, et sic opponi spontaneis vel voluntariis. Illi vero, qui omnes prorsus motus reflexos eripiunt ex influxu ac directione cognitionis et appetitionis, in hoc eos distinguunt ab automaticis, quod reflexi consequantur excitationem periphaericam, automatici vero ab interiore aliqua excitatione procedant. Exempla motuum automaticorum habes in cordis pulsationibus et in motibus respiratoriis inspirationis et exspirationis (2).

Quae cum ita sint, equidem puto motus hosce revocari ad unum ex duobus membris divisionis illius, qua veteres Philosophi motus ab intrinseco procedentes partiebantur in naturales et spontaneos, prout motus isti, quos Physiologi recentiores describere solent, cognitionem appetitionemve consequantur vel non.

---

(1) Cfr. Longet, *Physiologie,* tom. 3, pág. 231.

(2) Cfr. operis nostri fusioris, volum. 4.^{um}, num. 176, *Jam nullius est negotii;* et num. 177, *Verum quaeret quispiam...*

III.—De potentia motrice animalium.

53. Cum motus maxime proprius animalium sit spontaneus vel voluntarius, de potentia illius praelcipue hic agendum est. Quam triplicem esse notat S. Thomas et alii prisci Doctores, nempe *dirigentem*, *imperantem* et *exsequentem*. Motiva per modum dirigentis est cognitio, eaque phantasiae et aestimativae, in quantum appetitui ostendit formam vel objectum conveniens aut disconveniens, phantasia enim movet, ut ait S. Thomas, *ostendendo intentiones*, id est, proponendo rationem boni vel mali. Motiva per modum imperantis est appetitus per concupiscibilem et irascibilem: concupiscibilis enim imperat motum prosecutivum boni convenientis appetitu delectandi, irascibilis vero imperat motum repulsivum mali nocentis appetitu vindicandi aut vincendi. Potentia demum motiva per modum exsequentis est vis residens in musculis (1).

Quod necessaria sit ad motum spontaneum directio cognitionis, per se patet quia tendit ad bonum prosequendum fugiendumve malum, quod proinde prius proponendum est appetitui per cognitionem. Haec vero non debet esse speculativa, sed practica et efficax ad determinandum motum, talis autem non est, nisi quae rem proponit ut hic et nunc omnino appetendam prosequendamve aut fugiendam. Hujusmodi cognitio in brutis animantibus est repraesentatio imaginationis et aestimativae, cujus actus aut naturale judicium se habet respectu appetitus sensitivi *sicut se habet intellectus practicus ad appetitum voluntatis* (2), quia nimirum proprium ejus est cognoscere rem prout convenientem hic et nunc vel nocivam.

Experientia quoque potissimum in casibus anormalibus (aphasiae, apraxiae, etc. etc.), patet quam necessariae sint ad motus spontaneos imagines motum dirigentes, sive sint opticae, sive tactiles et cinesthesicae, sive complexus omnium. Dempta enim aut sopita imagine viae decurrendae, ambulari nequit, sicut loqui non possumus donec imago vocis proferendae in phantasia habeatur.

Hinc maxima utilitas motuum reflexorum, quibus in suo processu physiologico iam inde a pueritia et inter jocandum, non modo harmonia functionalis inter diversos musculos qui ad unum motum diversimode concurrunt, stabilitur, sed etiam quia per sensationes habitas in motibus reflexis reservantur in phantasia impressiones ad imagines motrices excitandas vi quarum motus spontanei haberi possint (1).

---

(1) Vide S. Thom., opusc., *de potent. anim.*, cap. 5; *de anim.*, lib. 3, lec. 15 cum Aristotele, ibid., cap. 10.

(2) Vide S. Thom., 2.º dist. 24, quaest. 2, art. 1 et 2; quaest. 1.ª *de virtut.*, art. 6; *de anim.*, lib.4, lect. 4 fin Cfr opus fusius, vol. 4.º, num. 209, paragr. *Prob. 2.º*, *Probatur Minor subsumpta...*

Appetitus etiam requiritur per modum imperantis, quemadmodum experientia ipsa notum videtur, quae ostendit motum spontaneum arripi vel boni assequendi vel mali fugiendi gratia. Ex appetitus autem imperio sequitur exsecutio motus, quae praeter virtutem ipsam motricem requirit habilitatem ad bonam membrorum dispositionem, qua deficiente, videmus saepe vel nullos edi posse motus, vel certe non satis aptos.

54. **Actus istos tres,** nempe *directionis*, *determinationis* aut *imperii* et *exsecutionis* motus distinctos esse nemo negat; fatentur etiam cuncti potentiam vel virtutem dirigentem distinctam esse ab exsequente; utrum autem haec prostrema realiter distinguatur ab imperante vel appetitu, disputatur inter Scholasticos. Capreolus, Cajetanus, Ferrariensis aliique volunt nullam dari activam virtutem, quae motum efficiat, ab appetitiva virtute distinctam re, sed ipsum appetitum active atque immediate motum exsequi, eumque proinde non effici a membris, sed recipi duntaxat, si recte sint disposita. Pro qua sententia plura adducuntur Aquinatis testimonia, quae videri queunt in alio opere (2). Verum non minus probabilis est opinio contraria requirens virtutem motivam ab appetitiva potentia re distinctam: quam post veteres quosdam tuentur Suarez (3), cardin. Toletus, Rubius, Collegium S. Thomae Complutense, Joannes a S. Thoma, etc., immo ipse Doctor Angelicus non uno in loco manifestissimis verbis (4).

55. PROPOSITIO.—**Potentia loco-motiva probabilius importat vim motum exsequentem re distinctam a potentia appetitiva.**

Prob. 1.° Appetitus non immediate localem elicit motum, sed tantum imperat. Ergo concedenda est active potentia distincta illum efficiens.

Consequentia patet. Probatur antecedens. Quia sicut appetitus membra ciet ad motum localem, ita etiam alias potentias movet ad suas actiones, v. g. intellectum ad cogitandum. Atqui nulla istarum postremarum actionum elicitur ab appetitu, sed a propria potentia. Ergo idem dicendum est de locali motu, donec contrarium efficaciter probetur, nempe imperari duntaxat ab appetitu, et effici per aliam distinctam virtutem.

---

(1) Cfr. E. Lindworsky. S. J., trad. por A. Menchaca. *El poder de la voluntad* (Bilbao, 1923), págs. 12-25. Ibero. S. J., *Elementos de Psicología empírica* (Barcelona, 1916), pás. 143 184, potissimum pág. 156.

(2) Volum. 4.°, num. 224, ubi etiam proponuntur variae rationes pro haec eadem opinione.

(3) Vide volum. 4,°, num. 225.

(4) *De anim.*, lib. 5, cap. 10.

Prob. 2.° Fieri potest, ac fit interdum, ut quamvis voluntas et appetitus cupiat, non possit exerceri motus: e converso saepe motus exercentur absque ulla mentis advertentia, et consequenter absque ullo appetitus imperio aut determinatione, prout constat in multis reflexis motibus et in omnibus naturalibus atque automaticis. Atqui ejusmodi motus profecto non efficiuntur per virtutem appetitivam. Ergo per aliam. Ergo saltem aliqua potentia motrix, ea nempe quae motus naturales seu non spontaneos aut voluntarios exsequitur, distincta realiter ab appetitu est: unde sequitur idem dicendum esse de omni potentia motiva exsecutiva, nisi velis absque cogente ratione diversas potentias motrices specie distinctas obtrudere.

Quaedam alia videri queunt in alio opere (1), ubi etiam solvuntur contrariae rationes, et ostenditur hanc fuisse veram Sancti Thomae mentem.

56. **Quodnam sit potentiae motivae organum.** Potentia motiva in animali non valet exerceri nisi mediis organis, organa vero sunt musculi cum nervis et centris, per quos motus oseae compagi, pelli, atque adeo membris ac toti corpori communicatur. Musculorum genera, anatomica structura, compositio chimica et modus operandi fuse descripta videri possunt apud Physiologos. Caeterum omnis motus animalis tandem peragitur musculorum contractione, in quibus proinde notanda est praecipue inter reliquas proprietates

Contractilitas seu ea proprietas, cujus ope contextus muscularis, quin prius dilatatus extensusve fuerit, contrahi vel constringi potest. Habet cognationem cum elasticitate, a qua tamen discrepat, non solum quia elasticitas latius patet, cum possit corpoream compagem tum constringere tum dilatare, sed etiam quia diverso modo se habet cum tendit ad constringendum; quia per elasticitatem corpora non constringuntur nisi ad normalem statum assequendum, quod non fit nisi prius dilatata fuerint et abducta per vim externam a sua quietis et aequilibrii positione, verum per contractilitatem fibrae musculares contrahuntur, quin prius per externam vim dilatatae fuerint vel extractae a sua quietis positione. Unde opposito modo se habet contractilitas et elasticitas; haec enim contrahit, ut corpus redeat ad statum quietis et aequilibrii, illa ut recedat a statu quietis. Ita ergo musculi ope contractilitatis sese contrahentes movent tum partes osseas, tum organa, quibus adhaerescunt, et sic tandem perficiuntur omnes motus, ut attente consideranti patet. Contractilitas porro est proprietas quaedam vitalis corporis, in cujus locum succedit in mortuo *rigiditas cadaverica*, quamquam durare potest contractilitas post mortem aliquantulum temporis, ut patet in corde, quod a corpore avulsum adhuc palpitat.

---

(1) Volum. 4.°. num. 226.

57. **Musculi non sese sponte determinant ad motum exequendum**, sed egent excitamentis, quae triplicis generis sunt, physica, chimica et physiologica vel vitalia. Chimica varia sunt; in physicis comprehenduntur mechanica, thermica et electrica; ad physiologica vero revocantur influxus voluntatis vel appetitus et actio nervea: unde ad motus spontaneos excitat solum influxus appetitus, sive rationalis sive sensitivi, necessarii tamen sunt nervi, ut motus ex appetitus imperio gignatur. Et quamquam olim disputatum fuerit, utrum virtus omnis motiva egeret nervis ad quemlibet motum, jam convenit inter Physiologos posse quoad aliquos motus non voluntarios remanere contractilitatem independenter a nervis, eamque posse per sola excitamenta physica et chimica in actum redigi.

58. **In quo sita sit defatigatio**. Musculi, dum actu operantur, non solum formam mutant indurescendo ac tumescendo, sed etiam chimicas patiuntur alterationes, in quibus acidum carbonicum gignitur, et portiones quaedam muscularis contextus deteruntur, ac *desassimilantur*, quae mox in venosum sanguinem confluunt, foras expellendae. Et quia musculi, dum actu laborant, nequeunt hisce veteratis materiae particulis statim purgari, peculiaris illa sentitur affectio, quae nomine *defatigationis* significatur, et requie solet paulisper evanescere atque affluxu sanguinis arterialis.

59. **Sunt qui contractilitatem videantur cum potentia loco-motiva confundere.** Ego vero puto contractilitatem bifariam sumi posse: passive atque active. Passive sumpta importat dispositionem quamdam musculi, ut possit contrahi, et sic distinguitur a virtute activa motrici. Active autem sumpta idem valet ac potentia vel virtus musculum contrahendi, et hoc pacto in idem videtur recidere, ac potentia loco-motiva. Hanc constat nutritione vigescere, ac cum vires fractae sunt, paulisper restaurari experientia novimus: eamdem connexam esse cum physiologica combustione diversarum substantiarum, ac praesertim *hydrocarbonatorum*, nempe adipis, faecularum, sacchari, etc., vel, ut aliis placet, cum combustione ac desintegratione substantiarum nitrogeno constantium, docent Physiologi. Combustiones istae physiologicae fiunt oxydatione praedictarum substantiarum, id est, combinatione earumdem cum oxygenio, quod per sanguinem arterialem in contextu musculari diffunditur, unde et calorem animalem gigni, et motivam vim atque energiam musculis enasci, aut certe accrescere docent naturalium scientiarum cultores (1). Postrema circa rem hanc controversia est,

---

(1) Sed de his omnibus cfr. modernas Physiologias-Annua recen-

60. **Quo pacto appetitus determinet potentiam ad motus spontaneos vel voluntarios,** nam jam innuimus ad motus naturales posse determinari per excitamenta physica et chimica et per nerveum influxum independenter ab appetitu; illud autem vere obscurum et misteriosum est, quo pacto ex appetitus determinatione vel imperio subsequatur motus. Plures Physiologi recurrunt ad excitationem aliquam, quae ex cerebro aliove centro nerveo derivetur in musculos. Verum haec explicatio insuficiens omnino videtur ad tantam motuum varietatem explicandam (1). Inter veteres duae perhibebantur sententiae: prima rem explicabat per influxum aliquem aut physicam efficientiam, qua potentia loco-motiva impelleretur ad actum suum exsequendum, quae sententia quoad rem in idem recidit, ac modo relata recentiorum Physiologorum.

At frequentior et probabilior veterum opinio imperium vel determinationem praedictam reponebant in sola *morali causalitate*, quam quidam etiam *sympathiam* vocabant, et per mutuam potentiarum consensionem ac subordinationen compendioso vocabulo explicabant (2). Cum enim facultates omnes animae harmonice inter se consentire debeant, loco-motiva vero potentia subordinata sit appetitui tamquam complementum quoddam animali ad bonum ejusdem inditum; ita reputanda est ex essentia sua constituta esse, ut non possit in actum prosilire modo animalis proprio, et non pure automatice, nisi posito efficaci appetitu, hoc autem posito, non possit non prosilire, et quidem eo pacto, quo, dirigente praevia cognitione, exoptat appetitus. Et quia motus sic a potentia exsecutiva procedens vere concipitur ut dependens ab appetitus placito, ideo dicitur ab illo moraliter causari et imperari, quamvis nullum ab eo physicum influxum vel concursum accipiat. Simili modo appetitus ipse sensitivus natura sua determinatus est ad appetendum, cum bonum hic et nunc conveniens per cognitionem sibi proponitur, quamvis ex tali propositione nulla ei physica praemotio imprimatur; et non potest aliter appetere. Caeterum ejusmodi moralis tantum causalitas, ab appetitu in motivam potentiam exercita, sufficit, ut motus sic determinati vere attribuantur appetitui; quare etiam diversam moralitatem induere possunt in homine pro diversitate actuum voluntatis eos imperantis. Doctrina haec, ut vides, tandem nititur sapientiae ac providentiae Dei, omnia in numero, pondere ac mensura dispo-

---

sio «Ergebnisse der Physiologie» uberrimos tractatus saepe saepius habet de musculorum Physiologia et de mutationibus chimicis unde energia derivatur.

(1) Vide, si lubet, id probatum in alio opere, volum, 4, num 229, paragr. *Quo ergo pacto...*

(2) Vide Suarez, *de anim*, lib. 5, cap. 7, num. 7; Lossada, *de anim*, disp. 9, cap. 6, num. 130, et cap. 2, num. 31 seqq.

nentis, qui potentiam loco-motivam sic constituit, ut in actum prosiliret tum, cum appetitiva potentia efficaci appetitu percupit boni alicujus obtinendi, malive declinandi gratia, id enim pertinet ad rectam constitutionem subjecti appetentis.

CAPUT III

DE NATURA BRUTORUM ANIMANTIUM

Explicatis operationibus et potentiis belluarum, plana nobis sternitur via ad naturam animae illarum definiendam.

ARTICULUS I

In quo reponenda sit specifica differentia naturae animalis.

61. Non agimus de ullo peculiari genere animalium, sed de nota characteristica eorum omnium, per quam ab omni vegetali distinguuntur.

Propositio.—**Differentia specifica belluinam naturam constituens, et ab omni vegetali generatim secernens, est sensibilitas: unde animal recte definitur** *vivens sensitivum.*

Probatur prima pars. Sensibilitas est differentia specifica regni animalis, si α) ea conveniat omni et soli animali, β) et spectet ad ejus essentiam, ac demun γ) nihil prius in propriis animalis constitutivis assignari queat, ex eoque omnia attributa et proprietates fluant. Atqui tria haec sensibilitati conveniunt.

Prob. Minor. quoad membrum α) Jam enim probavimus bruta sentire, plantas vero non sentire (1).

Prob. Minor. quoad membrum β). Nam est dos omnium praestantissima, quae animali conveniat. Et quamquam ipsa virtus sentiendi est accidens, at natura, unde talis virtus profluit, substantiam et essentiam animalis constituit, quae secundum gradum primi principii sentiendi majorem perfectionem importat, quam secundum primum principium vegetandi.

Probatur Minor. quoad membrum γ). Etenim sensibilitate prior est in bellua, secundum rationem, gradus viventis et vegetativi, sed hic communis est animali cum vegetali; at in animali, qua tali, nihil potest esse prius, quam sensibilitas vel ratio principii sentiendi. Ex qua facile intelligitur facultas appetitiva et locomotiva, quae propriae sunt animalis, illa quidem ad appetenda bona sensu cognita et proposita, haec vero ad illa apprehendenda. Ipsa demum diversitas structurae atque organismi ex natura sensibili consequitur in genere causae finalis, quia tota illa varietas est organorum conformatio ideo inest animali, quia illam postulat ejus natura, quippe quae talibus eget instrumentis ad sentiendum, appetendum, et localem motum exercendum.

---

(1) Cosmol. pag. 351.

Secunda pars propositionis non est nisi corollarium prioris, probatur autem, quia recta est definitio quae genere proximo constat et specifica differentia. Atqui talis est proposita definitio animalis. Ergo...

ARTICULUS II

Qualis sit anima brutorum animantium.

62. Quoniam omne vivens organicum anima constat et corpore, ad penitus introspiciendam naturam animalis oportet inquirere qualis sit ejus anima seu primum principium vitae. Qua de re duplicem errorem invenio inter Philosophos: primum eorum, qui belluinam animam nimium deprimentes, vel in aliquo tenuissimo corpore constituerunt, ut Baco a Verulamio, Gassendus et Maignanus, vel in organorum dispositione corporisque figuratione, ut Cartesiani, vel in transformatione aliqua virium materialium corporibus quoque inorganicis communium, ut materialistae atque evolutionistae. Alter est eorum error, qui animam belluinam contendunt esse spiritualem humanae similem, vel solum gradu quodam ab illa distinctam: in quibus recenseri queunt tum pythagorici, qui metempsychosim propugnaverant, arbitrantes, ut scribit S. Augustinus, migrationem animarum fieri *vel hominum in bestias, vel in homines bestiarum* (1), tum recentiores qui animantibus intelligentiam largiuntur, quamquam multi Physiologi sic opinantes, non videntur valde solliciti esse de animae natura definienda. Contra hos omnes uno ore Scholastici negant animam brutorum spiritualem, quamquam disputent, ut vidimus (in Cosmologia, n. **349-351**) utrum sit extensive simplex et indivisibilis. Denique quod modum originis et finem attinet, non desunt qui putent creari animas etiam brutorum, sicut humana (2), nec repugnare, ut post corporis fata superstites maneant (3). Veram et scholasticam doctrinam circa propositam controversiam continet sequens

63. Propositio.—**Anima belluina est forma formis mineralium plan-**

---

(1) S. August., *de Genes. ad litter.*. cap. 29. Cfr. *Contr. Adimant.*, cap. 12.

(2) Ita v. g. P. Tongiorgi, *Psycholog.*, nun. 84.

(3) Ita Jacobus Balmes, *Filos. fundam.* lib. 2, cap. 2, num. 17 seqq.

tarumque perfectior; non tamen proprie spiritualis aut immaterialis vel subsistens, sed materialis seu dependens a materia in existendo; una in singulis individuis, nec penitus simplex extensive, sed divisibilis ad materiae divisionem; non creata, sed educta de potentia materiae, quaeque, pereunte animali, naturaliter esse desinit.

Prima pars. *Perfectior est formis mineralium et vegetalium*, innotescit ex operationibus; mineralia enim carent omni operatione vitali, plantae vero sola gaudent vegetatione. At animalia non solum vegetant, sed praeterea sentiunt, quod genus operationum vegetativis praestantius est.

Secunda pars. *Non est proprie spiritualis vel subsistens, sed dependens a materia in esse*, probatur. De natura et perfectione substantiali formae judicandum est ex ejus operationibus externisque manifestationibus. Atqui nulla est in animali operatio independens a materia. Ergo et ipsa ejus anima in existendo a materia dependeat, necesse est. **Minor** vero ex superius probatis patet; quia cum bruta careant intelligentia, non habent operationem sensitiva excellentiorem; hanc autem organicam et materialem seu dependentem a materia esse demonstratum manet. Caeterum hic idem excludimus appellationem *spiritualis* animae in sensu proprio et communiter usitato in scholis, quia vox *spiritus* posset improprie ad belluinam animam extendi (1).

Tertia pars *de unitate animae* probata est jam generatim de omni viventi in *Cosmologia*, n. 381.

Quartam quoque partem *de animae divisibilitate* probatam alibi reliquimus in *Cosmologia*, n. 350-351.

Quinta pars. *Anima belluarum non creatur, sed educitur de potentia materiae*, probatur. Terminus creationis debet esse aliquid subsistens (2); formae vero non subsistentes, sicut a materia dependent in existendo, ita non nisi dependenter a materia fiunt, seu educuntur de potentia materiae (3). Atqui belluina anima non est subsistens, sed a materia dependens in *esse*. Ergo...

Sexta pars. *Pereunte animali naturaliter desinit esse anima belluina*, probatur. Forma quae nequit existere nisi dependenter a materia, perire debet, si desinat materiam actuare. Ergo brutorum anima nequit a materia separata existere, ac proinde non est immortalis. Praeterea forma quae nihil naturaliter operari potest, debet perire. Atqui anima belluina nihil potest operari separata a corpore;

---

(1) Vide S. Thom., 3.° dist. 2, quaest. 2, art. 1, solut 2.ª; *Contr. Gent.*, cap. 23, initio.

(2) Cfr. Compend. volum. 3.um, num. 57.

(3) Cfr. Compend. volum. 3.um, 245.

quandoquidem omnis brutorum operatio organica est. Ergo... Porro anima brutorum perit, non annihilatione, sed corruptione compositi.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

64. **Objic.** 1.° Anima belluarum est immaterialis. «Nam materia caret vi sentiendi et appetendi. Sed belluae sentiunt, et appetunt. Ergo anima belluarum non est materia: ergo est immaterialis (1).»—**Respond.**, *neg.* assert. Ad probation., caeteris *concessis, neg.* ultimum conseq. Mens quidem ita loquentis sana est, verba tamen non usurpantur secundum communem Scholasticorum consensum. Nam esse materiale vel immateriale non perinde sonat, ac esse materiam vel non esse materiam, sed existere dependenter a materia. Atqui anima belluina, licet non sit materia, existit tamen dependenter a materia.

Objic. 2.° Homo convenit in genere cum aliis animalibus. Sed hominis anima est subsistens. Ergo et anima animalium subsistens esse debet.—**Respond.**, *dist.* Major.; convenit genere, et discrepat specifica differentia, *conc.*, convenit etiam specifica differentia; *neg.*, et *neg.* conseq. Specifica vero differentia petitur ex substantiali forma in corporibus (2).

Objic. 3.° Posset Deus creare substantiam spiritualem, cui conveniat cognoscere atque appetere solum materialia et sensibilia. Ergo quamvis bruta solum materiali et organica cognitione atque appetitione gaudeant, possunt anima informari spirituali.—**Respond.**, *neg.* conseq. Neque enim nunc disputamus, quales Deus *potuerit* brutis animas, sed quales *dederit*, quantum per naturalem rationem assequi licet. Caeterum quod belluis non sit spiritualis anima, eruitur ex earum operationibus, quae non solum ex objecto earum materiali, sed ex aliis quoque capitibus organicae ac materiales deprehenduntur.

Objic. 4.° Anima brutorum est substantia simplex. Atqui anima simplex non potest ex aliquo produci, sed solum ex nihilo, seu per creationem. In nullo enim sensu concipi potest substantialis entitas simplex *ex aliqua* re produci. Non 1.° in eo sensu, ut illud, ex quo producitur, coalescat in ejus substantiam, secus enim haec desineret esse simplex: 2.° non in eo sensu, ut educatur ex subjecto; quod enim e subjecto educitur accidens est: 3.° non in eo sensu, ut substantia simplex extrahatur utcumque ex alia composita: nam quod extrahitur, jam ibi erat, ac proinde non incipit esse, nec recte dicitur produci: 4.° nec demum in eo sensu, ut extrahatur ex aliqua substantia simplici, cum enim haec careat partibus, nihil ex illa divelli potest (3).

Respond., *trans* Major, quamquam negari etiam posset intellecta de extensiva simplicitate; *neg.* Minor.

Ad probation. *neg.* assert., cujus probation. 1.am, 3.am et 4.am *concedo*, ac *nego* 2.am, quin valeat ratiuncula superaddita, quod enim e subjecto educitur, non est necessario accidens, sed potest esse substantia, et sic proprium est omnis formae etiam substantialis, ut educatur e materiae potentia (4).

---

(1) Ita P. Fernandez Cuevas, *Cosmolog.*, num. 99.

(2) S. Thom. 1 p., quaest. 75, art. 3, ad 1.um

(3) Ita fere ad verbum P. Tongiorgi, *Psycholog.*, num. 84. 3.° *Ontolog.*, num. 372.

(4) Vide Compend. volum. 3.um, num. 245, 3.°

Objic. 5.° Si anima brutorum non perit annihilatione, corruptione perire dicenda erit. Atqui anima corrumpi nequit; quod enim corrumpitur, compositum est, at anima non est composita, sed simplex. **Respond.**, *conc.* Major., *neg.* Minor., cujus probationem sic *disting.*: quod per se corrumpitur, compositum est, *conc.;* quod per accidens corrumpitur, *neg.* Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq.

Sicut non generatur per se forma corporea, sed compositum (1): ita nec per se corrumpitur forma, sed compositum ex materia et forma, forma vero dicitur corrumpi per accidens et ut *quo*, quia nempe naturaliter consequitur compositi destructionem. Cum enim compositum subsistere amplius nequit ob varias causas, quae materiam mutant, introducendo in eam dispositiones, quae aliam formam substantialem postulant; praecedens forma perire debet deficiente subjecto recte disposito, nam propter nativam suam dependentiam a materia, extra illam subsistere non valet (2). Quaedam alia in fusiore opere (3).

---

(1) Cfr. Compend. volum. 3.^{um}, num. 245, 4.°

(2) Cfr. Compend. volum 3.^{um}, num. 254-260.

(3) Volum. 4.°, num. 233.

LIBER II

PSYCHOLOGIA SUPERIOR

Aggredimur nobilissimam Psychologiae partem, quae hominem ejusque operationes, potentias, naturam investigandas assumit. Quare, spectata vocis origine, tractatio haec jure merito *Anthropologia* dici posset, quamquam nomen istud a recentioribus ad eam scientiam designandam contractum est, quae hominis locum et conditionem in rerum universitate considerat, ejusque varias stirpes et earum originem, propagationem per diversas mundi plagas, historiam, linguas, civilem cultum, religionem et socialem evolutionem, verbo, characteres physicos et morales humani generis tum in variis stirpibus, tum respectu habito ad alia inferioris ordinis viventia investigat. Oporteret ergo, ut haec a recentioribus dicta quasi per antonomasiam *Anthropologia*, utpote quae non est nisi major evolutio cognitionum, hominem respicientium, omnino subjiceretur, ac subordinaretur Psychologiae, ne in gravissimos, prout saepe fit, impingeret errores, eo sane graviores, quo principem inter omnes res hujus adspectabilis mundi naturam attingunt, et non raro cum ipsis revelationis et traditionis christianae fontibus confligunt. Verum animus mihi est nihil dissimulare, ut veritas in tuto collocetur.

DISPUTATIO PRIMA

De actibus psychologicis generatim inspectis, deque medio eos attingendi.

Ut rectus ordo in tractatione servetur, fundamentum totius Psychologiae bene statuendum est. Ideoque et cognitionis et appetitionis indolem psychologicam accurate declarare et conscientiam per quam cognitiones et appetitiones experimur, describere in hac prima disputatione intendimus.

CAPUT I

DE NATURA COGNITIONIS

Cognitionem, sive sensitivam sive intellectivam, omnes vulgo apprehendimus instar actus cujusdam medii inter subjectum cognoscens et rem cognitam, per quem aliquid nobis manifestatur. Cognitionem tamen non distingui a re cognita contendunt idealistae ac pantheistae transcendentales et quicumque negant objectivitatem nostrarum cognitionum: quorum sententias falsas esse alibi demonstravimus (1). Nec desunt qui cognitionem cum subjecti cogitantis natura identificent, idque nunc ante omnia videndum est.

ARTICULUS I

Utrum cognitio in creatis sit accidens subjecti cognoscentis.

65. **Sententiae contrariae.** Loquimur de creatis, quia in Deo cognitionem esse ipsam ejus essentiam, suo loco demonstrandum erit. Circa creata vero Cartesius opinatus est, quemadmodum extensio est corporis essentia (2), ita cogitationem vel cognitionem esse essentiam animae, vel certe considerari posse ceu modum vel attributum ab ipsa realiter indistinctum; unde logice conclusit animam non posse non actu cogitare, quia nimirum cogitatio essentiam illius constituit. Caeterum nomine cogitationis videntur Cartesius et ejus asseclae non solam intellectionem significasse, sed etiam volitionem atque appetitionem, et generatim omnes actus, quorum *conscientiam* habere possumus (3). Magistri sui doctrinam communiter sectantur Cartesiani (4), inter quos nuperus scriptor Franciscus Bouillier asserit animam *ab ipso conceptionis momento* adesse in foetu cum sua *conscientia* (5). Leibnitzius quoque ac leibnitziani (6)

---

(1) Vide Compend., volum. 1.um, num. 337 et 341; volum. 3.um, num. 43.

(2) Assertionem hanc falsissimam refutatam habes in Compend., volum. 3.°, num. 184, 194.

(3) Hanc sententiam fusius descriptam ex ipsis Cartesii testimoniis vide in alio opere, volum. 5.°, num. 34. Cfr. Franciscus Bouillier mox citandus.

(4) Vide Anton. Le Grand, *Institutio philosophiae*, etc., pars nona, art. 1, num. 10.

(5) Bouillier, *De la conscience en psychologie et en morale*, pag. 51.

(6) Wolf, *Psychologia rationalis*, sect. 1, num. 191; sect. 3, num. 613.

actualem cogitationem volunt esse attributum vel proprietatem essentialem animae, siquidem *monades* contendunt ab initio extitisse perceptione atque appetitione praeditas, qui actus ita serie continua procedant, ut semper posterioris perceptionis aut appetitionis ratio sufficiens in praecedenti contineatur. Huc quoque revocare licet sententiam Rosminii, et Tongiorgi, animae perennem, immo et essentialem, sui ipsius notitiam tribuentium, de quo inferius, ubi de sensu, quem dicunt *fundamentalem*, agendum erit.

Alio modo sectantur plures positivistae identitatem animae cum sua cognitione, dicentes cum Taine (1), animam non esse nisi ipsum complexum internorum phaenomenorum et cogitationum actuumque nostrorum.

66. PROPOSITIO I.ª **Actualis cognitio non est dos perenniter ornans animam, multoque minus eius essentia, sed actus accidentalis menti objectum aliquod manifestans.**

Prima pars: *Actualis cognitio non est dos perenniter ornans animam*, probatur 1.° experientia. Norunt enim omnes intellectualem operationem penitus cessare in lethargo, apoplexi aliisque id genus morbis. Praeterea infantes nullum praebent signum intellectualis operationis. Quod vero sensationes attinet, externae passim deficiunt, neque enim semper videmus, audimus, etc.; et sunt multi, qui uno alterove sensu carent per totam vitam. Interni etiam sensus non semper omnes exercentur. In somno denique, saltem saepe, videtur omnis cognitio, sive intellectualis sive sensibilis suspendi. Quod enim multi recentiores Physiologi docent, functiones cognoscitivas vel in somno nunquam intermitti, nondum potuit probari. Quod si dicas cum Wolfio, ideo in somno conscientiam non haberi cognitionum, quia obscuras duntaxat in mente versamus, rem asseris, quae sine idoneo argumento admittenda non est.

Dices. Dantur actus cognitionis prorsus inconscientes. Ergo experientia probari nequit animam non semper actu cogitare.—**Respond.**, *trans.* antec., *neg.* conseq. Ex eo enim quod interdum dentur quaedam cognitiones, quarum non habeamus conscientiam, nullatenus sequitur animam esse in perpetuo actu cognitionis.

Prob. 2.° ratione. *α*) Certum est animam hominis non semper velle, non semper videre, etc. Ergo aeque certum esse debet posse animam non intelligere. **Prob. conseq.** argumento analogiae, quia omnes cognitiones et operationes pari modo procedunt ab anima mediis potentiis accidentalibus realiter distinctis (2). Ergo non est ratio, cur quaedam actuum genera perenniter exerceri debeant, alia vero non. β) Non datur operatio, ubi non dantur omnia praerequisita necessaria ad operandum. Atqui possunt non dari, nec porro dantur interdum, omnia praerequisita ad cogitandum. Sane potentiae organicae praerequisitum necessarium est atque essentiale organum, idque recte dispositum. Atqui non raro organum sensus corruptum est, aut certe prorsus indispositum, id autem verum est, non solum de organo externo, sed etiam de interno. At deficiente sensatione, saltem interna imaginationis, impossibilis est in hac vita intellectio, ut patet in lethargo. Ergo... γ) Cartesiana sententia supponit animae ad intelligendum praesto adesse ab initio ideas vel species innatas. Atqui sententia haec falsa est, ut inferius demonstrabitur. Ergo...

---

(1) Passim in opere, *Philosophes clàsiques du siècle XIV.*ᵉ, caput *de methodo*; et *De l'intelligence*, préface et lib. 3, chap. 1.

(2) *Cosmologie*, pag. 328.

Itaque circa perennem animae cogitationem hoc unum rationabiliter dici potest, animam, ubicumque adsunt omnia praerequisita ad cognoscendum, sive sensitive sive intellective, cognoscere reapse.

Secunda pars: *Cognitio non est essentialis animae*, probatur 1.° ex praecedenti parte, quod enim est rei essentiale, numquam potest abesse. 2.° Si cognitio identificaretur cum anima, non possent dari plures inter se distinctae cognitiones, nam quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Atqui, teste conscientia, dantur in nobis plures actus cognitionis. Ergo... 3.° Nullus est actus individuus cognitionis, qui dici vere possit essentialis. Ergo non est de animae essentia cogitare. **Patet conseq.**; quia impossibile est cogitare nisi aliquo individuo actu cognitionis. **Antecedens vero probatur**, quia si quis esset individuus actus essentialis, non posset ille ab anima abesse; nullus autem actus individuus cognitionis perenniter et ineluctabiliter adest praesens.

Dices cum Cartesianis, aliud esse cogitationem vel cognitionem, et aliud *hanc* vel *illam individuam* cognitionem: cognitionem ergo essentialem esse, non autem hanc praecise aut illam, sed aliquam. —**Respond.**, *nego* assertionem, quae continet puram hallucinationem. Cognitio enim vel cogitatio in genere non datur, sed tantum individua, ejusque individuatio solum ratione distinguitur ab universali ratione (1). Ergo si nullus actus individuus cogitationis est essentialis animae, nec cogitatio in genere dici potest essentialis. Simili modo probavimus alibi, ubicationem non esse rei essentialem (2); et constat figuram nullam esse quantitati essentialem, quamvis ea esse sine aliqua figura non possit.

Tertia pars. *Cognitio est actus accidentalis objectum aliquod manifestans*, sequitur ex praecedente. Nam si cognitio est actus quidam ab animae essentia distinctus, aut est substantialis aut accidentalis. Atqui non est substantialis. Ergo...

---

(1) Vide Compend., volum. 2.^{um}, num. 111, 112.
(2) Vide loc. nup. cit., num. 426.

Consequentia patet, quia non datur tertium inter substantiam et accidens (1). **Minor** vero probatur, tum quia sentimus intime cognitionem esse affectionem quamdam nostram; tum quia si esset cognitio actus substantialis, esset vel actus per se subsistens vel informans. *Atqui non est actus subsistens* aut separatus, quia tum non esset phaenomenum aut affectio nostra, nec intelligitur quo pacto nos ipsi conscii rei alicujus per eam essemus: *nec est forma informans*, quia tum esset vera forma substantialis. At quid, quaeso, informaret ejusmodi forma? Non materiam seu corpus nostrum, quia jam informatur ab anima, et propterea experimur eam esse in anima ipsa. Non animam, quia tum anima converteretur in materiam primam, et compositum aliquod substantiale constitueret cum cognitione: quod inauditum et absurdum est cogitatu. Ergo...

67. **Objic.** 1.° Potentiae cognoscitivae, utpote necessariae in operando, non possunt non agere, ubi adsunt omnia praerequisita. Atqui anima, saltem ad se ipsam cognoscendam perenniter habet in promptu omnia praerequisita, nempe potentiam intellectivam expeditam et proportionatam, et praeterea objectum praesentissimum. Ergo...

Respond., *neg.* Minor., et probation. *dist.;* habet objectum physice praesentissimum, *conc.;* intentionaliter seu modo accommodato, ut ad actualem moveat cognitionem, *subdist.;* pro statu separationis a corpore, *trans.;* pro praesenti unionis statu, *neg.* Et *neg.* conseq. Anima per se est intelligibilis, et perenniter intelliget se, prout est in se, in statu separationis; at in praesenti vita certum est, undecumque proveniat impedimentum, animam non posse cognoscere se, prout est in se, nec omnino directe, sed tantum mediis suis actibus, prout causam et subjectum eorumdem.

Objic. 2.° In entibus simplicibus idem est esse atque agere. Atqui anima humana est simplicissima. Ergo... Accedit, quod substantia definiatur ens agendi virtute praeditum.

Respond., *neg.* Major., donec probetur. Aliud enim est *esse* et aliud operari. Utque res sit, non aliud requirit nisi, ut sit terminus actionis causae suae; at ut agat, debet habere in promptu omnia praerequisita ad operandum, quae profecto non identificantur cum essentia rei, et possunt deficere. Ad illud vero quod adjungebatur, dico ita quidem a Leibnitzio substantiam definiri (2), sed non recte; deinde vero ex eo solum quod substantia virtute praedita sit, non sequitur essentiam substantiae in actione positam esse, tum quia virtus agendi a substantia distinguitur, tum quia virtus ipsa agendi potest actu carere, nisi adsint omnia praerequisita ad operandum necessaria.

Objic. 3.° Si mens non perenniter cogitat, a statu cogitationis ad statum *incogitantiae* transibit, et vicissim. Atqui id impossibile est. Nam si possibile foret, fieret vel ex ipsa mentis natura, vel ex vi alterius causae. *Non e animae natura*, quia nulla substantia suapte natura transire potest ab actione ad inactionem, nec ab inactione ad actionem. *Non ex vi alterius causae.* Illa enim vel esset Deus, vel corpus, sive proprium sive alienum. *Et corpus quidem non potest* esse causa, cur anima transeat a statu cogitationis ad ejusdem carentiam, et vicissim, quia cum sit immaterialis, intelligi nequit, quo pacto moveri a corpore possit ad cogitandum, vel avocari a cogitatione. *Nec etiam Deus*, tum quia non est absque necessitate confugiendum ad Deum, ut res naturales explicentur; tum quia si opera Dei anima non cogitaret, aut sentiret, aut vellet, reapse desineret esse, siquidem in re simplici, sublatis hisce actibus, quid supersit, non intelligitur.

---

(1) Cfr. Compend., volum. 2.$^{\text{um}}$, num. 271.

(2) Cfr. Compend., volum. 2.$^{\text{um}}$, num. 285, 286.

Respond., *neg.* Minor. Ad probation., in primis *nego* disjunctionem, novimus enim experientia, vel per liberam voluntatem posse animam a quibusdam actibus cessare.

Deinde dico rationem, cur possit cessare anima in suis actibus, potissimum repositam esse partim in ejus natura, partim in corpore, quod informat, prout jam explicatum reliquimus. Cum enim sit forma corporis, non potest in unionis statu operari etiam spiritualiter nisi cum dependentia a corpore et a sensibus; sensus vero nequeunt operari, nisi organum sit sanum et recte dispositum. Ex defectu ergo conditionis alicujus vel praerequisiti necessarii, possunt in anima deficere operationes, quae postea iterum resumentur, ubi aderunt praerequisita.

Objic. 4.° Anima intellectiva ex natura sua vivens est. Atqui vita in actione posita est, actio autem viventis intellectivi est intellectio. Ergo si anima vivens est, non potest non actu intelligere.

Respond., *disting.* Major. Vivens est substantive atque in actu primo, *conc.*; in actu secundo, *neg.* Et *contradist.* Minor. *neg.* consequens.

Objic. 5.° Anima humana ad imaginem Dei creata est. At quis imaginem Dei agnoscat in pura cogitandi facultate? Ergo anima perenniter cogitat.

Respond., *dist.* Major.: ad imaginem perfectam Dei, *neg.*; imperfectam ac deficientem, *conc.* Et *contradist.* Minor. *neg.* consequentiam (1).

II.—Quale accidens sit cognitio, et quodnam eius subiectum.

68. **Accidens potest esse absolutum et modale** (2). Quod si quaeras, utrum horum sit cognitio, respondendum videtur, illam non esse merum modum, sed accidens absolutum. Quia cognitio non est pura determinatio subiecti cognoscentis, sed objecti cogniti repraesentatio et imago, ut mox probabitur; non autem satis concipitur, quo pacto anima cognoscens induere valeat imaginem objecti sicut cera induit figuram per merum sui modum vel modificationem, nisi media entitate actus superaddita. Idque magis patet ex supernaturalibus actibus intellectus et voluntatis, quae non possunt concipi instar modorum, sed instar formarum accidentalium, entitatem propriam habentium. Inde vero probabiliter infertur idem sentiendum esse de naturalibus intellectus et voluntatis actibus, atque adeo de cognitione generatim.

69. **Quod subiectum recipiens cognitionem attinet**, primo dubitatur, utrum cognitio recipiatur in potentia cognoscitiva, an vero solum in anima vel substantia cognoscente. Ac dicendum videtur potentiam accidentalem, licet sit virtus productiva cognitionis, non tamen illam in se recipere. Et ratio est, quia cognitiones sunt vita in actu secundo; at vita in actu secundo illius propria est, quod

---

(1) Quaedam alia in fusiore opere, num. 36, ubi haec eadem magis explicantur.

(2) Cfr. Compend, volum. 2.um, num. 338, 2.°, num. 118 et 371.

proprie vivit in actu primo. Atqui sola substantia vivit in actu primo potentiae autem sunt accidentia substantiae viventis. Ergo... Simili modo species et habitus, quamvis effective concurrant ad actum cognitionis, non tamen illum in se recipiunt, nec proinde proprie dicuntur cognoscere, quia ut quis dicatur cognoscere, debet non solum *efficere*, sed etiam *recipere in se* cognitionem.

Dices. α) Si sola substantia esset cognitionis subjectum, non recte diceretur oculus videre, et intellectus intelligere: et tamen passim dicitur. β) Cognitiones sunt actus potentiarum cognoscitivarum. Ergo in illis recipiuntur. γ) Cognitio est actus immanens, qui in eo subjecto recipiendus est, a quo producitur. Atqui producitur a potentia. Ergo...

Respond. ad α), *nego* primum, quia oculus non est potentia videndi, sed organum informatum anima cum sua visiva virtute. Ad alterum *disting.* Major.: intellectus, sumptus pro anima intellectiva, non recte diceretur intelligere, *neg.*; intellectus sumptus pro virtute intellectiva, *concedo.* Et *contradist.* Minor.

Respond. ad β) *dist.* antec.: sunt actus potentiarum, id est, effective procedentes ab illis, *conc.*; id est, subjectivi recepti in illis, *nego*, donec probetur.

Respond. ad γ) *dist.* Major. Actus immanens debet recipi in ipso subjecto *quod* seu supposito, a quo procedit, *conc.*; in ipsa parte vel potentia, a qua utcumque efficitur, *subdist.*; si sit perfectissime immanens, *conc.*; secus, *nego.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq. Si jam quaeras,

Utrum cognitio recipiatur in substantia cognoscente, distinguendae sunt cognitiones organicae, nempe sensitivae, ab inorganicis. Hae postremae, seu intellectivae, recipiuntur in sola anima spirituali, quia si reciperentur in materia, eo ipso dependerent in *esse* a materia, ideoque fierent materiales seu desinerent esse spirituales. Circa operationes autem sensitivas non una est scriptorum opinio. Alii eas in sola anima, alii in solo corpore vel materia recipi arbitrantur; Thomistae autem et plerique nostrates, ut refert Lossada (1), probabilius contendunt sensationes in composito tamquam in subjecto recipi.

70. Propositio 2.ª **Actus cognitionis materialis seu sensatio recipitur in toto composito seu subiecto sustentationis.**

Quod enim in materia recipiatur, manifestum videtur, quia sensatio est operatio materialis et organica, quae existit in corpore modo extenso, ut experientia ipsa innotescit. Atqui si recipitur in materia, etiam ab eadem sustentatur in *esse;* tum quia efficitur etiam cum intrinseca dependentia ab organo, nec est proinde tantae perfectionis, quae nequeat ab eadem sustentari in *esse*; tum quia si materia in *esse* sustentat belluinam animam, a fortiori poterit sensationem, quae imperfectior profecto est.

Dices. Si materia reciperet sensationem, denominaretur sentiens, siquidem forma nequit communicari subjecto, quin tribuat illi suum effectum formalem. Atqui materia non denominatur sentiens.

Respond., *dist.* Major.: denominaretur sentiens, id est, notitiam habens objecti, *neg.*; id est, concurrens per virtutem animae ad sensationem efficiendam, *conc.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Non enim quilibet formalis effectus communicatur subjecto a forma, sed ille solum, cujus est capax; at notitiae objecti non est capax nisi anima, quae radix et principium est potentiae cognoscitivae.

---

(1) *De anim.*, disp. 4, cap, 5, num. 94.

Quod vero sensatio recipiatur in anima, probatur 1.°, quia denominatio sentientis, et generatim cognoscentis, desumitur non ex sola effectione, sed potissimum ex receptione sensationis et cognitionis. Atqui anima certissima dicitur sentire. Ergo sensatio in anima recipitur.

Minor patet ex sensu communi. **Major probatur**, quia voces *sentire, cognoscere*, simpliciter prolatae, important actionem immanentem et vitalem respectu subjecti, quod *sentiens* et *cognoscens* denominatur. Atqui actio immanens ex suo conceptu exigit inhaesionem receptionemque in eodem subjecto, a quo efficitur. Ergo denominatio sentientis desumenda potissimum est ex receptione sensationis. Hinc quamvis Deus concurrens cum potentia efficiat sensationem, nequit denominari *sentiens*, nec species et habitus, quamvis physice cognitionem producant, denominantur *cognoscentes*.

Prob. 2.° Imaginatio et sensatio interna, quae bonum appetitui proponunt, debent in anima recipi. Ergo sensatio omnis in anima recipitur, nam omnes sensationes sunt ejusdem ordinis et conditionis.

Prob. antecedens. Nam cum *nihil sit*, ut ajunt, *volitum, quin praecognitum*, anima nequit determinari ad bonum appetendum, quin ipsamet illud cognoscat. Atqui anima non cognoscit, vel non habet notitiam boni appetendi, nisi actum cognoscendi in se recipiat, siquidem hic est praecise formalis effectus cognitionis, reddere subjectum actu cognoscens, quem effectum formalem non praestat sola productio cognitionis sine receptione. Ergo anima debet in se recipere sensationem internam objectum appetendum proponentem.

71. **Objic. 1.°** Sensatio est materialis. Ergo nequit recipi in anima. **Prob. conseq.** α) *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*. Cum ergo anima humana sit spiritualis, nequit in ea recipi actus materialis, sicut e converso actus spiritualis nequit recipi in subjecto materiali. β) Cum sensatio sit extensa, si reciperetur in anima rationali, eam extensam redderet. γ) Caetera accidentia materialia in sola materia probabilius recipiuntur media quantitate. Ergo idem dicendum de sensatione. Eo vel magis, quod sicut anima per virtutem visivam in sola materia receptam redditur proxime potens videre, ita non apparet, cur per actum visionis in sola materia receptum, non possit reddi actu videns. δ) Si sensatio in anima reciperetur, posset etiam existere in anima separata, et sic posset haec sine corpore sentire. ε) Si anima sit subjectum partiale sensationis, posset etiam esse adaequatum, non enim ad hoc obstare potest ejus imperfectio, ut patet nec perfectio, quia si perfectio animae obstaret receptioni sensationis, nec posset esse subjectum partiale.

Respond., *dist.* conseq.: sensatio nequit recipi in anima ut in subjecto adaequato, *conc.*; partiali, *nego*.

Ad probat. α) *neg.* conseq., quod non recte colligitur ex antecedente: secus nec accidens recipi posset in substantia, nec anima rationalis in corpore. Sensus ergo effati non est, quidquid recipitur debere esse ejusdem rationis et conditionis, ac recipiens, sed hic alius: 1.°, debere proportionem aliquam intercedere inter recipiens ac receptum, et 2.°, formam receptam se accommodare aliquo modo indoli subjecti recipientis. Jam vero 1.° inter animam, quae licet sit spiritualis, est etiam simul vere sensitiva et sensationem adest profecto proportio. 2.º Sensatio etiam se accommodat indoli subjecti, dum enim extenso modo ac per partes recipitur in materia, tota recipitur in eadem simplici entitate animae. Nec adest paritas inter sensationem et actum spiritualem accidentalem, qui non potest recipi in subjecto materiali: quia si reciperetur, eo ipso redderetur dependens in *esse* a materia, nempe fieret materialis; at sensatio, etiamsi recipiatur in anima spirituali, dummodo sit etiam in materia ut in subjecto, non desinit esse materialis.

Ad probat. β) *neg.* assert., quia forma recepta non debet suam conditionem tribuere subjecto, nec alios effectus formales, quorum non est illud capax; anima vero simplicissima incapax est extensionis, quam proinde nequit sensatio animae tribuere.

Ad probat. γ) *neg.* conseq. quia nec in caeteris accidentibus nec in ipsis potentiis organicis militant speciales rationes superius adductae pro sensatione, quia per potentias non vivit anima proprie ac formaliter, sicut per sensationem, nec illuminatur vel intentionaliter excitatur ad operandum, sicut excitatur ad appetendum per operationem sensus interni.

Ad probat. δ) *neg.* sequelam, quia sensatio cum sit organica, saltem naturaliter organi concursum requirit, et unionem animae cum materia praesupponit.

Ad probat. ε) *nego* pariter sequelam. Vera autem ratio, cur anima non sit adaequatum sensationis subjectum, est imperfectio non ipsius animae, sed sensationis, quae, utpote organica, pendet in *esse* a materia.

Instabis. Si anima est subjectum sensationis, debet esse adaequatum; quia secus pars tantum sensationis reciperetur in anima et pars in materia, vel eadem sensatio in duplici subjecto reciperetur, accidens autem unum idemque nequit in duplici subjecto recipi.

Respond., *neg.* assertum et probationem, tota enim sensatio recipitur in anima et tota in materia, licet in anima modo simplici, extenso autem in materia. Nec vero anima et materia sunt duo subjecta, sed unum tantum, ex duplici principio substantialiter unito coalescens.

Objic. 2.º Si anima foret subjectum sensationis, etiam esset nutritionis. Atqui anima, saltem humana, non est subjectum nutritionis, secus enim vere nutriretur.—**Respond.**, *neg.* Major., quia rationes, quibus probatur sensationem in anima recipi debere, non valent pro nutritione, quae proinde in sola materia videtur recipi secundum generalem subjecti accidentium legem (1).

ARTICULUS II

Utrum cognitio sit objecti similitudo intentionalis.

72. Status quaestionis et sententiae. Ostensa reali distinctione cognitionis ab anima ceu accidentis a subjecto, cui inhaeret, proprius accidendum est ad determinandam naturam ejusmodi accidentis, circa quod materialistae indignissime opinantur. Nam veteres atomistae, Leucippus, Democritus, Epicurus et Lucretius Carus cognitionem reponebant in receptione *idolorum* vel *simulacrorum*, aut *imaginum* quae velut subtilisimae membranae ex corporibus abrasae, quaquaversus volitent, animum vero per organa subeuntes, reddant cognoscentem. Recentiores materialistae nihil videre videntur in cognitione praeter meram transformationem operationum materiae communium: unde principium correlationis vel aequivalentiae naturalium virium ad omnem cognitionem, sive sensitivam sive intellectualem, extendunt, quamquam alii mechanicam, alii chimicam aut etiam physicam explicationem praeferant. Chimicis enim reactionibus cognitionem assimilant, qui cum Cabanis, Carolo Vogt, etc., eam secretioni succi gastrici ad concoquendos cibos, vel secretioni bilis vel phosphorescentiae comparant: mechanicis vero actionibus illam adscribunt, qui cognitionem cum Hartley, Priestley, Büchner, Wiener et aliis in nervea vibratione motibusve molecularibus cerebri reponunt; per physicas demum actiones cognitionem declarant, qui nolunt in ea aliud agnoscere praeter quamdam tensionem electricam (1). Verbo, materialistae nihil reperiunt in cognitione, quod ad vires et operationes materiae corporeae communes non possit reduci, et sic Tyndall (2) rationem ultimam *nobisque imperviam* phaenomenorum cogitationis reposuit in *vita cosmica*, cujus nomine nihil aliud reapse videtur intelligi nisi motus atomorum materialium, qui diversimode transformatus omnia mundi phaenomena gignat sub forma caloris, lucis, electricitatis, affinitatum et actionum chimicarum vitaeque, sive vegetativae, sive sensitivae, sive intellectualis. Adversus insanam istam opinionem insurgunt caeteri Philosophi communissime, ita tamen ut Scholastici cognitionem velint esse imaginem quamdam intentionalem objecti, quod multi recentiores cum Reidianis concedere renuunt, solam largientes cognitioni rationem symboli objecti.

---

(1) Quaedam alia in opere fusiori, num. 38, 39.

73. PROPOSITIO I.ª **Cognitio est actus immanens objectum aliquod formaliter subjecto suo manifestans, ideoque vitalis quaedam est similitudo et imago sui objecti, subjectum ipsum cognoscens objecto cognito assimilans, et quodammodo cum eo identificans. Cognitio itaque transcendit ordinem omnium virium et operationum naturae corporeae communium.**

Prima pars continet definitionem cognitionis, et constat ex praecedenti articulo, ubi probatum est eam esse accidens animae objectum aliquod manifestans. Ideo nunc definitur actus, nempe accidentalis, nam de cognitione creata loquimur, quae cum non sit animae essentia, non potest esse nisi actus quidam ejus accidentalis. Dicitur *immanens* contra veteres atomistas qui eam penitus extrinsecus impresam autumabant; patet autem eam ex fundo propriae activitatis proficisci, et in eadem anima unde procedit, recipi, probatum est (n. **70**) et sic esse actum vitalem non extrinsecus advenientem, sed vitaliter expressum ab anima. Unde passim cognitio a S. Thoma in exemplum actionum immanentium adducitur (1). Dicitur *objectum aliquod subjecto manifestans*, ut distinguatur a reliquis omnibus operationibus, quae nihil menti manifestant, vel certe non manifestant *formaliter*, seu per hoc quod in anima recipiantur ceu actus vel formae illius. Nam quamvis actiones quaedam aliquid manifestare valeant animo, at manifestant solum *objective*, sicut quaelibet res a mente cognita, potest ei ope ratiocinii aliquid aliud manifestare. Sed cognitio manifestat *formaliter*, quia est praecise forma mentem rei alicujus consciam reddens, vel rem manifestans sicut calor est forma rem calidam constituens et quantitas quantam.

---

(1) Ab his reapse non discessit Taine, cum statuit (*Intelligence*, liv. 4, chap. 4) cognitionem esse internam faciem *(le dedans)* phaenomeni physici et chimici nerveorum centrorum.

(2) In sua *Dissertatione academica*, ann. 1784, pag. 8 et 100.

Quare cognitio est actus quidam essentialiter *objectivus* vel *relativus*, unde a Physiologis inter functiones *relationis* recensetur, quia est actus objectum aliquod referens vel repraesentans, et cognitio quae in hoc sensu non esset *objectiva* et *relativa*, pugnat in terminis.

Secunda pars probatur 1.° auctoritate ac sensu communi Philosophorum Theologorumque cum SS. Augustino, Anselmo et Thoma (2). Suarezii vero est illa vox: «In primis supponimus *de ratione* intellectionis, immo et cognitionis, esse, ut per quamdam assimilationem intra mentem intelligentis fiat. Hoc fundamentum videtur esse veluti dogma et principium in Philosophia et Theologia communi sensu receptum, et ab experientia acceptum» (3). Quod principium multi Theologi adhibent ad explicandum, cur Verbum divinum, secus atque Spiritus Sanctus, sit et vocetur Filius, eam reddentes rationem, quia videlicet Verbum «procedit per intellectum, et intellectus processio est quaedam assimilatio seu repraesentaio» (1). Quamobrem divinum Verbum peculiari aliqua ratione dicitur *imago et figura substantiae Patris* (2).

---

(1) Vide v. g. 1 p., quaest. 18, art. 3, ad 1.^{um}; quaest. 54, art. 2; quaest. 85, art. 2; *Contr. Gent.*, lib. 1, cap. 45, lib. 2, cap. 4; *de potent.*, quaest. 10, art. 3. ad 1.^{um}; *de verit.*, quaest. 8, art. 6, etc.

(2) S. August. *(De Trinit.*, lib. 11, cap. 2; *Confess.*, lib. 10, cap. 10 et 15; *De Genes. ad litter.*, lib. 12, cap. 12 et 16, epist. 162, alias 101); S. Anselm. *(Monolog.*, cap. 23 et 31); S. Thom. (1 p., quaest. 14, art. 1; quaest. *De anim.*, art. 13; *De verit.*, quaest. 1, art. 1, quaest. 2, art. 2 et art. 3, ad 9.^{um}; *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 60, *Adhuc, scientia est assimilatio*, etc., etc.)

(3) Suarez, *De angelis*, lib. 2, cap. 3, num. 7. Cfr. *De anim.*, lib. 3, cap. 2.

Prob. 2.° ex praecipua cognitionis dote, quae est veritas. Nam veritas logica communiter explicatur per adaequationem et conformitatem cognitionis cum objecto; nec aliter falsitas declaratur nisi per difformitatem, in eo sitam, quod cognitio non repraesentat rem fideliter, prout est in se. Atqui conformitas et adaequatio similitudinem aliquam involvit, nec videtur posse aliter explicari. Ergo... (3).

Prob. 3.° Inter ideas exemplares in mente artificis relucentes et opus arte factum nemo certe negaverit similitudinem intercedere, quandoquidem opus illud, totum quantum est, exemplar suum imitatur, ejusdem in se imaginem referens. Atqui cognitio ejusmodi *practica* non differt intrinsece atque in objecto repraesentando a cognitione speculativa, qua quis entitatem cujuslibet rei mente relegit, et contemplatur, sed tantum extrinsece, quatenus quae practica dicitur, ad operis fabricam dirigendam ordinatur. Ergo...

Prob. 4.° Certum videtur, nos in cognitionibus reflexis et per memoriam reproductis imagines ac similitudines rerum mente gerere. Sic effigiem quamdam animo impressam retinemus parentum, amicorum, etc. Unde etiam cum nobis objicitur tabula picta alicujus, quem noverimus, eam vel laudamus ut typo suo conformem, vel ut difformem reprobamus. Atqui actus isti reflexi habent pro objecto cognitiones et phantasmata rerum olim directe producta. Ergo haec similitudinem quamdam gerunt cum suis objectis.

Caeterum cognitio creata non est objecti similitudo qualiscumque, sed *imago*, utpote causata quodammodo ab ipso, ope specierum intentionalium; imago enim supra meram similitudinem addit rationem originis ab eo quod repraesentat (4). Quae cum ita sint,

Quicumque actus cognitionis in se videret, cognosceret in illis objectum, sicut qui effigiem Caesaris intuetur, potest exinde Caesarem cognoscere (5).

Tertia pars sequitur ex praecedente. Nam sicut figura impressa marmori marmor assimilat prototypo, cujus actuatur imagine, ita actus cognitionis in animo receptus eumdem objecto assimilat. Et quemadmodum cerae frustum, pro varietate formarum eidem impressarum, modo convertitur in equum, modo in hominem, etc., et sic dicitur equus, homo, etc., nempe per similitudinem; ita etiam anima cognoscens fit quodammodo ea omnia, quorum imaginibus ornatur per cognitionem (1).

---

(1) Suarez, *De angelis*, loc. nup. cit.

(2) S. Paulus, *Coloss.*, cap. 1, vers. 15; *Hebr.*, cap. 1, vers. 3.

(3) Cfr. tamen conceptum falsum veritatis in pragmatistis. Lege, verbi gratia, pulchram tractationem, *De Wahrheitsbegriff des Pragmatismus*, nach William James apud W. Switalski, *Problem der Erkenntnis*, I (Munster i W. 1923, pag. 21-51), et K. Oesterreich, *Die relativische Umbillung des Kritizismus in Ueberwegs Grundriss der Geschichte der Philosophie*, 11.ª edit. Berlín 1916, t. 4.°, pag. 398-405.

(4) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 35, art. 1. Cfr. Compend., volum. 4.um, num. 96.

(5) Haec magis declarata videri queunt in opere fusiori, volum. 5, num. 42.

Cognitio ergo importat relationem transcendentalem ad objectum, subjecto autem tribuit praedicamentalem, utpote non essentialem eidem, sed tantum contingenter advenientem ex ipso cognitionis actu.

Postrema pars est contra materialistas, nec indiget reapse probatione. Sane nihil est in omnibus materiae communibus phaenomenis, sive mechanicis, sive physicis, sive chimicis, quod cognationem habeat cum cognitione (2).

Sane cur in tanta motuum, actionum physicarum et chimicarum varietate nunquam ocurrit vel levissimum indicium cognitionis in universa natura inorganica, immo neque in vegetali? Quid est hisce actionibus commune cum assimilatione atque imagine objecti propria cognitionis (3)? Quod vero ait Taine, cognitionem esse internam faciem actionum physicarum et chimicarum, videtur indigna philosopho puerilitas. Itaque sint sane, quamdiu cogitamus vel cognoscimus, vibrationes actionesque physicae ac chimicae in cerebro, verum enimvero cognitio non in iis sita est, non est omnino vibratio, nec effectus actionis physicae, nec chimicum productum, sed actus prorsus diversus, qualis nobis consciëntiae testimonio innotescit, similitudo et imago vitalis objecti.

74. PROPOSITIO 2.ª—**Praedicta similitudo, qua tum actus cognitionis, tum ipsa anima cognoscens objecto cognito assimilatur, est convenientia vel conformitas aliqua non** *naturalis* **aut secundum** *esse* **ipsum reale ac naturale, sed** *intentionalis* **seu secundum repraesentationem.**

Declaratur, et probatur prima pars. Similitudo quae convenientiam vel communicationem in forma importat (4), dicitur realis ac naturalis, quando versatur circa ipsum *esse* vel physicam entitatem rei. Maxima est ea, quae sita est in convenientia *ejusdem numericae*

---

(1) Vide Aristot., *De anim.*, lib. 3, cap. 8, text. 87; S. Thom., ibid., lec. 23, init.

(2) Mox agentes de cognitione sensitiva argumenta contra materialistas dabimus; et suo loco spiritualitatem intellectus vindicabimus.

(3) Id fatentur ipsimet materialistarum primipili, ac nominatim Tyndall, apud Salis Seevvis, *Della Conoscenza sensitiva*, pag. 298; et du Bois-Reymond, *Die Grenzen des Naturerkenntniss*, S. 37, 6 ^{te} Aufl.

(4) Cfr. Compend. volum. 2.^{um}, num. 105.

naturae, ac solum versatur inter ineffabiles personas SSmae. Trinitatis; succedit similitudo eorum, quae conveniunt in *eadem specifice* aut *generice natura*, sequitur ea quae importat convenientiam secundum realia accidentia, et potissimum secundum qualitatem, et haec postrema in stricto vocis sensu similitudo vocatur.

Hac sola declaratione patet per se similitudinem cognitionis propriam non esse ejusmodi. Quis enim adeo vecors fuerit, qui putet asini cognitionem asinum esse, vel cognoscentem convertere in asinum? etc.

Probatur secunda pars. Sicut enim hominis lineamenta, color, quantitas aliaque id genus attributa physica et realia *repraesentantur* in tabula picta vel statua, quin reproducantur in ea secundum physicam illorum entitatem; simili modo per cognitionem vitaliter exprimitur ab anima objecti cogniti repraesentatio secundum totum illud, quod hic et nunc per talem cognitionem attingitur. Haud dissimili modo statuae ac tabulae pictae similitudinem gerunt cum objectis non secundum *esse* naturale, sed tantum secundum repraesentationem.

Peculiaris haec cognitionis cum objecto similitudo vocatur *intentionalis*, sicut quidquid ad cognitionem spectat, generatim appellatur intentionale, ac cognitio ipsa dicitur intentio (1), quia videlicet per cognitionem mens *intendit* in objectum, ut illud apprehendat, et ad se quodammodo trahat, illud in se velut in imagine referens. Quamquam *intentio* non solum dicitur de cognitione, sed etiam de appetitione ac volitione, quae appetit finem. Verum hoc interest inter utramque, quod intentio cognitionis respiciat verum, et vitalem objecti expressionem manifestationemque contineat, intentio autem voluntatis respiciat bonum, ejusque possessionem realem quaerat.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

75. **Objic. 1.°** Nullae sunt imagines odorum, saporum, sonorum et qualitatum tactilium. Ergo non omnis cognitio imaginem et similitudinem importat.

Respond., *disting.* antec.; nullae sunt istarum rerum similitudines per modum colorum aut figurarum visualiumve imaginum, *concedo*; alio modo, *neg.* Immo vero etiam spirituum dari possunt imagines, unde homo secundum animam creatus est ad *imaginem* ac *similitudinem* Dei, ac Deus omnium prorsus rerum creatarum ideas exemplares mente gerit, perfectissime similes illis.

Objic. 2.° Qualitates sensibiles consistunt in puro motu. Atqui nulla viget similitudo motum inter et sensibiles repraesentationes. Ergo illae non possunt esse imagines, sed solum signa quaedam vel symbola.—**Respond.**, *neg.* Major., quam nondum potuerunt probare atomistae (1).

---

(1) Cfr. Compend. volum. 1.um, num. 41, 409.

Objic. 3.° Si cognitio esset similitudo et imago objecti, aut per actum cognitionis cognosceremus solam hanc similitudinem, aut eam simul cum objecto, cujus refert imaginem. Primum horum adducit ad idealismum, alterum contradicit conscientiae testimonio, quo docemur nos objecta ipsa immediate cognoscere, quin advertamus ad ipsum actum cognitionis, qui dicitur illorum imago.

Respond., *neg.* Major., quia datur tertium, ut nempe objecta cognoscamus immediate in se ipsis non advertentes actum cognitionis, in quo tamquam in expressa imagine relucent, prout conscientia testatur.

Objic. 4.° Si vera foret haec sententia, nos objecta cognosceremus media illorum imagine, non autem immediate in se ipsis. Atqui cartesiana, eaque falsa, opinio est, objecta non cognosci a nobis immediate in se ipsis. Ergo...—**Respond.**, *dist.*, Major. Objecta cognosceremus in imagine tamquam medio objetivo seu *in quo*, ita ut prius imago in se cognosceretur, et postea objecta, *neg.*; in imagine tamquam medio subjetivo seu *quo*, ita ut imago in cognitione prima ac directa non videatur in se, sed tantum sit forma nos reddens ac denominans actu cognoscentes, *conc.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. (2).

ARTICULUS III

Corollaria et axiomata ex praecedenti doctrina collecta.

I.—Quaedam axiomata cognitionem respicientia.

76. COROLLARIUM .1um *Intelligibile* vel *intellectum in actu est intellectus in actu,* et: *Sensibile in actu est sensus in actu.* Quia intellectus actu intelligens induit similitudinem rei intellectae, ac sic quodammodo fit unum cum eo. Et similiter sensus.

COROLLARIUM 2.um *Cognitum est in cognoscente, non quidem secundum* **esse** *reale, sed secundum* **esse** *intentionale.* Nam cognitio est in cognoscente, objectum vero est etiam aliquo modo in cognitione, sicut terminus repraesentatus in imagine repraesentante. Praeterea si cognoscens fit quodammodo idem cum re cognita, nempe ratione similitudinis, fieri nequit, quin ea quae cognoscuntur sint aliquo modo in cognoscente. Planum porro est, quod objectum non sit realiter in cognoscente, sed solum secundum repraesentationem, ideoque secundum *esse* intentionale. Hinc actus cognitionis exprimitur per verba illa *apprehendere, capere, percipere, mente comprehendere, tenere, retinere, venire in mentem, elabi memoria,* etc., quae omnia eamdem prae se ferunt sententiam, nimirum cognitam rem esse quodammodo in cognoscente.

Caeterum *esse* intentionale quod res cognitae habent in cognoscente, nihil reale atque intrinsecum addit rebus ipsis. Quemadmodum enim effectum contineri virtualiter in causa non significat effectum potiri aliqua existentia sibi propria et intrinseca, sed tantum ad esse causam capacem tribuendi *esse* illi rei, quae nondum actu est; ita etiam rem cognitam esse in cognoscente intentionaliter vel objective, non significat rem illam novum aliquod *esse* reale et intrinsecum nancisci, sed hoc solum, illam esse terminum cognitionis, illam repraesentari per actum cognitionis, illam cognosci. Eadem enim realitas actus cognitionis, quae subjectum denominat cognoscens, denominat objectum cognitum; haec tamen denominatio respectu cognoscentis subjecti est intrinseca, utpote desumpta ex actu qui in eo recipitur ceu accidens illius, at respectu objecti cogniti est denominatio extrinseca, quia nihil novum affert objecto actus, quo cognoscitur (1).

---

(1) Cfr. Compend. volum. 3.um, num. 216.
(2) Quaedam alia in opere fusiori, volum, 5.°, num. 43.

Corollarium 3.^{um} *Res materiales habent in intellectu* **esse** *immateriale:* unde etiam *res omnes creatae in Deo cognoscente habent* **esse** *nobilius* et *perfectius*, et *in hoc sensu verius*, *quam in se ipsis* (2). Ratio primi est quia *esse* quod res habent in intellectu cognoscente, est ipsum *cognosci* earum; seu actus cognitionis. Atqui hic est immaterialis vel spiritualis. Secundum vero patet quia *esse* rerum creatarum in Deo cognoscente est ipsa Dei cognitio, quae, utpote identificata cum Dei essentia, est *esse* infinitum, purissimum et perfectissimum.

Corollarium 4.^{um} *Cognoscentia in hoc a non cognoscentibus discriminantur, ut praeter suas proprias formas possint etiam formas et perfectiones aliarum rerum vitaliter recipere, utique secundum* **esse** *intentionale.*

Probatur. Cognoscentia a non cognoscentibus distinguuntur per virtutem cognoscendi. Atqui virtus cognoscendi, ex dictis, est praecise potentia recipiendi formas perfectionesque rerum, quae cognoscuntur, secundum *esse* intentionale, siquidem per actum cognoscendi res cognita est in cognoscente secundum imaginem ac repraesentationem. Ergo... Hoc pacto cognoscentia majorem perfectionis amplitudinem supra non cognoscentia obtinent, immo et infinitatem quamdam attingere dicuntur, quatenus nata sunt fieri quodammodo omnia (3).

Corollarium 5.^{um} *Cognitio semper importat perfectionem subjecti cognoscentis.* Nam cognitio imprimis nullam aliam perfectionem corrumpit in subjecto, cum non sit ulli contraria; deinde vero est vinculum conjungens rem cognitam cum cognoscente, ac medium intentionaliter possidendi perfectiones ac formas rerum aliarum. Atqui comparare formas aliarum rerum sine detrimento propriae perfectionis procul dubio perfectionem importat. Ergo... (4).

Corollarium 6.^{um} *Radix cognitionis est immaterialitas.* Verum hoc principium non videtur immediate evidens, ideoque declaratione indiget.

---

(1) Haec fusius exposita et vindicata ab objectionibus habes in alio opere, volum. 5.° num. 44, 45.

(2) Vide S. August., tract. 1.° *in Joann.*, super illa verba: *Quod factum est, in ipso vita erat.*

(3) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 14, art. 1; quaest. 80, art. 1; *De verit.* quaest. 2, art. 2. Cfr. cardin. Tolet., in 1.^{am} part quaest. 14, art. 1, quaest. 2; et card. Cajetan. in commentar. ejusdem loci Sanctae Thomae.

(4) Haec fusius declarata et quaedam alia reperies in latiore opere, volum. 5, num. 44-52.

II.—Utrum principium cognitionis debeat habere aliquam immaterialitatem, radixque cognitionis stet in immaterialitate.

77. Affirmat saepe S. Thomas (1), cui adstipulantur cardin. Cajetanus, Ferrariensis, Bañez, Molina, cardin. Toletus, Didacus Ruiz de Montoya aliique multi. Prima autem fronte principium istud videtur verum non esse; nam bruta animantia profecto cognoscunt, et nihilominus anima informantur materiali. Quomodo ergo immaterialitas potest esse radix cognitionis.

Ad quaestionis solutionem nota, immaterialitatem importare abstractionem quamdam seu purificationem a materia; et sumi potest vel stricte pro spiritualitate aut independentia in existendo a materia, vel latius pro elevatione quadam supra materiam et supra conditionem corporibus omnibus communem tum in formis recipiendis tum in modo agendi.

78. Propositio 1.ª – **Licet immaterialitas stricte accepta pro spiritualitate nequeat dici ratio, cur subjectum sit cognoscitivum; nihilominus omnis cognitio, etiam sensitiva necessario vindicat in suo principio ac subjecto aliquam immaterialitatem, saltem latiorem, sive elevationem supra communem materiam.**

Prima pars patet in brutis animantibus, quae sensili gaudent cognitione, quin tamen anima stricte spirituali informentur.

Secunda pas per se constat relate ad cognitionem intellectualem, quam et proprie spiritualem esse, et potentiam stricte spiritualem requirere dein probandum est.

Probatur autem relate ad sensitivam cognitionem. Omnis cognitio etiam sensitiva, qua cognitio est, postulat talem elevationem supra materiae conditiones, unde subjectum ejus simile fiat aliquo modo spiritibus: α) *tum in operando*, β *tum in recipiendo aliorum formas.* Ergo jure merito dicitur omne subjectum cognoscens aliqua immaterialitate ornari oportere.

Prob. antecedens α) *de elevatione in operando.* Nam quaevis alia operatio, quae cognoscitiva non sit, saltem exercetur per vires et qualitates communes materiae brutae, ut de ipsis vegetativis operationibus dictum est in *Cosmologia*, pag. 290, 339. At vero sensatio, licet requirat quidem in subjecto vires et qualitates materiales ad rectam organi dispositionem, non autem peragitur per hujusmodi vires, sed per altiorem potentiam ac virtutem. Rem egregie declarat S. Thomas (2).

Prob. anteced. β) *de elevatione in recipiendo formas aliorum.* Nam triplex est character et conditio propria in formarum receptione: 1.°, *ex parte formarum receptarum*; 2.°, *ex parte materiae recipientis, ratione loci ac distantiae.*

---

(1) 1 p., quaest. 14, art. 1; quaest. 84, art. 2; *De verit.*, quaest. 2, art. 2, quaest. 13, art. 3, quaest, 23, art. 1; quaest. *De anima*, art. 13; 1.° *Contr. Gent.*, cap. 44, Item *Ex hoc...*; 1.° Dist. 35, quaest. 1, art. 1, etc., etc.

(2) 1 p., quaest. 78, art. 1. Cfr. quaest. *De anim.*, art. 13; *De verit.*, quaest. 10, art. 2, ad 2.um, lib. 1.° *De anim.*, lect. 14 initio.

1.° **Ex parte formarum receptarum;** nam si sermo sit de substantiali, unam solam eodem tempore potest materia recipere; accidentales quidem potest plures simul habere, non tamen contrarias. Has porro formas recipit materia secundum *esse* physicum, corruptis prioribus, atque ita illas sibi *appropriat*, ut in nullo alio subjecto eae simul eo modo esse possint. Denique has formas recipit materia per actionem externi agentis. Atqui oppositum accipit in receptione formarum in subjecto cognitionis. Primo enim potest plures simul et contrarias recipere sensibiles qualitates, ut patet in visu diversos colores diversae magnitudinis, etc., apprehendentes in campo, urbe...; et in auditu diversissimas voces ac sonos simul excipiente, etc. Deinde has omnes formas recipit sensus absque corruptione sua suarumve qualitatum, et solum secundum *esse* intentionale. Demum eas recipit per operationem immanentem.

2.° **Ratione loci ac distantiae** materia recipit formas per physicum contactum, immo et per realem unionem atque informationem, quae non est mera loci contiguitas, sed aliquid aliud (1). At formae intentionaliter per cognitionem recipiuntur absque ulla physica unione, ac saepe maximopere distant, potissimum in intellectione, siquidem nulla intellectum praepedire potest spatiorum distantia, ne objectum suum intentionaliter attingat.

Cum ergo potentia omnis cognoscitiva, etiam sensitiva, tantum supra materiam assurgat, modumque operandi teneat spiritibus similem, quam frustra in quavis substantia non cognoscitiva requiras, jure merito concluditur omnem cognitionem in subjecto cognoscente immaterialitatem aliquam vindicare.

79. PROPOSITIO 2.ª—**Cognitionis et cognoscentium gradus eo est magis minusve perfectus, quo subjectum majori polleat immaterialitate. Unde radix cognitionis in entibus ita est immaterialitas, ut repugnet substantia spiritualis, quae vi cognoscendi careat.**

Prima pars probatur inductione. Intellectio enim perfectior est sensatione, et inter sensationes internae praecellunt externis, inter externas vero principem locum tenet visus, et mox ordine succedunt auditus olfactus, gustus et tactus. Atqui potentiae praedictarum operationum hunc eumdem servant ordinem immaterialitatis. Sane de intellectu nullum dubium est respectu sensuum; sensus etiam interni magis abstrahunt a materialitate, et inter externos praedictum teneri ordinem ex eo satis probatur, quod visus minime omnium patiatur, minusque in sua entitate immutetur a suo objecto, paulo amplius auditus, magis olfactus, gustus et tactus. In ipsis spiritibus, quo magis a materia sunt remoti, eo perfectior adest intellectio; et ideo angeli perfectius intelligunt, quam anima humana, quae forma est materiae.

Secunda pars probatur. Illud assignari debet radix et causa phaenomeni alicujus, quod ubi adest, phaenomenum adest; ubi abest, phaenomenum abest; ubi magis aut minus excellit, phaenomenum magis minusve praecellens existit. Atqui hoc pacto se habet respectu cognitionis immaterialitas, intellecta pro elevatione supra communem materia rationem. Ergo...

---

(1) Vide Compend., volum. 3.um, pag. 247.

Tertia pars communissima est inter Scholasticos contra Ockam et Gabriel (1), nobisque contrarium docere jure Societatis Jesu interdictum est (2). Probatur autem 1.° quia ubi datur radix, debet naturaliter sequi radicatum. Atqui in spiritu datur radix cognitionis, nempe immaterialitas, eaque major, quam in entibus sensitivis. Ergo... 2.° Substantia spiritualis nobilior ab omnibus habetur ac perfectior quavis materiali. Atqui non ita esset, nisi cognoscendi facultate polleret. Nam generatim cognoscentia perfectiora sunt non cognoscentibus. Atqui dantur entia corporea et materialia, nimirum animalia, virtute cognoscendi praedita. Ergo si ea non polleret spiritus, non superaret in perfectione quamlibet materialem substantiam (3).

Quaedam objectiones solutae videri queunt in alio opere (4).

ARTICULUS IV

Generales quaedam cognitionis divisiones.

I.—Faciliora cognitionis genera.

80. Primo dividi potest cognitio in organicam vel *sensitivam* et *inorganicam* vel *intellectualem*. Utraque vocari potest secundum Scholasticos *perceptio* et *apprehensio*, quamvis a recentioribus sola cognitio externorum sensuum videatur *perceptio* vulgari sermone vocari, actus vero imaginationis *imago*. At cognitionem intellectualem passim a recentioribus nomine *ideae* ac *conceptus* donari notissimum est.

81. Illae quoque notae cunctis sunt cognitionis divisiones in *naturalem* et *supernaturalem*, prout ex principiis duntaxat naturalibus, vel etiam supernaturalibus, ponatur; in *speculativam* et *practicam*, prout sistat in rei contemplatione, vel ad opus dirigendum extendatur; in *directam* et *reflexam*, quarum prima ad objectum distinctum ab actu cognitionis, altera ad ipsum actum cognitionis terminatur; in *immediatam* et *mediatam*, quarum postrema utitur discursu cognoscendo rem *ex alia* prius nota, tamquam *per medium ex quo;* prior autem rem cognoscit in se sine discursu: quare cognitio, qua res cognoscitur in alio sicut *medio in quo*, utrumque apprehendendo unico actu, non desinit esse immediata (5).

---

(1) Apud P. Didacum Ruiz de Montoya, *De scientia Dei*, disp. 1, sect. 4, num. 4; et Suarez, *Metaphys.*, disp. 30, sect. 14, num. 10; et disp. 35, sect. 3, num. 20.

(2) Propos. 43 inter damnatas a R. P. Roothaan, et 53 inter damnatas a R. P. Piccolomini.

(3) Vide opus fusius, volum. 5.°, num. 86-90.

(4) Loc. nup. cit., num. 90.

(5) Vide Compend., volum. 1.um, num. 177.

82. **Praeterea cognitio dividitur in** *experimentalem* vel *empiricam* et *rationalem* vel *scientificam*. Prima factum concretum et singulare refert in se ipso, ac duplex distinguitur, *externa* et *interna*, prout referat phaenomenum extra nos positum, vel internum actum aut affectionem. Rationalis refert rationes rerum universales et abstractas. Haec proinde vel non contemplatur existentiam rerum, sed tantum rationes et praedicata, quae praescindunt ab existentia, vel si existentiam contemplatur, eam respicit, ut ajunt, in *actu signato*, quatenus est essentia quaedam vel ratio intelligibilis (1). Experimentalis vero notitia existentiam refert *in actu exercito*, seu prout de facto exercitam hic et nunc, extra mentem in aliquo subjecto.

Illae vero sunt abstrusiores neque exigui momenti divisiones, in cognitionem *intuitivam* et *abstractivam*, *quidditativam* et non *quidditativam*, *comprehensivam* et non *comprehensivam*, quae accurate declarandae sunt.

II.—Cognitio intuitiva et abstractiva.

83. **Aperitur quaestio.** Intuitiva cognitio a Scholasticis cum Sancto Thoma vocatur etiam *visio*, unde etiam intuitiva cognitio Dei in coelis *visio* beatifica nominatur, cognitionem vero abstractivam nuncupavit Angelicus simplicem *notitiam* (2). In quo autem sit inter utramque discrimen, non omnino convenit inter auctores, aliis illud petentibus ex parte principii cognitionis vel ex parte impressae speciei, aliis ex parte termini, prout videre est in opere fusiori (3), non enim necesse est omnes opiniones minoris momenti singillatim referre.

Sententia vero communissima tenet intuitivam cognitionem eam esse, quae ponitur vel per immediatum influxum objecti (ut in visione beatifica), vel per speciem propriam ejusdem, et ad rem existentem vel realiter praesentem, *prout talem*, terminatur: abstractivam vero esse, quae alterutra conditione caret. Porro species propria stricto sensu dicitur illa, quae gignit conceptum proprium, seu talem, qui rem exprimit prout est in se, citra negationes et sine symbolis vel analogia vel exemplis aliarum rerum, ut cognoscuntur v. gr. colores. Ad cognitionem ergo intuitivam non requiritur, ut manifestet praecise intimam rei essentiam, quod est proprium cognitionis *quidditativae*, sed ut rem patefaciat sine recursu vel respectu ad alia, vel sine alienis, ut ita dicam, coloribus. Haec ergo est prima conditio cognitionis intuitivae; altera est, ut attingat rem existentem prout hic et nunc praesentem. Ex defectu primae conditionis cognitio Dei vel animae nostrae aliorumve non potest esse intuitiva in hac vita, sed tantum abstractiva; ex defectu alterius abstractiva est cognitio hominis possibilis, vel existentis quidem, sed cujus tamen actualis existentia non consideratur.

---

(1) Cfr. Compend. volum. 1.^{um}, num. 256, *Dices*...
(2) S. Thom., *de verit.*, quaest. 3, art. 3, ad 8.^{um}
(3) Volum. 5.°, num. 55, *Quidam apud Ferrariensem*...

84. **Dubitatur autem primo**, *utrum, ad hoc ut cognitio sit intuitiva, requiratur actualis eius existentia, an vero sufficiat existentia ejusdem praeterita vel futura.* Ac responsio communissima est, cognitiones attingentes objecta actu non existentia seu physice praesentia, sed solum praeterita vel futura, saltem *in nobis* intuitivas non esse, quia cognitio intuitiva debet terminari ad rem existentem, prout est actu in se ipsa extra causas, ideoque debet rem attingere sub ipsa praesentia quatenus scilicet ab ipsa praesentia afficitur, seu quatenus praesentia physice in illa exercetur: quod profecto nullatenus accidit, cum res in praeterito vel in futuro existens cognoscitur. In Deo tamen, qui et praeterita et futura in se ipsis cognoscit, est ratio specialis, ut eorum quoque cognitio sit intuitiva. Immo vero etiam multi concedunt, cognitionem praeteritorum et futurorum posse in nostro intellectu esse intuitivam per omnipotentiam divinam.

Dubitatur secundo, *utrum cognitio, qua res absens vel non existens repraesentatur ut praesens et existens*, quemadmodum accidit in hallucinationibus, somnio vel delirio, *sit, necne, intuitiva.* Communis responsio est negativa.

Dubitatur tertio, *utrum cognitio partis in toto et rei in speculo sit intuitiva, an abstractiva.* Sunt qui negent intuitivam esse; affirmativa vero opinio probabilior videtur, quia utraque cognitio est objecti praesentis et per proprias species, quamvis cognitio in speculo fiat per species non directas, sed reflexas ex illo.

Dubitatur quarto *quo pacto differant cognitio intuitiva et abstractiva, essentialiterne an accidentaliter.* Accidentalem tantum agnoscunt differentiam Magister Joannes a S. Thoma (1), Hurtadus (2) et alii, talem nempe, qui sit extra genus notitiae; et mox inter se disputant, utrum rationes intuitivi et abstractivi sint merae denominationes extrinsecae, sicut volunt aliqui in Logica esse denominationes *veri* et *falsi* (3), an intrinseci modi, ita ut si notitia intuitiva evaderet abstractiva, vel e converso, intrinsece mutaretur. Alii vero ut Mastrius, Soarez lusitanus aliique contendunt essentialem esse differentiam, quia habent objecta diversa, cognitiones autem specificantur ex objectis. Quidquid de ista controversia sit, probabilius videtur, denominationes intuitivae atque abstractivae cognitionis non esse extrinsecas, sed intrinsecum aliquid cognitionibus importare, sive postea id sit essentiale, sive accidentale, quia intuitiva in rem prout existentem terminatur, abstractiva vero modum tendendi oppositum habet: hi autem modi tendendi intrinsecum aliquid continent.

Dubitatur quinto, *utrum eadem notitia possit esse intuitiva et abstractiva.* Conceditur, quod possit relate ad diversa, ut, verbi gratia, visio essentiae divinae, in qua cognoscantur possibilia. Relate ad unum idemque objectum etiam conceditur dari posse *sucessive* cognitio intuitiva et abstractiva, ut si homo, quem modo vides, et intuitive cognoscis, mox moriatur, vel dispareat, vel clausis oculis videri a te non possit, aut solum consideretur secundum essentiam praecisa existentia. Utrum autem eadem cognitio respectu ejusdem objecti possit *simul* esse intuitiva et abstractiva, disputatur, negantibus aliis, aliis affirmantibus.

---

(1) *Logic.*, quaes. 23, art. 1.
(2) *De anim.*, disp. 10, num. 13.
(3) Cfr. Compend., volum. 1.^{um}, num. 248.

79. **Demum cognitiones intuitivae possunt esse directae et reflexae.** Reflexae sunt cognitiones conscientiae, testantis proprias affectiones et actus nostros. Directae autem nulla pro hoc statu vitae referunt intuitive objectum, nisi quando actualiter percipitur aliquo sensu externo, quia nonnisi objecti sensibilis et sensati habemus pro cognitione directa speciem propriam, haec vero, ut pariat cognitionem illa speciali claritate praeditam, naturaliter pendet ab externa sensatione praesente (1). Haec fusius declarata, et quaedam alia, legi possunt in alio opere (2).

80. Quomodo cognoscamus objectorum praesentiam, quae est conditio in idea intuitiva requisita, non modo ut apparet ex quaesitis et dubiis in (n. 78) positis ansam dedit plurium quaestionum scholasticis auctoribus, sed etiam in moderna psychologia longam praebet occasionem disserendi.

Psychologia enim kantiana et subjectiva illud habet ut axioma certissimum: objectum a nobis cognitum esse ipsas subjecti modificationes, unde statim problema proponitur arduum, quomodo transitus fiat ex ordine subjectivo ad objectivum. Plures datae sunt responsiones sed frustra. Est in nobis persuasio de objectivitate sed cur orta est in nobis haec persuasio, retrovertendo naturam cognitionis? Est associationis fructus; sed in ipsa associatione elaborant elementa jam objectivata ut associatio possit esse objectiva. Dantur in nobis plures sensationes concomitantes, plures emotiones, plures motus nostri corporis et ex toto complexu oritur idea distantiae, idea distinctionis inter objectum et subjectum, idea realitatis objecti, etc. Sed haec omnia supponunt nos attingere motus reales nostri corporis ut objectum, nos cognoscere actus nostros ut objectum cognitionis reflexae, et semper in idem incidimus actus nostros cognoscitivos repraesentare ipsa objecta.

Solutio cartesiana vult ut praesentiam objectorum inferamus ratiocinio. Sed ratiocinium supponit praemisas, earumque simplices apprehensiones attingere ordinem objectivum.

Itaque nihil manet solidum nisi theoria scholastica qua nos attingimus realem praesentiam objectorum ex lege propria cognitionis. In primis perceptio seu sensatio externa ex natura sua determinatur ab ipso objecto ideoque objectum cognitum in sensatione externa est reale et praesens.

---

(1) Vide Lossada, *De anim.*, disp. 8, cap. 5, num. 103 seqq.; Joann. a S. Thom., *Logic.*, quaest. 23; Martínez de Prado, *De anim.*, lib. 3, quaest. 21; Mastrium, *De anim.*, disp. 6, quaest. 11; Soarez lusitan., *De anim.*, tract. 1, disp. 4.

(2) Volum. 5, num. 55, 56.

Unde intellectus cum sensationem externam comitatur et efficaciam suam dirigit ad cognoscendum objectum in sensatione externa cognitum, natura sua tendit in hac conjunctione potentiarum ad objectum realiter praesens.

Sensatio interna, imago phantasiae, etc., ex natura sua non determinatur immediate ex objecto sed ex praevia habita sensatione externa: unde nec objectum repraesentatum in sensatione interna est natura sua realiter praesens: est certe ubicatum quia concrete exhibetur, sed ubicatio non requirit spatium reale quando ubicatio est imaginaria. Poterit illa ubicatio esse vivida et facere illusionem realis praesentiae; sed natura sua illa imago non postulat realem objecti repraesentati existentiam et praesentiam.

Ideo intellectus si comitatur solam imaginem phantasiae non habet ex hoc ipso ideam intuitivam sed abstractivam.

Nunc si quaeritur qua ratione intellectus in reflexione formali discernat actum perceptionis seu sensationis externae ab actu sensationis internae seu imagine, responsio plana est: tota experientia quotidiana habita congerit innumera elementa quae associata sufficiunt ut aliquibus eorum elementis apparentibus iudicetur sensationem illam determinari vel ab objecto ipso et tunc habebitur perceptio aut sensatio externa; aut non determinari immediate ab ipso objecto et tunc habebitur sensatio interna seu imago. Sic si movendo oculos vel claudendo, etc., res optice repraesentata eadem manet, illa repraesentatio non determinatur ab objecto sed est imago. Sin autem statim ac incipio movere oculos objectum repraesentatum optice incipit variari, objectum est quod determinat cognitionem sensilem: ergo illa sensatio est sensatio externa aut perceptio (1).

III.—Cognitio quidditativa et non quidditativa.

81. Cognitio quidditativa non est confundenda cum quavis cognitione quidditatis vel essentiae, nam si haec cognoscatur solum per proprietates et effectus, v. gr., nondum habetur cognitio stricte quidditativa, ea nempe quae conceptu claro, proprio et positivo distincte refert omnia praedicata rei essentialia usque ad ultimam differentiam vel quasi differentiam: ad quod requiritur, ut cognitio oriatur ex specie aliquo modo propria, nimirum sive formaliter, sive aequivalenter sive eminenter. Aliud ergo est cognitio quidditatis, et aliud cognitio quidditativa. Differt etiam cognitio intuitiva et quidditativa, ut constat ex earum notionibus: unde cognitio perfecta possibilium esset quidditativa, non vero intuitiva, et e converso cognitiones nostrae colorum sunt intuitivae, non vero quidditativae, cum nondum comperta sit essentia colorum. Quae cum ita sint

---

(1) Cfr. ex modernis J. Maréchal, S. J. *A propos du sentiment de présence, etc. (Revue des questions scientifiques)*, 1908, t. 14, pag. 527-563; a. 1909, pag. 219-240. H. Dehove: *Sur la Perception exterieur* (*Revue de Philosophie*), t. IX, a. 1906, pag. 430-413, 580-595; t. X, 1907, pags. 74-90, 184-199; Lindworsky, S. J. *Psicologia experimental*, trad. Bilbao, 1923, pag. 245-246, et ex antiquis Scotus, t. 4, pag. 546-547; Lugo *De Euchar. d.* 5. s. 4, n. 92, etc.

82. **Deum quidditative cognoscere non possumus in hac vita.** Quia Deum non possumus hic cognoscere nisi ex effectibus: nullus autem effectus nec omnes simul possunt referre infinitam Dei perfectionem. Unde non potest dari de Deo cognitio quidditativa, quae non sit simul intuitiva, nempe in altera vita, quemadmodum docent Thomistae ac nostrates contra Scotistas. Quia cum *esse* sit ipsa Dei essentia, nulla cognitio quidditative attingere Deum potest, nisi prout existentem, ac proinde intuitive (1).

IV.—Cognitio comprehensiva et non comprehensiva.

83. Quamquam in Theodicea enucleanda magis sit notio comprehensivae cognitionis, complementum tamen materiae postulat, ut eam hic summatim describamus. Comprehensio generatim dici potest cognitio rei quantum cognoscibilis est, ita ut nihil de illa cognoscentem lateat, sed cognitio adaequetur et commensuretur prorsus cum re, cujus proinde totam exhauriat cognoscibilitatem, illam totam ac totaliter repraesentans. Ex quo intelligitur analogia nominis desumpta ex corporis comprehensione, quae tum obtinet, cum corpus comprehensum undequaque ambitur, et circumdatur. Comprehensiva ergo cognitio rei est omnium perfectissima, et sic communiter reputatur etiam certa, evidens et quidditativa, secus enim non cognosceret rem, quantum cognoscibilis est. Difficultas tamen est in declarando, quid sibi velit rem *totaliter* attingere, vel cognoscere *quantum cognoscibilis*, vel exhaurire totam ejus cognoscibilitatem, ut nihil prorsus de illa cognoscentem lateat. Qua de re multae prostant sententiae ac declarationes, quarum ea probabilissima videtur, comprehensivam cognitionem debere exprimere non solum omnia intrinseca praedicata in re cognoscenda *formaliter* contenta, sed etiam ea quae extrinseca dicuntur, videlicet rationes omnes *eminenter* vel *virtualiter* in illius potentia naturali, sive activa sive passiva, contentas. Verum haec nunc sufficiant, in Theodicea magis evolvenda, cum sermo erit de divina incomprehensibilitate (2).

---

(1) Vide opus fusius, volum. 5.°, num. 57.

(2) Vide interea, si lubet, fusioris Theodiceae nostrae, vol. 1.^{um}, num. 199, 200 sqq.

CAPUT II

DE APPETITU GENERATIM

Appetitus generatim importat inclinationem vel propensionem rei in bonum vel sibi conveniens, *appetere enim nihil aliud est, quam aliquid petere quasi tendere in aliquid ad ipsum ordinatum* (1): unde complementum est vitalium functionum, quas recentiores vocant relationis, nam per appetitum ferimur ad realem possessionem bonorum, quae per cognitionem in imagine possidemus.

ARTICULUS UNICUS

Notio appetitus exponitur.

90. Appetitus duplex distingui potest, *innatus* vel *naturalis* et *elicitus*. Prior est tendentia naturalis rei ad aliquid sibi conveniens, vel connaturalitas et exigentia, quam res quaevis habet, respectu formae vel termini sibi convenientis: quo pacto ignis comburit, et generatim vires naturales appetunt suos effectus, et leges naturae suos terminos. Hic appetitus, non requirit praeviam cognitionem, nec vocatur appetitus nisi per metaphoram ex eo desumptam, quod *unaquaeque res habet connaturalitatem ad id, quod est sibi conveniens secundum suam naturam* (2), ideoque concipitur a nobis ut tendens ad illud, sicut tendere solent entia bonum suum cognoscentia. Appetitus ergo innatus non est mera non repugnantia vel capacitas formae vel termini alicujus, sed naturale jus et exigentia illius.

Appetitus innatus definitur a S. Thoma *inclinatio consequens formam naturalem* (3), nempe naturam rei, non praeviam boni cognitionem.

Appetitus vero elicitus definitur a S. Thoma *inclinatio consequens formam apprehensam* (4), id est, inclinatio in bonum ab appetente praecognitum. Ac duplex est, sensitivus et rationalis seu voluntas, prout bonum proponatur a cognitione sensitiva, vel intellectiva (5).

---

(1) S. Thom., *De verit.*, quaest. 22 art. 1.

(2) S. Thom., 1. 2.ae, quaest. 26, art. 1, ad 3.um

(3) S. Thom., *de malo*, quaest. 6, artic. unic.

(4) Loc. nup. cit.

(5) Vide S. Thom., 1.° dist. 45, quaest. 1, art. 1; 1 p., quaest. 80; art. 2; *de verit.*, quaest. 22, art. 4.

91. Multiplex discrimen inter appetitum innatum et elicitum. α) Differunt primo, quia innatus inest cunctis rebus, elicitus vero solis entibus cognoscitivis. β) Appetitus elicitus, sumptus pro potentia est virtus realiter distincta ab anima, sumptus autem pro actu importat actum re distinctum non solum ab anima, sed etiam ab ipsa potentia seu virtute appetitiva; innatus vero, utrolibet sensu accipiatur, re non distinguitur a sui subjecti substantia, quia quaelibet forma naturalis per se ipsam ordinatur, vel tendit ad bonum suum. γ) Elicitus, secus atque innatus, praevia cognitione bonum proponente dirigitur. δ) Demum elicitus potest esse inordinatus, et ad inutilia vel superflua et mala (sub fucata ratione boni) ferri; verum innatus, utpote naturam ipsam consequens, semper ordinatus est nec potest nisi ad necessaria vel utilia et bona ferri.

92. In quo conveniant, et discrepent appetitio et cognitio. Conveniunt in eo, quod α) utraque immanens est, β) utraque objectiva vel functio *relationis*, γ) et per utramque objectum dicitur esse quodammodo intra animam (n. **76**). Discriminantur vero: α) quia cognitio habet rationem similitudinis intentionalis, appetitio inclinationis aut ponderis versus rem, quae appetitur (1). β) Cognitio tendit ad possidendam rem *intentionaliter*, id est, secundum imaginem aut repraesentationem, appetitio ad possidendam rem realiter (2). Quod significasse videtur Aquinas, cum scripsit: *Terminus appetitus, quod est bonum, est in re appetibili; sed terminus cognitionis, quod est verum, est in ipso intellectu* (3). γ) Cognitio per se semper importat perfectionem (n. **76**), at vero appetitio non perficit subjectum, nisi cum forma, quae appetitur, eidem reapse convenit (4). δ) Inter facultates cognoscitivas nequit esse pugna, potest autem inter appetitivas ratione unius ejusdemque objecti. Quia cum appetitus tendat ad rem secundum suum *esse* reale obtinendam, fieri bene potest, ut unius ejusdemque formae possessio conveniat appetitui sensitivo, rationali noceat: hinc *caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, haec enim sibi invicem adversantur* (5). E converso cognitio cujuslibet facultatis, sive sensitivae sive intellectualis, similitudinem importat; una autem similitudo ejusdem objecti nequit alteri opponi. ε) Quae cum ita sint, patet, cur malimus *amari* ab aliis, quam *cognosci*; quia cum per cognitionem sola intendatur rei similitudo, per amorem autem res ipsa in se quaeratur, majus argumentum aestimationis est in eo quod amemur, quam in eo quod cognoscamur.

---

(1) S. Thom., 1 p., quaest. 16, art. 1; quaest. 27, art. 4; quaest. 78, art. 1 corp. et ad 3.um

(2) S. Thom., 1 p., quaest. 59, art. 2; *de verit.*, quaest. 23, art. 1.

(3) S. Thom., 1 p., quaest. 16, art. 1. Cfr. quaest. 82, art. 3; *de verit.*, quaest. 1, art. 2; quaest. 4, art. 2, ad 7.um

(4) Cfr. Compend. volum. 2.um, num. 142.

(5) Ad *Galat.*, cap. 5, vers. 17. Hanc tamen distinctionem et pugnam appetituum, negat in nobis reapse existere funestus vir Cartesius, *Les passions de l'âme*, 1.ère partie, art. 47.

Cetera ad appetitum pertinentia suo loco disputabuntur.

CAPUT III

DE CONSCIENTIA UT MEDIO QUO COMPARATUR SCIENTIA PSYCHOLOGICA

In ipso limine Psychologiae, postquam actus psychologicos generatim inspeximus et definivimus, necesse est quoque praeponere conscientiae notionem, siquidem conscientia est medium quo comparatur scientia psychologica: ratiocinium enim niti debet in observatione quae per conscientiam colligitur.

ARTICULUS UNICUS

Quid conscientia et quotuplex.

93. Actus omnis cognoscitivus et affectivus, etiamsi primario in objectum tendat, secundario tendit quoque in seipsum; unde eodem actu quo cognoscimus vel appetimus objectum, actum quoque cognoscendi vel appetendi cognoscimus vel appetimus. Hic complexus actuum quatenus actus nostros per eosdem actus ac objecta experimur sive cognitione sive appetitione conscientiam directam seu experientiam internam immediatam constituit.

Analysi facta dicimus ergo: 1) Sensationes externae simul ac objecta propria attingunt, attingunt quoque seipsas reflexione virtuali et implicita: qui enim videt objectum, videt illico se videre. Haec autem reflexio implicita sufficit ut saepe resultet actus delectationis qua gaudet videns se videre. Motivum enim delectationis est experientia propriae activitatis.

2) Sensatio vero interna seu actus aestimativae id habet quod non modo objectum suum et actum suum cognoscit, sed etiam proponit objectum bonum appetitui sensitivo: tunc ergo proponitur directe appetitui sensitivo bonum sensile objecti sed simul proponitur ut bonus ipse actus appetendi illum bonum sensile. In hoc casu reflexio virtualis est complexa: actus enim sensus interni seu aestimativae cognoscit primo objectum suum, dein actum proprium illud

objectum repraesentandi, tertio objectum ut bonum appetitui sensitivo, quarto actum appetitus sensitivi ut bonum.

Hunc complexum objectorum unico actu sensus interni perceptorum sequitur actus appetitus sensitivi quo primario bonum sensile appetimus, at simul actum ipsum appetendi appetimus.

Utrumque actum et aestimativae et appetitus sensitivi sequitur ut complementum innata cuilibet actui psychico delectatio.

3) Actus intelligentiae quo objectum repraesentamus simul actum ipsum intelligendi attingit. Si praeterea objectum repraesentatum est aptum ut a voluntate ametur, simul cum bonitate objecti proponitur voluntati bonitas ipsius amoris illud objectum amandi. Si voluntas consentit, sequitur actus amoris quo et amamus primo objectum et secundario eodem actu amamus amorem objecti.

Verbo: complexus ipsorum actuum cognitionis et appetitionis quibus primario in objecta tendimus sed eo ipso in ipsos actus quoque revertimur constituit conscientiam directam seu intuitionem immediatam et experientiam internam. Conscientiam vero etiamsi cognitionem significet, complectitur quoque appetitiones quibus actus appetendi objecta appetimus.

94. Habita hac experientia directa in animali, si agitur de sensationibus externis et de delectatione ex eis resultante, subsequitur actus novus sensus communis quo reflectit animal in objecta et in actum sensationis externae. Haec reflexio est formalis et habet pro objecto actus praecedentes facultatis subordinatae.

In homine praeter hanc reflexionem sensus communis in sensationes externas datur alia superior nimirum per intellectum qua non modo actus sensationum externarum sed internarum quoque et actus appetitus sensitivi, et actus praevios ipsius intellectus et actus voluntatis consideramus, non solum actu simplici apprehensionis sed etiam judicando, comparando. Haec reflexio formalis est completa, propria solius hominis, non quidem animalium.

95. Corollaria.—1) Ut haberi possit reflexio formalis prior debet haberi reflexio virtualis: ut reflexio virtualis haberi possit, necesse est ut objectum actus agnoscamus et appetamus.

Haec est ratio cur non cognoscamus actus vitae vegetativae; quia in actibus vitae vegetativae non cognoscimus objectum circa quod versatur vegetatio: ergo nec actum vegetandi possumus cognoscere. Si autem cognitio non habeatur, appetitio quoque nequit haberi: ergo vita vegetativa prorsus inconscia est. Ideo operationes vegetativae non sunt objectum Psychologiae sed Cosmologiae.

2) Quilibet actus psychologicus est valde complexus, et complexitas augetur cum actus perfectione. Patet ex inductione instituta superius. Toto decursu Psychologiae est hic character complexitatis

confirmandus, et ideo detegere elementa processus psychologici est maximus labor Psychologiae.

3) Non datur actus psychologicus inconscius, siquidem in quovis actu psychologico ex ipsa definitione objectum aliquod debet cognosci vel appeti: ergo implicite et simul necessario actus ipse cognitionis vel appetitionis erit cognitus vel appetitus. Sed tunc ante actum tunc post actum processum psychologicum integrant elementa inconscia, stimuli, vestigia, pronitas adquisita ad structuras ipsorum complexorum, etc.

4) Actus reflexionis virtualis quandoquidem sub luce objecti cognoscitur, dicitur quoque saepe actus subconscius: conscius vero dicitur actus reflexionis formalis. Cum vero mens possit habere simul et actus cognitionis erga objecta disparata, et actus appetitionis erga objecta quoque diversa, tunc attentio erga singula non modo in reflexione virtuali sed etiam in reflexione formali quasi dividitur et inde obscuratur reflexio et subconscientia fit,

5) Complexus actuum circa diversa et disparata objecta simul exercitorum dividit virtualitates potentiarum et inde quasi ipsam personam experimentalem. Haec duplicitas praecipue in tono affectivo est valde characteristica in statibus anormalibus.

6) Quia actus cognitionis et appetitionis non quidem in abstracto sed in concreto cognoscimus per experientiam directam, ideo eos actus cognoscimus ut modificationes subjecti cognoscentis et appetentis, sicque in conscientia directa nos ipsos percepimus ut naturam, ut substantiam, ut personam.

7) Inde quod conscientia reflexa detegat identitatem personae in tota vita individuali. Totus processus actuum psychologicorum in vita habitorum ad unum idem Ego revocamus.

8) Cum Willems: «Conscientia igitur directa non est major quaedam intensitas actus cognoscendi, ut Herbart, Beneke aliique volunt: requiritur enim ad omnem actum cognoscendi et volendi siquidem non realiter differt ab eo. Neque simpliciter confundenda est cum attentione vel apperceptione, ut Leibnitz, Kant aliique censent; attentio quidem directa est actus cognoscendi in fieri, conscientia autem est actus in facto esse; attentio autem reflexa supponit jam actum ac proinde ejus conscientiam. Neque collocanda esse videtur conscientia in quadam actione judicativa... nisi conscientiam directam tum intellectualem tum sensitivam cum reflexa confundas. Profecto enim, ut distinguas vel judices, debes jam esse conscius objectorum distinguendorum sive subjecti et praedicati judicii. Accedit, quod adest etiam conscientia simplicis apprehensionis, in qua nondum potest esse distinctio judicativa; et bruta habent conscientiam, non autem se discernunt ab actibus suis. Neque potest conscientia reponi in unitate et relatione actuum internorum, rejecta ani-

ma substantiali, ut Taine, Wundt, Guido Villa, Eisler, Herbertz multique recentes, tunc enim confunditur cum memoria, cujus fundamentum est anima substantialis ejusque conscientia actualis suae activitatis, neque posset esse conscientia plurium actum nisi singuli jam essent nobis conscii» (1).

DISPUTATIO SECUNDA

De sensatione.

CAPUT I

DE SENSATIONE EXTERNA

Priusquam sensationem definiamus eamque variis propositionibus consideremus necesse est sensuum externorum descriptionem praemittere (2). Externi dicuntur sensus qui ab energiis extrinsecis ad functionem propriam habendam determinantur.

ARTICULUS I

Sensationum descriptio.

I.—Quotuplex sensus externus.

96. Vulgatissima est apud omnes quinquepartita divisio externorum sensuum in visum, auditum, olfactum, gustum et tactum; quamquam plures hac in re parum solidae opiniones, a quibusdam excogitatae, ut videri potest in opere fusiori, numerum hunc auxerint, et aliae imminuerint. Ratio vero ex diversitate organorum peti potest. Organa enim sunt propter virtutem sensitivam et operationem, sicut materia propter formam. Ergo diversa conformatio et structura organorum diversam arguit potentiam et operationem. Atqui organa diversa sensationum sunt quinque, oculi, aures, etcetera. Ergo et totidem sunt sensus externi (1).

---

(1) Willems, *Institutiones Philosophicae*, vo. II (editio 3.ª). Treveris 1919, pág. 305.

Bibliographiam modernorum de conscientia vide in ipso auctore Willems, et in A. Gemelli, O. F. M. La Coscienza secondo le più recenti Ricerche della Psicologia Sperimentale (Rivista di Filosopia Neoscolastica, a. 1922. t. XIV) pág. 236-288. Adde vero ut fontes genuinos studii S. Augustinum saepe in. Tract. de Trinitate.- Scotum, t. 4, pág. 502 547, etc., t. 20, pág. 40, et seq. Suarez. De ultimo fine hominis disp. 9, sec. 3, num. 10; de Anima 1. 3, cap. II. De voluntario et involuntario d. 4, sec. 3, c. 3, num. 28; de Gratia 1. 9, cap. 12, num. 13, et saepissime. Est enim auctor qui in suis operibus theologicis et philosophicis appellat saepe ad conscientiam.

Mendive. Logica Pars 2.ª, cap. 2, art. 2, p. I.

(2) Cfr. in toto hoc capite Fröbes 1, 7. Lehrbuch der experimentelle Psychologie (Freiburg., 2.ª ed., t. 1, a. 1923).

97. **Dices** 1.° Ipsemet Aristoteles, gustum, tactum quendam esse scripsit, id quod de ipso odoratu nonnulli recentiores existimarunt. 2.° Tactus vero valde diversas edere videtur sensationes; quales sunt, v. g., perceptio caloris et qualitatum tactilium. Ergo vel plures sunt sensus pro diversitate objecti tactus distinguendi, vel si malimus unum genere tactum, hic in varias mox species dividendus erit.

Respond. ad 1.um, varie exponi mentem Philosophi. Caeterum quamvis tactus conveniat cum gustu, immo et cum odoratu, in eo quod objectum sentiant per immediatum contactum; at sensatio illa peculiaris gustus, et etiam odoratus, toto coelo distat a simplici sensatione contactus, ut nemo non novit ex propria experientia.

Respond. ad 2.um Non desunt qui tactum unum tantum genere ponant, et postea in varias dividant species pro varietate primarum qualitatum (2), quae tactu percipiuntur, nempe calidi et frigidi, duri et mollis, etc. Alii vero communius unum specie tactum ponunt, censentque contrarietates has omnes diversas reduci posse ad aliquod proximum genus eorum omnium innominatum, seu quod non habet peculiare nomen, illudque esse objectum proprium et adaequatum tactus. Istud vero genus contrarietatum complectens omnes contrarias qualitates tactiles Eximius Doctor putat esse posse *proficuum vel nocivum convenienti corporis temperamento* (3).

Dices 3.°, praeterea distinguendum esse sensum *muscularem*, quo percipitur conatus muscularis, qui saepe fit in usu musculorum. Adde sensationem famis, defatigationis, titillationis, etc.—**Respond.**, sensum musculorum, quem experimur in uso sensuum, quando adaptandi vel accommodandi sunt certo modo ad objecti sui perceptionem, et cum pondus aliquod tollendum vel sustinendum est, facile revocari posse ad tactum, utpote qui per tractonem articulationum et musculorum excitatur. Famis et defatigationis sensus spectant vel ad tactum interiorem vel ad sensum intimum. In titillatione demum distingui potest contactus manus alienae atque inde consecuta voluptatis vel risus affectio primum horum ad tactum, alterum ad appetitum pertinet, attrectationem alterius refugientem.

II.—Quinque sensus inter se comparati.

98. **Comparari primo possunt ratione claritatis.** Et hoc pacto visus eminet supra caeteros, unde a visu derivatum est nomen evidentiae ad ipsam intellectualis cognitionis perspicuitatem denotandam.

Comparatur secundo ratione certitudinis in objecto discernendo. Et sic visus et tactus excellunt. Visus enim manifestissime prae se fert objectum extra nos positum; tactus autem, quamvis in referenda temperie caloris, testimonium ejus subobscurius sit, at circa realitatem objecti secundum tactiles qualitates, adeo fide dignum existimatur, ut saepe judicium ejus expectetur, quando judicium caeterorum sensuum suspicionem aliquam illusionis injicit.

---

(1) Aliam probationem probabilem ex formali objecto a S. Thoma petitam (1 p., quaest. 78, art. 3), et ab Eximio Doctore declaratam *(de anim.*, lib. 3, cap. 28, num. 1) vide, si lubet, in opere fusiori, volum. 5, num. 177.

(2) Cfr. Compend. volum. 3.um, num. 212.

(3) Vide Suarez *(de anim.*, lib. 3, cap. 28). Cfr. Lossada *(de anim.*, disp. 5, cap. 5, num. 140). Et vide opus nostrum fusius, num. 177. *Rationes vero dubitandi...*: et num. 186.

Si comparentur secundum perfectionem, communis opinio et veterum et recentiorum primum locum assignat visui, secundum auditui, tertium olfactui, quartum gustui, quintum tactui, qui tamen fundamentum caeterorum dicitur, et ad vitae conservationem maxime necessarius est, unde neque in ullo animali deest.

Ratione habita utilitatis ad capessendas scientias, infimum locum tenent olfactus et gustus, caeteri tres mutuo se excedunt sub aliquo respectu. Sane duplici via scientia comparari potest inventione ac disciplina (1). Ad viam disciplinae utilissimus est auditus, cum longe melius edoceamur sermone orali, quam scripto, qui visu percipitur: unde legimus quosdam visu carentes ad magnam doctrinae laudem pervenisse. Ad viam autem inventionis praestant visus et tactus, inter quos tamen eminet visus prae tactu propter universalitatem objecti. Quamvis tactus indirecte et extrinsece dici queat superare visum, eatenus videlicet, quatenus bonitas tactus arguit optimam dispositionem ad cultum scientiarum; bonitas enim tactus supponit optimum temperamentum et complexionem, quae multum valent ad scientiarum studium. Unde Aristoteles scriptum: *Molles carne sunt ingeniosi menteque dextri* (2); non quod intellectio per organum exerceatur, sed quod ex optimo temperamento vires sensitivae aptiores sint ad suas functiones rite peragendas, ex quo intellectus magis juvetur (3).

Si jam sensus hominis cum belluinis compares, homo superatur a quibusdam animalibus, *saltem acumine* percipiendi objecta vel distantia vel exigua, in visu, auditu et odoratu, secus autem in gustu et praesertim tactu, quamvis et in gustu a simia, et ab aranea in tactu vinci eumdem putent nonnulli (4). Tactus enim hominis, et propter nervorum multitudinem et peculiarem conformationem ad prendendum tractandumque aptissimam, est egregium omnium artium instrumentum.

99. **Visus** organum constat ex parte dioptrica, ex parte sensitiva et ex parte motora. Dioptrica aptissime constituta est ut objecti lucidi imago realis supra retinam efformetur in chamaera obscura explanatam. Apparatus sensorialis ex retina constat in qua recipitur undarum luminosarum impressio et ex systemate nerveo (ex cellulis ganglionalibus et nervis opticis qui in via directionem partim invertunt, ex thalamo optico, ex geniculato laterali et ex corpore quadrigemino, ex tractis opticis et demum ex centro occipitali quod in area calcarina mira dispositione qua retinis respondet, explicatur.

Objectum visus sunt colores tum atonici seu albi-nigri, tum tonici seu spectrales. Color albus non undis simplicibus lucis, sed compositis percipitur, nisi excipias casum quando undae quaelibet maximam intensitatem habent. Color niger est revera objectum sensationis positivae, sed ejus sensatio nigri coloris non determinatur a propria lucis unda, sed ab excitatione in organo orta in absentia omnis excitationis extrinsecae, aut ex irradiatione seu efficientia indirecta excitationis coloris albi et lucis intensae. Inde habes quid respondeas ad quaesitum.

---

(1) Cfr. Compend., volum. 1.^{um}, num. 515.

(2) De anima, lib. 2, cap. 9, text. 94. Cfr. S. Thom., 1 p. q. 76, a 5. De anima, lib. 2, text. 19, paragr. 6: quaest. de anima, a. 5. ad 5.^{um}

(3) Adde inferius dicenda, cum probabitur animam humanam *prout rationalem*, esse formam corporis.

(4) Hinc illi manarunt versiculi: Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu, vultur odoratu, praecellit aracnea tactu.

Utrum sensus percipere valeant negationes et privationes.

Affirmant cardin. Cajetanus et alii (1), idque saltem de sensu interno tenendum esse putat noster Arriaga (2). At vero Vazquez (3), Lossada (4) et alii multi negant, quia etsi sensus non possunt quidpiam cognoscere nisi mediis speciebus; speciem autem nullas imprimere valent negationes et privationes, utpote carentes omni positiva realitate (5), tamen oriri possunt per functionem biologicam ipsius organi periphaerici pluribus stratis cellularibus compositi et amni eletrica perenniter affecti.

Colores spectrales quoad diversitatem dependent ex longitudine undarum, quoad claritatem ex earum intensitate, et quoad saturitatem ex earumdem puritate et perfecta similitudine. Tamen non omnes colores tonici pendent ex longitudine undarum simplicium, purpurei enim aliive undarum mixtione obtinentur.

Singulis coloribus alius eis complementarius datur seu qui cum primo mixtus album colorem dat. Si colores non complementarii miscuntur, color resultans est intermedius sicque ex tribus coloribus apte combinatis reliqui colores possunt obtineri. In pigmentis vero valde considerandae sunt undarum substractiones per absorptionem, sicque resultant saepe colores novi per substractionem, non modo per undarum additionem.

Duplex retinae pars distinguenda: retina in bacillis habet apparatum sese ad claritatem adaptandi et ad luces crepusculares optime inservit. Pars vero retinae ex conis compositae potius destinatur ad colorum tonicorum diversitatem percipiendam et ad formas corporum bene definiendas. Neque ubique retina eamdem servat sensibilitatem seu facilitatem impressionem recipiendi: in periphaeria sensibilitate caret, dein limites diversos habet ejus superficies ad diversos colores percipiendos: in fovea centrali et in regione eam circumdante habet sensibilitatem ex qualibet unda luminosa afficiendam.

Structura ipsa retinae ex diversis stratis composita huic dat aptitudinem ut impressiones ex undis receptae, in viciniores partes extendantur, sicque phaenomena illucescentiae contrarietatis, colorum claritatisque contentiones habentur. (Album juxta nigrum magis albescit, niger juxta album magis nigrescit.)

Quoad impressionem retinae post singulas excitationes non aeque respondet statim: post relictam undarum impressionem adhuc excitatio perdurat et imagines consecutivas determinare valet. Impressio, si paulisper durat, auget sensationis intensitatem; si diutius, mutat sensibilitatem retinae et quidem diversimode juxta diversas undas. Post aceptam brevem excitationem percipitur oculis clausis imaginum series, primum habetur imago positiva objecti percepti, dein cessat sensatio, denuo imago sed coloribus complementariis (imago negativa) apparet, post et ipsa cessat, et succedit imago iterum positiva seu propriis coloribus. In his plurimae variationes habentur quoad claritatem, durationem, colorationem, etc. Quae omnia probant sensationem non ab ipsis undis immediate sed ab impressione recepta in organo determinari.

---

(1) Apud Martínez de Prado, *de anim.*, lib. 2, quaest. 37, paragr. 1.
(2) *De anim.*, disp. 5, num. 78.
(3) In 1.^{am} part., disp. 61, cap 1.
(4) *De anim.*, disp. 5, cap. 5, num. 161 seqq.
(5) Cfr. Compend., volum 2.^{um}, num. 34.

Visus normalis omnem succesionem colorum in serie spectrali percipit, nisi cum intensitas est vel minima vel magna tuncque videt solum claritatem, non vero tonum coloris. Visus anormalis habet irritabilitatem diversam in una vel alia regione spectrali, aliquos colores ut albos percipit, alios mutatos, neque spectrum totum suaque naturali varietate colorum videt. Sunt denique visus quibus omnes colores tonici disparent solumque manet albus-niger (1).

Ex quibus omnibus concludes in perceptione visus, ut in aliis sensibus et cognitionibus esse quaedam elementa invariantia, quaedam vero alia variantia potissimum ex ipsa dispositione et statu organi.

100. Auditus.—Organum externum undas sonoras colligit dirigitque versus tympanum, cuius membrana proprias habere vibrationes incipit in fenestram ovalem per ossa concatenata transmittendas; sic liquidum cochleae ritmice premitur eoque fibrae Corti et cellulae ciliares et membrana in quibus pendulae sunt vibrando constituuntur, nervus auditivus afficitur et impressio transmittitur per multa centra interposita ad lobulum temporalem in quo supremum auditus centrum residet. Tot interruptiones in via nervea accommodatae sunt ut illico cesset impresionis transmissio ut novae transmittantur siquidem sonitus succesive in loquela et in melodia fluunt.

Auditiones dividi solent in sonitus et strepitus: sonitus habent intensitatem ex undarum amplitudine pendentem, altitudinem ex vibrationum numero, et characterem proprium (timbre) ex undis concomitantibus harmonicum. Strepitus qui et in momento sonant et aperiodicas vibrationes habere solent, habent quoque majorem in undis complicationem quam sonitus musicalis. In loquela humana sonitus musicales cum strepitu mire conjunguntur.

Magna est auditus sensibilitas ad sonitus musicales discernendos: in octava media plus quam 1.000 sonos altitudine diversos distinguit. Usus et exercitatio multum juvant. Omnes quidem qui sano fruuntur auditu mirifica distinguendi sonitus facilitate gaudent, cum adeo perspicue vocalium et consonantium et verborum complexam structuram audiendo percipiant et quidem celerrima succesione.

Praeter sonos singulos dantur quoque eorum combinationes tum quae extra aurem originem habent, tum quae in audiente gignuntur et subiectivae dicuntur.

Impressio sonorum in aure interna fit tum per resonantiam fibrarum Corti, tum etiam quia undae stabiles producuntur in liquido interno et per eas sectiones membranae auditivae conmoventur et tandem nervi acustici afficiuntur, et inaequilibrio orto functio nervea cerebrum quoque attingit.

---

(1) Cfr. Physiologias, et ne omittas videre Maluquer, *Teoria de la Visión* (Madrid, 1920).

Uterque sensus et visus et auditus homini loquelam et artes pulchras docent et ad vitam psychicam inchoandam maxime juvant.

101. **Sensus inferiores** gustus et olfactus vitae vegetativae prospiciunt. Olfactus nimirum ut vapores et gazia nociva vitentur respirari et etiam ut ex displicentia olfactus cibi nocivi arceantur. Gustus vero ut cibos et potus sanos hauriamus.

Odores sunt et quoad quantitatem et quoad qualitatem diversi et quoad modalitatem subiectivam grati vel ingrati. Pendent ex chimica compositione corporum unde emanant.

Organum extenditur in membrana interiori in nasu superiori ubi spatium ad vapores et gazia dilatatur. Ibi terminationes nervorum chimice afficiuntur nervique affecti impressionem acceptam per tractus olfactorios transferunt ad regionem hyppocampi et ad partem inferiorem lobuli temporalis. Cito nervus olfactorius defatigatur: unde patet olfactum habere praeveniendi munus, non autem impediendi laborem humanum si persistat homo in aere male odorante.

102. **Gustus** excitatur ionibus qui in saliva dissociantur variamque movent sensationem, acidam, salinam, dulcem, acrem et quidem variam iuxta diversam regionem oris, linguae, palatus.

Nervi lingualis et glossopharingeus per itinera valde intrincata tandem conducunt impressionem ad Uncum et ad gyrum hyppocampi in eadem regione ac olfactorii nervi. Nihil mirum si utraque sensatio adeo inter sese conjungatur quia communem habet finalitatem.

Influunt in gustationem extensio superficiei quae impressionem recipit, duratio impressionis, quantitas liquidi, temperatura cibi et potus, irritabilitas organi, concentratio diversa saporum, concentratio solutionum.

Datur quoque locus compositioni et connexioni saporum et sensationum in gustu.

Utrumque sensum et olfactum et gustum facile comitatur sensus tactus temperaturae, pressionis, doloris.

Olfactus anormalitas et exquisita sensibilitas potest esse indicium status anormalis in systemate nerveo generali.

103. **Tactus** frigus, calorem, pressionem et dolorem sentit. Pro sin gulis hisce sensationibus diversis diversa sunt puncta impresionem recipientia, distincti nervi eam conducentes, cerebri pars ad tactum pertinens eadem est ac ad motum peragendum, nimirum lobulus paracentralis et gyrus centralis.

Tactus caloris et extensive et intensive debilior est quam frigoris: ideo nervorum extremitates censentur esse ad frigus magis superficiales. Si punctum ad frigoris impressionem recipiendam determinatum temperatura 35° excitas, non percipies calorem sed frigus. Juxta temperaturae scalam, alia vel alia puncta excitantur quaeque ad suam functionem habendam. Dolor frigoris ad temperaturam 12°, sensatio frigoris usque ad gradum 32 8°; nihil sentitur ad temperaturam 33°, sed ad 33,3° iam sentitur calor, ad 36° sentitur ardor, et ad 45° sensatio est ustionis. Cero physiologicum est proin versus 33°. Et variationes distantiae ex cero ad unum vel aliud extremum dant diversitatem sensationum. Corpuscula Krause in extremitate nervorum sita recipiunt caloris frigorisve impressionem.

Tum fatigatio tum quoque contentio contrarietatis datur.

Tactus pressionis in corpusculis Meissner impressione recepta diversam sensationem experitur iuxta obiecti applicati superficiem, et pressionem exercitam, iuxta durationem impressionis et regionem tactam corporis, iuxta numerum interruptionum et succesionem contactus, iuxta temperaturam qua corpus invenitur.

Tactus doloris ut talis habet suam propriam sedem impressionem recipiendi et suum proprium nervum eam conducendi, siquidem haberi potest anelgesia et tamen non anaesthesia. Cum aliae sensationes tactus intensae fiant, tum per concomitantiam extenditur impressio ad nervum doloris. Excitantur nervi doloris pressione, calore, frigore, electrice, chimice, iique nervi sunt valde superficiales, siquidem officium malorum praeservativum ex instituto naturae servant. Modus autem excitationis videtur esse mutatio concentrationis in solutionibus texturae in qua jacent puncta dolore afficienda.

Natura sensationis doloris est eiusmodi ut cum in objecto repraesentando sit valde obtusa, nimirum solum exhibet aliquid nocivum, characterem subiectivum displicentiae induat quam maximum et intensissimum.

Finalitas harum omnium sensationum tactilium est aperte defensiva organismi et tactus pressionis quoque ad artem mechanicam necessaria est.

104. **Motus relativus membrorum in corpore** cognoscuntur maxime per impressionem receptam in corporibus Paccini cum musculi et tendones trahuntur in motibus. Maxima sensibilitas ad motum relativum percipiendum datur in lingua ut exigit loquelae perfectio et incredibilis varietas imaginum tactilium necessariarum ad loquendum.

105. **Positio corporis in spatio** potissimum cognoscitur et per visum et per sensationem tactilem subobscuram quae in canalibus auditus oritur.

Impressio causatur in nervis canaliciis non tam per sonos exteriores quam per continuas vibrationes quae ex circulatione et respiratione ad ossa capitis circumferuntur et inde ad canales propagantur. Triplex planum perpendiculare quo situantur canales, dat eorum impressionibus aptitudinem ad corporis positionem determinandam. Ducitur impressio per nervos usque ad gyrum centralem anteriorem ibique associantur elementa imaginum ad phantasiae elaborationem qua exhibetur proprium corpus in spatio.

Communicatio nervea inter canales et cerebellum, et centra motora oculorum, et medullam spinalem vias reflexas parat ut dirigantur motus voluntarii oculorum et membrorum (1).

106. **Totus apparatus** vegetativus, digestivus, respiratorius, circulatorius, dat segetem copiosam sensationum internarum quarum praecipue sunt sensationes, famis, sitis, anxietas respirandi, defatigatio et debilitas totius corporis et languor. Hae omnes sensationes tactiles etiamsi in objecto repraesentando obtusae, eminent in modalitate grata vel ingrata, bonae vel malae dispositionis, quae est prima et generalis affectio ad vitam appetitivam conducens. Tonus hic affectivus ex congerie sensationum internarum resultans est non minimae efficatiae in reliquas et superiores vitae affectivae operationes. Quas caute et paedagogus et unusquisque in vitae socialis relationibus observare licet.

---

(1) Cfr. Cyon.—*Das Ohrlabyrinth*, Berlín, 1908.

107. Omnes quidem sensationes quandoquidem sunt organicae, per vias communicantes cum systemate sympathico inducunt facile in via circulatoria, respiratoria aliquam mutationem si intensitatem adquirant. Qua posita variatione in vita vegetativa illico mutatur dispositio ipsius organi sentiendi et processus physiologicus quo ex periphaeria ad cerebrum impressio ducitur, immutatur. Talis immutatio in processu physiologico affert sensationi modalitatem affectivam gratam vel ingratam, quae non est actus novus sed ipsarum sensationum nova modalitas derivata ex immutatione processus physiologici via et ope sympathica.

108. His delibatis omnia hactenus de sensatione dicta breviter comprehendes: Sensatio, docente S. Thoma, *ordinatur ad duo*: *uno enim modo tam in hominibus quam* in aliis *animalibus*, *ordinatur ad corporis sustentationem, quia per hujusmodi cognitionem homo et alia animalia vitant nociva, et conquirunt ea quae sunt necessaria ad corporis sustentationem. Alio modo specialiter in homine ordinatur ad cognitionem intellectivam, vel speculativam, vel practicam* (1). Porro sensatio duo necessario importat, potentiam, quae est proximum principium illam eliciens, et sensus appellatur, ac objectum sensatione expressum aut repraesentatum. Et quoniam sensus sine objecti impressione non potest sensationem elicere, duplex in eo momentum est distinguendum: alterum passivum, in quo impressionem recipit, alterum, in quo, impressione recepta, vitaliter exprimit vel repraesentat objectum. Atque in hac vitali objecti expressione stat sensatio, quippe quae non est mera impressionis receptio, nec ejusdem entitativa quaedam transformatio, sed nova eaque immanens actio. Illud quoque notandum venit in omni sensatione duplex quasi elementum distingui posse, alterum objectivum, subjectivum alterum. Objectivum stat in eo quod omnis sensatio, utpote cognitio, objectum aliquod necessario referat, ita ut repugnet sensatio nihil repraesentans. Elementum subjectivum stat in eo quod sensatio sit actus et affectio subjecti. Affectio haec saepissime jucunda vel ingrata sentitur potissimum in gustu, odoratu et tactu, interdum etiam in auditu vel dulcis concentus, vel horridi strepitus, et in aspectu lucis; alias vero indifferens est, nec specialem prae se ferens voluptatis dolorisve sensum.

109. Nunc plura consideranda circa sensationem proponuntur.

I. An obiectum in ea repraesentatum sit modificatio subiecti an obiectum extrinsecum sentienti.

II. Natura ipsa sensationis saltem negative est dilucidanda: nimirum quod non sit operatio physicochimica sed specialissima.

III. Quaenam relationes inter impressionem et sensationem intercedant.

IV. An sensatio sit functio solius animae, an potius organi animati.

V. Quale organum sit sensationis.

VI. Qualis virtus ex anima in organum sentiendi derivetur.

Quae quaestiones erunt tractandae in articulis separatis.

---

(1) S. Thom. 2.ª, q. 167, a. 2.

ARTICULUS II

Quod sit sensuum objectum.

110. **Objectum sensus vocatur** *sensibile*, quod triplex distinguitur, *proprium, commune* ac *per accidens.*

Proprium est, quod ita sentitur uno sensu, quod non potest alio sensu sentiri... sicut visus proprie est cognoscitivus coloris, et auditus soni, etc. (1), odoratus odoris, gustus saporis, tactus resistentiae, caloris et reliquarum tactilium qualitatum.

Sensibile commune est id, quod non ab uno duntaxat, sed a pluribus sensibus percipitur: talia sunt motus, quies, numerus (quo revocatur unitas), figura et magnitudo (id est, moles et corpulentia), ad quae revocari possunt quaedam alia a nonnullis (2) adjecta, ut v. g. distantia, et locus, quae continentur sub magnitudine.

Sensibile per accidens, quod per se non movet sensum, nec ob aliud sentiri dicitur, nisi quia est conjunctum cum eo, quod per se cadit sub aliquem sensum; ut si quis dicat se *videre* **dulce** vel **filium Petri,** non enim videt per se nisi *coloratum,* cui accidit esse *dulce* vel *filium Petri.* Ad rationem sensibilis per accidens tres requiruntur conditiones: α) primo, *quod accidat ei quod per se est sensibile, sicut accidit albo esse hominem.* β) *Secundo requiritur, quod sit apprehensum a sentiente; si enim accideret sensibili, quod lateret sentientem, non diceretur per accidens sentiri* (3). γ) *Tertio,* quod statim apprehendatur sine dubitatione ac discursu ad occursum qualitatis sensibilis; sicut videns aliquem loquentem vel se moventem apprehendo eum *vivere* seu vitam ejus (4).

Discrimen triplicis hujus sensibilis in eo est, quod sensibile per accidens, prout tale, non immutat sensum, seu non imprimit speciem sui propriam, sed est duntaxat conjunctum cum eo, quod talem speciem et immutationem infert: unde fit, ut non *per se* sentiatur, sed solum sentiri dicatur ratione illius, cum quo conjungitur. Quod enim est sensibile per accidens respectu omnium sensuum, proprie non percipitur nisi ab intellectu. At sensibilia cum communia tum propia *per se* sentiuntur, cum hoc tamen discrimine, quod propria speciem propriam et peculiarem imprimunt, qua propter *primo* et *per se* percipiuntur; communia vero non *primo* percipiuntur, sed *secundario,* videlicet ratione propriorum sensibilium, quia non immittunt distinctam et peculiarem speciem, sed movent unumquemque sensum media specie sensibilis proprii, ut figura, v. g., et magnitudo visu percipiuntur quatenus *coloratae,* tactu autem quatenus *resistentes,* etc. (5). Unde sensibilia communia medium tenent inter sensibia propria et per accidens (1). Caeterum facile conceditur sensibilia communia, quamvis ex frequentissima sententia contra paucos non immittant speciem peculiaren ac distinctam, modificare tamen speciem sensibilis proprii. Cum enim unumquodque agat prout est qualitates sensibiles aliter debent immutare sensum prout hanc illamve magnitudinem aut figuram habeant, ac prout sint in motu vel in quiete.

---

(1) S. Thom., *de anim.*, lib. 2, lect. 13, paragr. *b.*

(2) Vide Suarez *(de anim.*, lib. 3, cap. 8, num. 7), Lossada *(de anim.*, disp. 5, num. 95).

(3) S. Thom., *de anim.*, lib. 2, lect. 13, paragr. *d.* Cfr. 4.°, dist. 49, quaest. 2, art. 2 in corp.

(4) S. Thom., locis citat. Cfr. Suarez, loc. cit., num. 2. Lossada, loc. cit.

(5) Vide Suarez, loc. cit., num. 9, ubi quaedam alia discrimina explicantur. Cfr. S. Thom., 1 p , quaest. 17, art. 2.

111. Alia quoque divisio solet nunc adhiberi excitamentorum: nimirum in excitamenta adaequata et excitamenta inadaequata. Excitamenta adaequata sunt virtualitates quae unum tantum sensum afficiunt, et ideo respondent sub alio nomine accidentibus sensibilibus propriis. Excitamenta vero inadaequata vocantur illae energiae corporum quae non modo unum sensum sed omnes afficere possunt eo quod sint energiae quibus amnis nervea in quolibet nervo determinari valet. Talia sunt amnis electrica, energia mechanica debite applicata, chimica corpora, etc. Acceptis enim his excitamentis et amni nervea provocata in nervo, illico facultas sentiendi organica ad propriam functionem determinatur. Hinc vero sequitur,

Sensibilia propria jure merito appellari qualitates per se sensibiles: qualitates quidem, tum quia per eas corpora dicuntur *qualia*, vel certo modo affecta; tum quia, cum sint activitates quaedam, in accidentium numero et in qualitatis praedicamento reponendae sunt et sic a Scholasticis cum Aristotele ad tertium membrum quadripartitae suae divisionis revocatae sunt (2). Dicuntur autem per se sensibiles, quia ad eas directe terminantur sensationes, et quidem non secundario, sicut ad sensibilia communia (n. **110**), sed primario, quia ratione sui et per propriam speciem percipiuntur.

112. Qualitas ergo sensibilis definiri potest *qualitas immutativa sensus in ordine ad sui apprehensionem*, ac dividitur in tot species, quot sunt virtutes vel energiae, quae movere aliquem ex sensibus externis valeant ad peculiarem suum actum sensationis. Nempe color est qualitas immutativa visus (3), sonus qualitas immutativa auditus et ita porro. Agunt autem in sensum immutando illum, sive immediate, sicut v. g. in gustu, sive medio spatio interjecto, sicut agunt corpora in alia dissita (4).

113. Caeterum concedendum est in qualitatibus sensibilibus, ac nominatim in luce ac sono, dari vibrationes et undulationes, et praeterea propagationem earum, quae per alterationem successivam peragitur, motum quoque translationis importare. Unde leges vibrationum, quas Physici docent, possunt locum habere, licet sensibilia propria sint qualitates a motu distinctae, ad quas sensus directe terminantur, quia videlicet sunt cum motu conjunctae, ac proinde in nostra sententia in Cosmologia propugnata stare possunt omnes prorsus formulae, quas viri peritissimi post accuratam phaenomenorum observationem statuerunt. Id solum negavimus, essentiam ipsam sensibilium propriorum in vibrationibus undulationibusque sitam esse, sive interea vibrationes istae propter alterationem quam in materiam inducere valeant, sint causae qualitatum hujuscemodi, sive potius harum sint illae effectus.

---

(1) Lege S. Thom., 1 p. quaest. 78, art. 3, ad 2.^{um}

(2) Cfr. Compend. volum. 2.^{um}, num. 358.

(3) S. Thom., 1., quaest. 67, art. 3; 2 ° dist. 13, quaest. 1, art. 3.

(4) Cfr. Compend. volum. 2.^{um}, num. 473.

Nimirum energia corporum potest considerari sive dum est in aequilibrio et actu non agit, vel potest considerari quando est actuosa et actu operatur in corpora circumstantia et proin in organa sensus. Ut sit actuosa in actu secundo debet esse in motu: sed non ideo ratio motus reddit illam activitatem formaliter sensibilem, quia motus solum destruit aequilibrium, destructo autem aequilibrio elementa corporum (subatomi, atomi et moleculae), suis energiis praeditae mutuo agunt inter sese, mutuo afficiuntur sicque earum energiae oscillationes patiuntur. Haec perturbatio ipsis energiis (quae in nomenclatura scholastica dici potest modus dynamicus ipsarum energiarum) reddit eas quae antea erant solum potentialiter sensibiles, actu et formaliter sensibiles. Cogita, v. g., mutationem campi electrodynamici in motu electronum qua immutatione electrones formaliter colorati redduntur et visibiles.

114. Sed hic animadvertendum est eamdem energiam posse diversis facultatibus cognoscitivis diversa ratione formali repraesentari. Energia si repraesentatur ut vera causa influens et immutans organum, est obiectum intellectus cuius est relationes causae et effectus percipere. Sensus nequit hoc modo energiam immutativam sensus repraesentare. Sed eamdem repraesentat modo suo, videlicet si visus est sub ratione coloris, si auditus est sub ratione sonitus, et singuli sensus suas rationes formales repraesentandi energias exteriores habent.

In omnibus cognitionibus obiectum materiale percipitur, sed percipitur sub ratione formali: sic etiam in sensu accidit, ipsae energiae sunt obiecta materialia percepta in sensatione, sed ratio illam energiam repraesentandi est diversa in diversis sensibus.

Singuli sensus habent quidem suam propriam rationem formalem sed habent quoque suam energiam propriam qua extrinsecus a corporibus immutantur. Energia propria quae visum immutat non immutat auditum, energia immutans auditum non immutat visum et sic porro. Ideo sensibilia propria dicuntur quoque excitamenta adaequata. Quod praeterea dentur quoque energiae et excitamenta inadaequata, quae varios sensus immutare valeant, non tollit existentiam propriorum excitamentorum neque coordinationem naturalem inter sensus et energiam sensibilem propriam.

Ratio autem formalis sub qua obiectum materiale cognitionis attingitur est fructus activitatis facultatis cognoscitivae: sic in intellectu universalitas qua quidditates rerum repraesentantur est opus intellectus: universalia enim qua talia solum in mente existunt. Sic conceptus quos de divinis attributis habemus, etiamsi quoad id quod repraesentant veri, non autem sunt in Deo iuxta modum nostrum imperfectum et fragmentarium repraesentandi sub rationibus distinctis cum in Deo cuncta sint una simplicissima perfectio et infinita.

115. Jam vero *sicut injuria exigunt agnostici ad veritatem* Theodiceae ut nostri conceptus conformentur non modo quoad rem repraesentatam sed etiam quoad modum repraesentandi ipsis divinis attributis, sic pariter injuria arguunt Kantiani contra scholasticos quod sensus nostri energias extrinsecas attingant singuli iuxta suam propriam activitatem, siquidem verissime in constanti et universali experientia sensili attingimus per sensus quod essentiam energiae sensibilis constituit: Nimirum sciscitanti quid sit lux? statim omnes respondemus: id quod visu attingo et quod afficit meum oculum et determinat sensationem videndi. Quid est sonitus? Id quod afficit meum auditum et determinat in me auditionem.

116. **Status quaestionis.**—Sententia communis scholasticorum tradit sensationis obiectum esse energiam extrinsecam et immutativam organi ad sui apprehensionem quam nuper descripsimus. Alia disputatio scholastica an obiectum sensibile proprium sit motus, est quaestio potius cosmologica cum agitur de natura reali energiarum: hanc quaestionem esse secundariam in Psychologia patet et proin nullatenus oportet eam misceri in gravissima quaestione de obiecto in sensatione percepto.

Moderna autem Psychologia non patitur in sensationibus nostris percipi energias externas, quia cum sensatio sit modus sentientis et functio sentientis, negat posse obiectum esse aliud quam ipsius subiecti modificationem ab obiecto in organo causatam (1). Ignorant vere quam mirabilis operatio et functio sit sensatio et generatim cognitio: quomodo sit tendentia vitalis ipsius subiecti in obiectum cognitum.

Multum dein laborant ut explicare possint obiectivitatem sensationis quam omnes experimur, sed frustra laborant neque aptam explicationem reddere valent. Energiae extrinsecae sunt pro ipsis mere causativa sensationum, nullo modo termini sensationum. Sensatio respectu obiectorum seu energiarum est mere symbolica.

Contra modernos ergo sit

117. Propositio.—**Obiecta in sensatione externa percepta sunt energiae extrinsecae sentienti.**

Prob. 1.° Experientia. In visu percipimus agros, montes, aedificia: in auditu percipimus melodias, verba loquentium: in tactu tangimus rupes, solum terrae, corpus proprium; in gustu percipimus cibos et potus. Non autem cognoscimus sensu nostra organa neque earum impressionem ab energia extrinseca productam nisi cum ipsa sit obiectum sensationis proprium ut in dolore. Magnitudinem obiectorum, aedificii, non autem impressionis retinalis aut nerveae percipimus, situationem corporum in spatio reali, non sedem impressionis in stratis retinae.

Qua posita diurna experientia arguitur:

Experientia vulgari cognoscimus in sensatione energias extrinsecas sentienti. Atqui experientia scientifica non corrigit talem experientiam vulgarem sed eam perficit et complet investigata natura ulteriori energiarum extrinsecarum ut in scientiis naturalibus et physicis fit. Ergo obiecta in sensatione externa percepta sunt energiae extrinsecae sentienti.

---

(1) *La perception immediate est le véritable scandale de la Psychologie actuelle.* Dehove. *Sur la Perception extérieure* (Revue de Philosophie, t. IX, 1906, pag. 431, et lege seriem articulorum ejusdem auctoris). *Die anscheinend unmittelbare Wahrnehmung aussere Obiekte ist eine Tauschung...* Case apud Oesterreich, pag. 555, et lege possunt plura testimonia similia in eodem tomo Historiae Philosophiae Fr. Ueberwegs Grundriss der Geschichte der Philosophie, t. 4, Berlin, 1916.

Sane *a)* Definitio mostrat quid sit res: atqui definitio desumpta ex testimonio sensuum circa sensibilia, monstrat quid sit sensibile, nimirum energia immutativa sensus seu est id quod sensum afficit eumque determinat ad sentiendum. Talis autem definitio verissima est etiam considerato statu actuali scientiarum.

b) Et primo quidem sensibilia propria, testantibus omnibus, sunt objecta sensuum externorum, nisi velis hos nullum objectum habere, quod prorsus absurdum est, siquidem potentia est propter actum, actus autem cognoscitivus non potest non objectum aliquod attingere. 2.° Deinde nisi sensibilia sint in se ipsis, prout a sensibus percipiuntur, id est immutativa sensus in ordine ad eorum perceptionem, sensus nequeunt dici veraces, quia in hoc praecise stat veritas cognitionis, ut percipiat objectum prout est in se (1). *Veritas... non sic est in sensu, ut sensus cognoscat veritatem* (nempe eo speciali modo (2), quo cognoscit eam intellectus per actum judicii), **sed in quantum veram apprehensionem habet de sensibilibus...** *Quod quidem contingit ex hoc,* **quod apprehendit,** *vel* **judicat res, ut sunt**. *Unde contingit* **falsitatem esse in sensu ex hoc, quod apprehendit,** *vel* **judicat res aliter, quam sint** (3).

Et ideo est valde sophistica argumentatio adversariorum, qui ex ignorantia intellectuali de quidditate lucis et generatim obiectorum sensibilium per plura saecula habita, concludunt subiectivismum sensationis, quasi nostras modificationes subiectivas melius cognosceremus in temporibus retro habitis ac in nostris (4).

Probatur 2.° Ex absurdis consectariis. Si cognitio externa sensilis non est perceptiva ipsorum obiectorum, ducimur in idealismum et subiectivismum non modo particularem de cognitione sensili sed universalem de omni cognitione etiam intellectuali, unde incidimus in agnosticismum et mutata logice ipsa notione veritatis, veritates solum relativas et quarum conformitas non sit desumenda ex obiecto sed ex lege cogitantis admittamus oportet, quemadmodum psychologia moderna subiectiva docet. Atqui haec omnia sunt systemata falsissima et quae totam veritatem historicam, philosophicam et religiosam pessumdant. Ergo...

---

(1) Cfr. Compendium, vol. 1, num. 244.

(2) Ibid., num. 255, 256.

(3) S. Thom. 1 p., q. 17, a. 2 Cfr. *De anima*, lib. 3, lect. 6, paragr. 6, etc.

(4) Ideo perperam Taine convertit locutionem cum ait: «Potius sensatio dicenda est hallucinatio vera, quam hallucinatio vocanda falsa sensatio». Etenim sensatio vera est siquidem objectum reale, energias nempe externas exhibet; hallucinatio vero est falsa quia objectum tanquam reale repraesentat cum non datur. Cfr. Fröbes *Lehrbuch der experim. Psych.* I, pag. 259.

Maior patet quia omnes potentiae cognoscitivae per se sunt aeque veraces atque infallibiles natura sua circa propria obiecta, siquidem sunt instrumenta divinitus concessa ad veritatis assecutionem. Ergo vel omnibus aeque fidendum est, vel nullius testimonium tamquam dubium vel falsum respuendum est intra limites in Logica declaratos. Ergo si sensus non referunt sensibilia propria prout sunt, energiae extrinsecae, sed dicuntur esse merae subiecti modificationes, jure merito dubitari potest de testimonio ipsius intellectus ex quo strata manet via ad criticismum et scepticismum. Unde percipit intellectus obiectivitatem mundi corporei nisi ex sensuum testimonio? Quomodo autem testimonium illud valebit si quod percipiunt sensus est subiecti modificatio et non ipsa energia extrinseca corporum?

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

118. **Objic. 1.°** Quamvis perceptio sensibilium propriorum non sit objectiva, sed pure subjectiva, nihil est timendum objectivo valori humanarum cognitionum. Intellectus enim noster ex Aquinate, licet utatur speciebus et imaginibus idealibus (id est, verbo mentis)ad objecta cognoscenda, non tamen directe ipsas species et imagines, sed objecta percipit in se ipsis. Ergo possumus quidem negare objectivitatem sensationum, quin periclitetur valor objectivus cognitionum (1). **Respond.**, *neg.* assert. Ad probation. *dist.* antec: Intellectus objecta percipit in se ipsis, si sensus veraces sint, et cognoscant objecta prout sunt in se ipsis, *conc.;* secus, *nego*, tum quia ipsi sensus praebent intellectui materiam, unde infidelis sensuum relatio intellectum ad errorem inducere potest; tum quia si testimonio sensuum nequit fides adhiberi, nec adhibenda est intellectus testimonio, eadem enim est ratio persuadens veracitatem omnium facultatum cognoscitivarum.

Objic. 2.° Illud est inter sensus et intellectum discrimen, quod illi non cognoscunt suam naturam, intellectus vero cognoscit se, videtque suam naturam esse, ut se conformet rebus, eas, prout in se sunt, repraesentando. Ergo quamvis testimonium sensuum recusetur ut dubium, vel etiam ut falsum, non ideo neganda vel in dubium revocanda est intellectus veracitas (2).—**Respond.**, *neg.* conseq. Nam quamvis sensus non cognoscat naturam suam, intellectus tamen eam probe novit, perspicitque argumenta probantia veracitatem facultatum cognoscitivarum aeque militare pro sensibus, quam pro ipso intellectu.

Objic. 3.° Haec est sententia S. Thomae: *Veritas non est in sensu, sicut cognita a sensu* (3). Contrarium vero docet S. Doctor de intellectu. Ergo ex S. Thoma est discrimen inter sensum et intellectum relata ad cognitionem veritatis, etc.

---

(1) Domet de Vorges, *La Perception et la Psychologie thomiste*, chap. 13, pag. 238.

(2) Domet de Vorges, op. et loc. cit., pag. 239, 240.

(3) *De verit.*, quaest. 1, art. 9.

Respond., *dist.* anteced. Veritas non est in sensu, ita ut sensus cognoscat se possidere veritatem, vel elicere hic et nunc cognitionem veram, sicut cognoscit intellectus, *conc.;* veritas non est in sensu, id est, sensus non habet cognitionem veram seu conformem rebus prout sunt in se ipsis, *nego* (1). Et simili modo *disting.* conseq.

Objic. 4.° Sensus non sunt nobis dati ad judicandum de rerum naturis, sed id muneris ad intellectum spectant. Atqui si sensus repraesentarent res, prout sunt in se ipsis, ad eos pertineret de corporearum qualitatum natura. Ergo sensus non praesentat res, prout sunt in se ipsis, ac proinde repraesentatio eorum est pure subjectiva.

Respond., *dist.* Major.: Sensus non sunt dati nobis ad judicandum de naturis rerum secundum intimam earum essentiam, *conc.*; secundum externa accidentia, quasi nihil possit de corporea realitate a sensibus attingi, *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Intellectus quidem est judicare de rerum essentiis, verum necesse est ad hoc, ut prius audiat relationem sensuum, ad quos pertinet proprietates et operationes corporum investigare. Testes sunt omnes scientiae naturales, immo et philosophicae. Tolle testimonium sensuum, et quid possit intellectus nosse de rerum essentiis? Putasne caecos et surdos aliisve sensibus carentes ad scientias comparandas valde idoneos esse? Lege S. Thomam (2).

Plura in alio opere (3).

ARTICULUS III

Utrum sensus sit potentia pure materialis, cujus actus solis materiae motibus absolvatur.

119. Materialistae cum nullam substantiam praeter materiam in rerum universitate agnoscant, consequenter etiam nullas actiones actionibus materiae praestantiores admittere volunt. Primo enim prisci atomistae, Leucippus, Democritus et Epicurus, quos deinceps secutus est impius pöeta Lucretius Carus, sensationes, immo et intellectiones, peragi existimarunt per meram *idolorum* vel *imaginum* aut *simulacrorum* receptionem, quae veluti subtilissimae membranae ex corporibus abrasae, quaquaversus volitent, animum per organa ingrediantur, sicque reddant illum cognoscentem. Hanc sententiam paululum immutatam post multa saecula instauravit impius scriptor et scepticus Thomas Hobbes, ac postea La Mettrie, Cabanis, Morgan, Broussais, quod sequitur recentior turba materialistarum et positivistarum cum Moleschott, L. Büchner, Tyndall, Feuerbach, Spencer, Taine aliique (1). Ex quorum sententia sensatio aliud non est praeter motus quosdam mere mechanicos, titillationesque fibrillarum cum cerebri reactione; etenim inter cerebrum et organa corporis externa tenduntur nervi sensiferi, per quos impressiones vel ab objectis externis vel ab interioribus partibus provenientes ad cerebrum transmituntur, in eoque certas modificationes ac reactiones determinent, necesse est, in quibus sensationem reponendam esse contendunt. Hae porro cerebri modificationes ac reactiones, in quibus stat sensatio, in se ipsis non sunt nisi *motus quidam moleculares* (2), vel *phosphorescentia* seu actio phosphori in cerebro contenti, vel tensio electrica, vel peculiaris aliquis modus quarumdam combinationum (3), vel motus quidam servans analogiam cum multiplicibus combinationibus infinitisque vibrationibus sonoris (4).

---

(1) Cfr. Compend. volum. 1.^{um}, num. 255 et 256, ubi ex S. Thoma et communissima Scholasticorum sententia declaratur, quo pacto sit veritas in simplici aprehensione et judicio.

(2) Opusc. *super Böetium de Trinit.*, quaest. 6.^{a}, art 2.°

(3) Volum. 5.°, num. 164.

Quod si talis est sensatio, virtus ipsa sentiendi non poterit esse aliud praeter vires et qualitates corporibus omnibus communes, vel saltem praeter temperiem quamdam dispositionemve materiae accidentalem, motibus vel modificationibus, in quibus sensatio reponitur, recipiendis accommodatam. Unde etiam principium correlationis virium naturalium et conversio aliarum in alias (5) extenditur a materialistis usque ad vires sensitivas et intellectivas, quas volunt aliud non esse nisi formas quasdam vel transformationes virium pure materialium (6). In cujus doctrinae fulcimentum afferunt ipsam *Aesthesimetriam*, vel mesuram sensationis, cujus leges exponuntur in libris *Psycho-Physices* et *Psycho-Physiologiae* atque *in experimentali*, quam dicunt, *Psychologia* (7).

120. Propositio.—**Absurda est sententia, sensationem reponens in motibus pure mechanicis vel materialibus quomodolibet explicatis: quare facultas etiam sensitiva praestatiorem aliquam activitatem importat, ab omnibus viribus et qualitatibus materiae brutae atque a qualibet illarum resultantia specifice distinctam.**

Prima pars probatur 1.° ex communi omnium sensu, qui sensationes sic apprehendunt, ut nihil commune videant inter illas et meras titillationes modificationesve pure physicas materiae. Id fatentur ipsi materialistae, ut Du Bois-Reymond et Tyndall (1).

---

(1) Cfr. K. Oesterrich in Fr. Ueberwegs Grundriss der Geschichte der Philosophie, t. 4 (ed. 11.ª, Berlín, 1916), pag. 254, 261. Schanz-Koch, in Apologie der Christentums, t. 1.° (Freiburg, i. B., 1910), pag. 349-350.

(2) Ita v. g., Taine, *L'intelligence*, préface, p. 9.

(3) Tyndall, apud P. Salis-Seevis, *Della conoscenza sensitiva*, num. 428.

(4) Maudsley, *Physiologie de l'esprit*. Traduit de l'anglais par A. Herzen, pag. 78, 79.

(5) Cfr. Comped. volum. 3.um, pag. 185 (2.ª ed.).

(6) Vide H. Spencer, *Premiers principes*, pag. 191 seqq.

(7) Cfr. volum. 4.um, num 191.

Prob. 2.° Sensatio est actus vitaliter repraesentativus obiecti quod impressionem in organum fecerit. Atqui talis actus non potest intra ambitum actionum physicochimicarum includi, sed est operatio nobilissimum actionum organicarum gradum attingens. Ergo...

Maior prob. Ipsa experientia interna in nobis et argumento analogiae in animalibus. Ideo sensatio inter functiones relationis computatur a Physiologicis quia est obiecti alterius vitaliter repraesentatrix, statuens inter animal et mundum sensibilem peculiarissimum et vere sui generis commercium (2).

Minor prob. *a)* ex comparatione cum qualibet actione physicochimica quae tali conditione semper et ubique caret non quidem ut circumstantia mere accesoria (epiphenomenum vocant) sed ut nota essentialis intrinsece imbibita in ipso actu sentiendi.

b) Quia motus spontanei seu quae cognitionem sequuntur (post actum appetitionis), determinantur qualitative ex obiecto repraesentato: quod cum existentiam physicam non habeat in actu repraesentativo, physice nequit influere in motum, sed mediante actu appetitionis. Atqui hoc est evidens signum sensationem non esse ut talem actionem physicochimicam, sed altioris ordinis non modo infravitali sed etiam ordine vegetativo.

Ideo simplex leporis vel heri aspectus facit canem currere, saltare; visio alterius canis excitat canem ad iram et cruentam pugnam; levis stimulus vel sibilus agasonis equum incitat ad trahendum grave pondus. Atqui nulla prorsus est in his proportio nec possibilis explicatio in contraria sententia (3).

Secunda pars sponte sequitur ex prima, nam ex natura et conditione operationum recte colligitur natura et conditio principii earum.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

121. **Objic. 1.°** Inter sensationem et id quod sentitur proportio et similitudo aliqua intercedere debet. Atqui per sensationem percipimus corpora corporeosque motus. Ergo et ipsa debet esse motus materialis.

Respond., *dist.* Major. Debet intercedere proportio et similitudo entitativa et secundum convenientiam in entitate physica, *neg.;* intentionalis et secundum repraesentationem, *conc.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 2.° Omnis sensatio fit cum aliquo motu, nam necesse est, ut illam praecedat in organo impressio materialis ab objecto proveniens, quae, ad cerebrum transmissa, gignat in eo quasdam modificationes. Ergo...

---

(1) Vide in alio opere, volum. 4, num. 192, *Prob. 1.°* in nota 1.
(2) Cfr. S. Thom., 1 p., quaest. 14. art. 1:
(3) Cfr. volum. 4.um, num. 192, ubi pauca alia.

Respond., *neg*. conseq. quod sophistice infertur. Ex eo enim quod sensationem praecedat, vel comitetur motus vel modificatio physica et naturalis organi, perperam infertur illam in hac consistere.

Instabis. Non solum in omni sensatione inest alteratio et immutatio organica, verum etiam nihil aliud praeterea potuit invenire Physiologia post accuratissimas observationes.—**Respond**., *dist.* assert. Nihil aliud potuit invenire per externa experimenta, *trans.;* per ratiocinium, *nego*, ut patet ex probationibus.

Objic. 3.° Vitiato vel corrupto organo, nulla sequi sensatio potest: itemque variata organi dispositione, variatur modus ipse ac perfectio sensationis. Ergo vis sentiendi non differt ab organo materiali suisque dispositionibus materialibus.—**Respond**., *neg*. conseq. nam ex antecedenti solum sequitur logice necessitas organi recte dispositi ad sentiendum, non vero identitas facultatis sensitivae cum illo.

Objic. 4.° Sensatio mensurari potest, notissimaque est lex a Weber inventa, secundum quam *sensationes crescunt, vel intensiores fiunt sicut logarithmi excitationum, ex quibus illae gignuntur* (1).—Ex qua Fechner hanc aliam concludit, quae in idem fere recidit: *Intensitas sensationis aequat logarithmum excitationis multiplicatum per constantem quamdam quantitatem, quae pro singulis sensationibus experimento definienda est*. Atqui quod mensurari potest materiali mensura, certamque relationem servat cum materiali excitatione, materiale est. Ergo sensatio est phaenomenum pure materiale.

Respond., *dist*. Minor. Quod mensurari potest, etc., materiale est, nempe dependet a materia in *esse*, *conc.;* est phaenomenum pure materiale, *subdist.:* nisi habeat alias notas illud a phaenomeni pure materialis conditione elevantes, *conc.;* si habeat ejusmodi contiones, prout habere sensationem vidimus, *nego*. Et *neg*. conseq.

In primis fatentur ipsimet Physiologi, Weberianam legem penitus exactam non esse, ut videre est in alio opere (2): quare reapse nondum satis accurate mensurari potuit sensatio. Verum etiamsi exactissime potuisset mensurari, nihil sequeretur contra nostram thesim. Sensatio enim mensurari potest vel secundum extensionem seu magnitudinem, vel secundum intensionem, vel secundum tempus aut durationem Quod sensatio sit mensurabilis secundum extensionem non officit ejus vitalitati et conditioni imaginis objecti repraesentati, sicut naturae ac conditioni animae non opponitur quod possit esse extensa vel extensive divisibilis. Minus adhuc repugnat, quod sit mensurabilis secundum intensionem, de qua praecipue mensura loquuntur Psycho-Physiologi, et secundum tempus; quia gradus intensionis dari possunt etiam in qualitatibus simplicissimis et spiritualibus; tempore autem mensurari possunt, saltem improprie actus etiam simplices et spirituales (3). Illud demum adjungo, cum sensatio sit organica, et in organo recipiatur, mirum non esse, quod mensurari queat, ex quo tamen nullatenus sequitur eam aut solis viribus materiae perfici, aut esse ordinis ejusdem ac caeterae operationes materiales.

---

(1) Qua de re fuse W. Wundt, *Éléments de Psychologie physiologique*... tom. 1, pag. 363 seqq., pag. 377 seqq. Cfr. Bonniot, *L'âme et la Psysiologie*, pag. 114 seqq.; Farges, *Le cerveau, l'âme et les facultés*, 2.ᵉ édition, pag. 208 seqq.; pag. 223 seqq., et potissimum Froebes, 1. 7 Lehrbuch der experimentelle Psychologie, t. 1, (Freibug i. B 1923) pag. 463-517 in quo habes fontes bibliographicos valde selectos.

(2) Volum. 4.°, num. 193, in respons. ad *Objic. 5.°*, paragr. *Caeterum utrum*.

(3) Cfr. Compend., volum. 3.ᵘᵐ pag. 163, 175, 179.

Quaedam alia videri queunt in opere fusiori (1).

Objic. 5.° Processus integer sensationis incipit in impressione et desinit in motu: atqui utrumque extremum est tandem actio physicochimica et in uno processu continuo elementa processus debent esse homogenea: ergo etiam sensatio et appetitio quae in serie includuntur sunt actiones physicochimicae.

Concessa maiori et prima parte minoris, nego secundam partem minoris nimirum quod in uno processu continuo omnia et singula elementa debent esse homogenea. Hoc est falsum si in processu intervenit nova causa qualis hic nimirum sensus seu potentia psychica quae organum foecundat sentiendi virtute ex anima derivata.

In psychologia moderna planum est argumentum validum esse quia statuit merum processum seu successionem actuum quin admitant eorum causam, sed actus nequeunt invicem succedere nisi detur apta causa. Haec autem hic est sensus.

ARTICULUS IV

De relatione inter excitationem et sensationem.

122. Quaeritur jam: quaenam relatio intercedat inter excitationem et sensationem consequentem, siquidem ex thesi anteriori sensatio reponenda est in functione valde speciali, et plene distinguitur ab ipsa impressione relicta in organo ab energia extrinseca. Siquidem talis impressio est similis in nervo sensitivo ac in nervo motore, cum functiones sint valde diversae, sensationis et motus. Praeterea functio physiologica nervea qua transmittitur impressio periphaeriae usque ad cerebrum est naturae centripetae, et proin non potest formaliter subjectum reddere notitiam habens objecti tendentia centrifuga in illud advertens.

Primum ergo consideranda est schola psychoparallelista, dein scholastica doctrina; tertio praemittenda ea quae ex psychologia experimentali cognoscuntur.

123. Schola psychoparallelista moderna. Schemata dabunt graphice omnes sententias modernorum. *a*) Schola materialista schematice repraesentat impressionem et sensationem in una eademque linea processum mere organicum et physicum exhibens.

......0......0......0......0......

Sensatio dicitur a materialistis epiphaenomenum impressionis, seu aliqua modificatio, aliqua modalitas physiologica impressionis. Non: ex dictis in thesi superiori, quia sensatio est novum et specialissimum phaenomenum seu functio.

b) Monismus psychicus similiter una linea repraesentat et impressionem et sensationem, sed linea pro ipsis significat processum psychicum, ut unicam realitatem existentem, et impressionem vocat modalitatem physicam processus psychici. Unde idem schema valet ac antea materialistarum, modo invertas significationem: lineam dicas processum psychicum, et 0 dicas modalitatem physicam ipsius processus psychici. Sed falsissima est haec theoria, siquidem objectum physicum praecedere debet ut habeatur excitatio quae natura sua praecedit sensationi: dein praecedere debet organum bene conformatum: praecedat quoque impressio oportet: et post habetur sensatio seu elementum primum processus psychici. Praeterea evidens ex ipso tactu nos tangere rupes: in collisione automobilium clades physicae oriuntur, personarum mortes, automobilium destructio, etc. Schola ergo Solipcista perquam ridicula est.

---

(1) Volum. 4, num. 193.

Manent scholae psychoparallelistae. *c)* Parallelistae psycho-physici reales admittunt duplicem seriem distinctam, unam seriem phaenomenorum physicam aut physiologicam, alteram psychicam, ambas reales, diversas et independentes, harmonicas, ita ut phaenomenum psychicum dici valeat imago specularis phaenomeni physici. Est schola derivata ex harmonia praestabilita leibnitziana, sed suppresso interventu Creatoris, quo harmonia prorsus ratione sufficiente caret.

Schema propositum ab ipsis est:

......0......0......0......0 *Series physica.*
......0......0......0......0 *Series psychica.*

d) Alia schola psychoparallelista est phaenomenista, quae admittit utramque seriem esse solum modificationem duplicem ejusdem realitatis, ejusdem processus unici X: una modalitas est physiologica, altera psychica.

Schema eorumdem est:

0 ph. 0 ph. 0 ph. 0 ph.
x...... | .... | .... | .... | ....*x*
0 ps. 0 ps. 0 ps. 0 ps.

Haec schola nihil explicat.—In primis identificat re ipsa impressionem physiologicam cum sensatione psychica, secundo statuit processum qui nec sit physicus neque psychicus, tertio non explicat duplicem eiusdem processus formalitatem aut modalitatem. Redolet doctrinam fundamentalem pantheisticam Spinozianam (1).

Scholastici.—Valde attente explicant relationes inter excitationem et sensationem. *a)* In primis omnes conveniunt sensibilia non agere in animam sed potius in corporis organa; sed quoniam organa sunt animata, ideo at per organum et cum organo impressio attingit animam (2).

b) Status inaequilibrii nervei in functione physiologica ab energiis extrinsecis determinata est dispositio necessaria ad sentiendum. Sensatio tamdiu durat quamdiu durat inaequilibrium nerveum et vicissitudines diversas induit iuxta inaequilibrii vicissitudines. Hoc apparet in defatigatione systematis nervei, in anaesthesia, in irritabilitate nimia ad sensationem, in statibus anormalibus.

c) Inaequilibrium nerveum afficit virtutem sensitivam, affectio autem haec dicitur et est species impressa. Haec affectio est forma quaedam, aut imago virtualis energiae extrinsecae. *Forma* quia accidens perfectivum tollens indifferentiam virtutis sensitivae ad hanc potius quam ad aliam sensationem obiectivam. *Imago* quia est qualitative distincta per totum organum ut apparet clare in visu et in auditu; singulae partes, strata, nervi diversi, centra, etc., habent et recipiunt affectionem distinctam obiecto respondentem. Est imago *virtualis* autem et non formalis, quia est heterogenea cum ipsa energia extrinseca a qua causatur mediate: proprie causatur a functione ipsa physiologica excitata ab energia extrinseca (1).

---

(1) Cfr. W. Mac Dougall. Body and Mind (ed. 3, London, 1915).
(2) Cfr. Albertus Magnus, t. 5, pag. 232.

d) Demum haec species impressa sensitiva est virtualitas activa quae organum activum reddit ad sentiendum siquidem complet et foecundat virtutem sentiendi ab anima in organo receptam (2).

124. Quid dicit Psychologia experimentalis?

In primis non quaelibet excitatio recepta (3) in organo illud determinat ad sensationem, sed cum intensitas excitationis intra certos limites continetur. Deinde habita jam sensatione, non quaelibet variatio excitationis secum affert variationem in sensatione sed cum excitationis incrementum acquirit valorem relativum supra pristinum et initialem. Hic valor relativus incrementi est diversus pro diversis sensibus. In tactu pressionis in intervallo 200-75 gr. requiritur ut augeatur onus applicatum 18 gr. ut onus percipiatur tamquam novum. Tensio muscularis ad sustentanda onera apparet ut diversa in proportione relativa 1/2 ad 1/3 oneris primi. Mutatio temperaturae 1/10-1/20° dat iam diversam sensationem temperaturae. In auditu, si dividimus omnes intensitates sonorum in 625.000 milliones, variatio unius intensitatis non dat auditionem novam. In illuminatione variatio claritatis non attingens 1/10 vel 1/12 pristinae non distinguitur.

His positis lex Weber dicit sensationes dignosci ut diversas intensive cum variationes excitationis attingant et superent valorem limitem differentialem relative ad pristinum valorem. Inde sequitur variationes in sensatione non pari gressu sed tardiori sequi excitationis variationes: lex utilissima et necessaria ad vitam et laborem humanum.

Retardatio, ut videtur, oritur in ipsa functione physiologica qua species sensibilis imprimitur et consequenter in ipsa sensatione.

---

(1) Cfr. Conimbricenses: «Adverte autem speciem concurrere non solum active ad operationem, uti diximus, sed etiam formaliter, quatenus concurrit ad specificationem actus, determinando potentiam ad hanc potius quam ad illam operationis speciem. Item quatenus praestat unionem obiecti cum potentia in esse cognoscibili, quae unio est proprius effectus causae formalis. Et vero, quia prius est potentiam uniri intentionaliter cum re cognita, quam tendere in obiectum, prius se habet species ut principium formale quam ut principium efficiens. (in 2 de Anima cap. 6, q. 2, a. 3)

(2) Species sensibilis ut potentiam complere ac foecundare valeat ad actum sensationis, non potest esse ordinis pure mechanici nec in puro motu locali consistere, sed debet propriam virtutem continere. Unde etiam veteres cum S. Thoma (I. p, q. 78, a 4: *de Potentia*, q. 5, a. 8) distinguebant immutationem immaterialem, quam corpora prout speciem producentia, efficiunt in sensu, ab immutatione pure physica et mechanica, quam efficere valent in quovis corpore non sensitivo.

(3) Cfr. Fröbes, op. cit. t. 1.°, pag. 35 38, 462-517.

125. His positis sit

Propositio.—**Species sensibilis concurrit ad sensationem ut imago virtualis activa.**

Probatur contra psychoparallelistas.

Apta causa explicandi relationes qualitativas et quantitativas inter excitationem et sensationem quaeri debet. Atqui haec apta causa non est ipsum subiectum sentiens, non est ipsa excitatio extrinseca, est vero species sensibilis. Ergo...

Maior est applicatio principii causalitatis, et locum hic habet quidquid fingant psychoparallelistae.

Minor probatur. Non ipsum subiectum sentiens: quia sensationes sunt ligatae cum excitationibus: hoc autem ligamen non est intrinsecum subiecto utpote diversisimae excitationes in eodem subiecto recipiuntur.

Non ipsa excitatio extrinseca: quia relationes qualitativae et quantitativae inter excitationem extrinsecam et sensationem non pari gressu procedunt, sed variant ex organi aptitudine et statu.

Species vero utpote impressio relicta ab excitatione in organo ad modum *imaginis virtualis* explicat optime relationes *qualitativas* inter excitationem et sensationem: praeterea utpote *forma activa* explicat quoque relationes *quantitativas* inter excitationem et sensationem.

Bene notant Conimbricenses non ideo solam speciem concurrere ad sensationem, tum quia sensatio est operatio propriissima et specificativa gradus animalitatis, tum quia valores ligantes excitationem cum sensatione multum variant cum attentione et aliis causis et circumstantiis ipsius subiecti.

Ideo remanet quaerendum qualis functio sit sensatio, an solius animae, an potius organi animati.

ARTICULUS V

Utrum sensus sit potentia organica, cujus actus per organum exerceatur.

126. Plato (1) et Plotinus ac Simplicius (2) aliique (3) prisci Philosophi putarunt animam solam sentire, sicut sola intelligit sine concursu organi. Eamdemque postea doctrinam secuti sunt cartesiani, ac recentiores rosminiani et alii auctores peripateticis doctrinis infensi, secundum quos visio, v. g., vel auditio non exercetur ab oculi vel auris organo virtute animae instructo, sed a sola anima; organum vero non aliud facit, quam transmittere ad animam acceptas ab extrinsecis objectis impressiones, ut eas percipiat, et cognoscat. Huic extreme opponitur communis Scholasticorum sententia docentium, potentiam sensitivam esse virtutem organicam in organo receptam et ita organum actuantem, ut sine illo existere nequeat. Unde sicut vires materiales communes materiae per ipsam operantur, et vires vegetativae per organum exercent suas functiones, ita etiam virtus sensitiva, ceu actus organi, in illo et cum illo et per illud operatur, et sic sensatio non est operatio solius animae virtutisve sensitivae, sed totius conjuncti vel compositi ex anima et corpore. Quamvis enim anima et virtus ejus sit radix et principium formale, principium vero *quod* effectivum vel exsecutivum sensationis, adaequate sumptum; est anima simul cum organo vel corpore.

---

(1) Vide S. Thom., 1. p., quaest. 77, art. 5, ad 3.^{um}; quaest. 84, art. 6, etc.

(2) Apud Toletum, *de anim.*, lib. 2, quaest. 12, paragr. *In hac difficultate.*

(3) Apud. S. Thom., 4.° dist. 44, quaest. 3, art. 3, solut. 1.^{a}; quaestio *de anim.*, art. 19; 1 p., quaest. 77, art. 8.

127. Inter has duas sententias mediam quidam recentiores (1) invexerunt, qui licet concedant sensationem esse operationem *conjuncti* vel compositi ex anima et corpore, negant tamen eam ab hoc *effici* reapse, quia non alium praestat organum concursum, quam pure *conditionis intrinsecae*. Et per hoc satis arbitrantur differre sensationem ab intellectione, quia quamvis organum ad neutram concurrat efficienter, ad sensationem concurrit instar conditionis *intrinsecae*, ad intellectionem vero solum instar *extrinsecae* conditionis. Nomine autem conditionis intrinsecae intelligunt *id quod et si non eliciat actum sensationis, tamen unam naturam constituens cum eliciente actum, est ratio, cur ab eo actus esse possit* (2). In quo videtur pugna esse conceptuum, quia si organum non concurrit efficienter ad sensationem, non magis constituere potest cum anima unam naturam respectu sensationis, quam respectu intellectionis, siquidem ipsemet clarus scriptor (3) nomine naturae intelli-

---

(1) Ita v. g. cl. P. Palmieri, *Anthropol.*, thes. 2.

(2) Palmieri, ibid., *Demonstr.*, 3.^{ae} part.

(3) Palmieri, *Cosmolog.* thesi 44. Sed adverte Palmieri mutasse sententiam et ideo non esse iam enumerandum inter patronos sententiae oppositae. Accipe totum locum operis postumi de Creatione (Prati 1910), pag. 277-278.

«Sunt qui censent, utrumque elementum, corpus et animam, substantias esse, completas quidem in ratione substantiae, nihil enim utrique deest ut sint ens non in subiecto et sint subiectum accidentium seu modorum, substantias vero incompletas in ratione naturae, naturam porro dicimus principium sufficiens operationis: constat sane ad singulas sensationes neutrum elementum sibi sufficere sed utrumque requiri: sensationem, praeterea quae sine corpore non exercetur, ad intellectionem conducere. Ex duabus ergo substantiis fit una natura completa, eaque unio substantialis dicitur quia ex duabus substantiis fit una nova natura subsistens. Quando sane ex pluribus substangit *principium intrinsecum primum, tum activum tum passivum phaenomenorum omnium, quae motu continetur* (1).

128. Propositio. — **Sensus est facultas organica, et subjectum vel principium efficiens actum sensationis non est anima vel virtus sola animae, sed compositum, nimirum organum animatum.**

Prob. 1.° ex communi consensu Scholasticorum cum S. Thoma (2), praeeunte S. Augustino (3), quos laudatos reperies in alio opere (4).

Prob. 2.° Sensus est facultas organica *a*) si organum virtute sensitiva praeditum, ab anima fit proportionatum sentiendi; *b*) si impressionem recipiat iuxta cuius vicissitudines sensatio qualitative et quantitative variet; *c*) si experientia interna non impressionem praeviam sed ipsam sensationem organum afficientem praebeat; *d*) si demum hoc requirat distinctio inter sensum et intellectum.

Atqui sic se res habet: Ergo...

Maior quoad *a*) Per virtutem sensitivam ab anima in organum derivatum tollitur disproportio inter materiam et actum sentiendi; ad *b*) Tanta reciprocitas inter impressionem organicam et sensationem nequit explicari per solam conditionem; ad *c*) Experientia interna sensationem ut extensam praebet; ad *d*) Si enim organum non effective concurrit ad sensationem, concurret solum per modum con-

---

tiis una natura nova existit, unio nequit dici accidentalis. Uniuntur porro istae substantiae non in termino tantum actionis; sed in ipsa activitate seu principio actionis ut fiat unum principium agendi, alterum vero elementum h. e. anima, cum sit per se vivens et vivere faciat corpus, forma eiusdem dicitur, quae est actus primus corporis organici potentia vitam habentis: primus, inquam, actus, respectu scilicet potentiae, quam habet corpus ad vitam: facit nempe esse vivens et per consequens operari opera vitae.

Nihilominus haec ratio explicandi unionem animae et corporis philosophis haud satisfacit: et substantialem illam unionem quae fide docetur, nequaquam attingit; eamque nos, licet olim comprobaverimus, nunc insufficientem prorsus esse non dubitamus affirmare. Revera non explicatur unitas huius substantiae compositae, quae est homo. Sentit enim homo, non anima, non corpus, sed homo sentit ex. gr. se esse extensum et divisibile: porro in hypothesi duplicis substantiae in ratione substantiae completae, hic sensus non haberet locum. Sensus enim hic nequit esse nisi in subiecto extenso divisibili: tale autem subiectum proprie est corpus: nisi ergo anima ingrediatur constitutionem corporis, nequit totum hoc anima et corpus, quod est homo, se sentire extensum, sed corpus tantum, si fieri posset, se sentiret extensum; et ad summum, anima se sentiret unitam extenso: cum ergo substantia animae in hypothesi allata, sit alia prorsus a substantia corporis, nequit homo in ea hypothesi se sentire extensum: quod est contra experientiam. Hoc argumentum in aliis affectionibus corporeis instaurari potest,» Et reliqua lege in ipso praeclarissimo Palmieri.

(1) Haec magis explicata videri possunt in fusiori opere, num. 194.

(2) Locis nuper cit.; et in quaest. *de anim.*, art. 19; *de spirit. creat.*, art. 4, ad 3.^{um}; *Compend. Theolog.*, cap. 89.

(3) *De Trinit.*, lib. 9, cap. 3; lib, 11, cap. 2, etc.

(4) Volum. 4.°, num. 195, *Prob. 1.°*

ditionis. Atqui etiam ad intellectionem hoc pacto concurrit. **Nec valet** respondere, quod organum ad sensationem sit conditio intrinseca, extrinseca vero duntaxat ad intellectionem, quia si organo eripitur efficiens concursus, non magis erit conditio intrinseca ad sensationem quam ad intellectionem, ut in ipsa expositione contrariae sententiae jam notavimus (num. **127**), ac latius declaratur in alio opere (1).

Detracto autem essentiali discrimine inter sensum et intellectum, sequitur aut in brutis animantibus non esse sensationem, aut esse quoque intellectionem.

129. Corollarium.—Ex hac doctrina sponte sequitur, in anima separata a corpore facultatem sensitivam *formaliter* non existere, sicut non existit virtus visiva in caeco ex organi defectu. Si enim facultas sensitiva non potest operari nisi in organo et per organum; neque est nisi in organo tamquam forma et actus ejus. Itaque organo indiget, ut existat, et, organo corrupto, illico naturaliter desinit esse, sicut quaevis alia forma materialis, sive substantialis sive accidentalis.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

130. **Objic. 1.°** Actus sensationis est immanens, ac proinde manet in eo, a quo elicitur. Ergo si et anima et corpus constituunt principium sensationis, vel utrumque elicit totum actum, vel alterum unam partem, aliam alterum. Hoc secundum dici nequit. Ergo primum, et sic actus sensationis manebit totus in anima et totus in corpore. Atqui ex hoc sequuntur tria incommoda: α) quod actus manens in corpore inutilis foret, cum jam totus sit in anima; β) quod pro quavis sensatione haberemus duos actus completos; γ) quod haberetur actus sensationis formaliter extensus (2).

Respond., *conc.* anteced., *disting.* primam partem primi consequentis, Utrumque elicit totum per unam indivisam actionem, *concedo;* per distinctas actiones, *neg.* Alterum consequens *transmitto*, quia circa subjectum sensationis variant auctorum sententiae, sicut jam diximus (n. **70**).

Minorem subsumptam *nego*, ad cujus probation. α) respondeo *negando*, quia quamvis cum Thomistis teneatur sensationem recipi in anima et organo, non est inutilis actus manens in corpore, cum hoc sit illius naturale subjectum. **Ad probat.** β) *neg.*, quia non esset nisi unicus actus indivise procedens ex conjuncto **Ad probation.** γ) *conc.* assert., sed nego suppositum, non enim est inconveniens, sed necessarium dicere sensationem extensam, seu extensive divisibilem, sicut experientia ipsa ostendit, v. g. in sensatione tactili caloris, etc.

Objic. 2.° Nullum accidens recipi potest in duplici subjecto. Sed tum sensatio tum virtus sensitiva sunt accidentia. Ergo nequeunt recipi in materia et anima.

Respond., *dist.* Major.: in duplici subjecto diviso *conc.;* in duplici subjecto unito, quod proinde non est actu duplex, sed unum, *neg.* Et

---

(1) Volum. 4.°, num. 195, *Prob. 5.°*
(2) Palmieri, *Anthropol.*, thes. 2.

concessa Minore, *disting.* conseq. Nequeunt recipi in materia et anima divisis, *conc.*; unitis, *nego* in sententia Thomistarum. Nam in alia sententia sensatio recipitur in sola materia.

Objic. 3.° Principium vitae nequit esse corpus. Atqui sensatio est vitalis actus Ergo ..—**Respond.**, *dist.* Major.: principium formale, *conc*; principium elicitivum, *subdist.:* ex sua propria virtute, *conc.;* ex virtute sibi ab anima communicata, *nego*. Et *concessa* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 4.° Sic se habet sensitivum ad sensibilia, sicut intellectivum ad intelligibilia. Sed intellectus intelligit intelligibilia sine corpore. Ergo et sensus sensibilia.—**Respond.**, *disting.* Major.: id est, eodem modo sentit sensus, et intelligit intellectus, *neg.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 5.° Si sensatio foret organica et extensa, non posset ex illa probari animae simplicitas. Atqui tamen ex sensatione probatur animae simplicitas. Ergo...

Respond., *disting.* Major. Non posset ex illa absolute ac per se probari animae simplicitas, *trans.;* non posset ex illa, prout in nobis habetur, *subdist.:* non posset probari simplicitas cujusvis animae sentientis, *conc.;* animae nostrae, *neg. Contradist.* Minor.: probatur ex sensatione simplicitas animae nostrae. *conc;* animae cujusvis sentientis, *neg.* Et *neg.* conseq. Sensatio sicut non est extensive simplex, ita per se non necessario probat animae simplicitatem, et sic dantur animae sensitivae, quae sunt divisibiles; sensatio autem prout in nobis fit, probat simplicitatem animae, non quia sensatio in nobis sit simplex, sed quia, prout testatur conscientia, est in nobis unum principium aliquod totam sensationem referens, quod proinde non potest non simplex esse. Plura in alio opere (1).

ARTICULUS VI

Quale sit organum sentiendi.

131. Triplex datur sententia de sede aut organo sentiendi. 1.ª Scholasticorum antiquorum qui organum sentiendi limitabant ad organum periphaericum externum, in quo proxime impressio recipitur.

2.ª sententia. Physiologorum qui ex biochimica (anaesthesia), et ex pathologia et experimentis concludunt necessitatem cerebri ad sentiendum, saltem plene. Inde cerebrum collocant ut sedem propriam sentiendi.

3.ª sententia Hodie magis communis: quae assignat sensationi totum apparatum organicum quod impressionem recipit, proinde ex periphaeria ad cerebrum inclusive.

Adverte 1) experientia interna non agnosci certam et definitam sedem ipsius sensationis. Cavendus hic est error associationis tactilis: tactus locat in superficie corporis non tam ipsam sensationem immanentem et subjectivam quam objecta sensatione percepta, quae solent applicari ad corpus. Ideo nervi tactiles habent tendentiam naturalem localizandi objectum sensationis in extremitate qua recipiunt impressionem corporum.

Dolor si localizatur in corpore est quia in hac sensatione objectum est ipsa modificatio corporis. Ideo cui brachium amputatum est, non quidem lusu imaginationis sed revera tendentia innata si sentit dolorem, illum refert ad extremitatem brachii qua jam diu caret.

---

(1) Num. 197.

Adverte 2). Neuronas quidem habere determinatam directionem ferendi impressionem, sed sensatio non fit successive ad modum propagatae impressionis, sed tota neurona affecta specie impressa reagit simul una functione psychoorganica, sentiendi. Sed non solum singulae neuronae quae impressionem receperunt, sed totus complexus nerveus, postquam specie impressa afficitur, totus ut unus apparatus reagit in hanc functionem sensitivam, quae quidem non est simplex sed est una unitate compositionis omnino intima.

Adverte 3). Non qualibet excitatione totum apparatum nerveum affici: sic retina ipsa in cellulis ganglionalibus quamvis per eas undae luminosae ad conos et bacillos transeant, non afficitur directe; sed media functione biologica harum cellularum (conorum et baccillorum) quarum est affici directe ab undis luminosis. Pariter cerebrum non afficitur dolore si illum directe tangas.

132. **Argumentum**. Totum illud est organum sentiendi quod efficit *anatomice* unum apparatum quod *physiologice* recipit continuatam excitationem ab objecto provenientem, quod *psychologice* requiritur ad plenam objecti sensibilis cognitionem. Atqui totus apparatus ex periphaeria ad cerebrum est *anatomice* unum organum, est *physiologice* una impressione affectum et est necessarium *psychologice* ad plenam sensationem.

Primum et secundum probatur ex physiologia. Tertium ex psychopathologia, v. g. in hemianopsiis.

ARTICULUS VII

De energia specifica sensuum.

133. Qualis autem virtus ex anima in organum sensitivum derivatur? Evolutionistae supponunt primitus omnes sensus fuisse tactiles: eos vero acceptis per mille generationes stimulis ita reagisse ut mutata structura paulisper organa fuerint differentiata et appropriata singulis diversis sensationibus.

Nunc supposita jam structura actuali alii opinantur nervos omnes sensitivos et motores esse aequales, differentiam esse tantum penes cerebrum: alii ipsos nervos periphaericos esse diversos arbitrantur.

Principium valde oportunum traditum est a Müller quod dicitur de specifica energia sensuum: seu in sermone scholastico, de virtute specifica sensuum ex anima in organa derivata.

Juxta hoc principium cum structura perficitur, tunc ex anima in apparatus sensitivos derivatur propria virtus sentiendi qua organum fit aptum exercendi functiones specificas: visus visionem, auditus auditionem, et sic porro.

134. Hoc principium probatur 1): Ex lege generali biologica juxta quam singulae cellulae reagunt reactione propria ita ut functionem peculiarem habeant.

Probatur 2). In sensibus: *a)* ex stimulis adaequatis. Diversae structurae organicae respondet diversa passivitas ad recipiendam impressionem: sed diversae specificae impressioni, respondet diversa specifica sensatio, et diversae sensationi respondet diversa virtus sentiendi: Ergo diversae structurae organicae respondet diversa virtus sentiendi ex anima derivata.

b) Ex stimulis inadaequatis. Singuli sensus diversis energiis excitati suam propriam et uniformem sensationem exhibent. Contra diversi sensus eadem excitatione agitati diversam et specificam habent sensationem Imo diversi sensus ex causis subjectivis (veneno, statu neurasthenico, hysterico, etc.), suam propriam sensationem dant. Ergo inest organis virtus specifica sentiendi.

Sic visus excitatus electrice, chimice, mechanice, optice, eamdem suam videndi sensationem dat. Auditus stimulis mechanicis, electricis, chimicis auditionem fert (1).

135. Corollarium. — Sensatio, species impressa et objectum sensibile proprium proportionem servant. Pariter, sensus ex organi structura et ex virtute sentiendi compositus et mutuam habitudinem requirit inter structuram organi et virtutem sentiendi, et aptitudinem innatam sensationi, speciei impressae et objecto sensibili.

CAPUT II

DE SENSIBUS INTERNIS

136. Sensus interior est potentia organica virtutem habens percipiendi objecta omnia sensuum externorum. Quare actus ejus praesupponit actus externorum sensuum, et objectum non restringitur ad unum duntaxat sensibile proprium externi alicujus sensus, sed ad omnia se porrigit, nam imaginamur, v. g., et recordamur non solum colores, sed sonos etiam, odores, sapores, etc. Dari sensus internos in nobis dubitari nequit ex conscientiae testimonio, eosdemque superius belluis asseruimus (2). Et quatuor vulgo distingui solent, *sensus communis*, *imaginatio*, *aestimativa* et *memoria*, de quibus seorsim agendum.

Propria definitio sensuum internorum haec est: dicuntur interni sensus qui ad suam functionem non ab energiis extrinsecis, sed a praevia sensatione externa determinantur. Nimirum sensatio externa utpote functio organica systematis nervei ad cerebrum usque portenti secum in operando affert inaequilibrium nerveum, quod per vias associativas ad centra associativa seu sensuum internorum transmittitur, et toto in trajectu proditur species impressa nova ad novam functionem.

Aliis verbis sensus interni requirunt suam speciem impressam et quidem non ab objecto, neque ab speciebus impressis sensuum externorum, sed ab ipsa sensatione productam.

---

(1) Cfr. Fröbes, op. cit., pag. 32-35.
(2) Vide S. Augustinum, de *lib. arbitr.* lib. 2, cap. 3.

ARTICULUS I

PROBATUR EXISTENTIA SPECIEI IMPRESAE QUOAD SENSUS INTERNOS

137. Experientia docet neminem quidpiam imaginari, nec recordari quod numquam per externum aliquem sensum perceperit, saltem secundum sua elementa; quamvis mox phantasia ex diversis objectis seorsim perceptis possit unum aliquid conflare (ut ex monte, v. g., et auro montem aureum), quod neque extiterit eo pacto, neque prius cognosci potuerit. Aestimativa etiam nunquam actum suum habet, nisi posito actu externae sensationis: idemque dicendum videtur de sensu communi. Ex qua experientia id videtur sponte consequi, ad actum interioris sensationis debere potentiam per objectum medio actu externae sensationis determinari et compleri: quia secus internus sensus post externi actum eodem modo se haberet, ac antea, et consequenter non magis posset sentire, ac si externus sensus non habuisset actum. Atqui hoc falsum est. Vide, v. g., quam diverso modo se habeat respectu colorum caecus a nativitate, ac ille qui visum amisit: prior nequit ullos colores imaginari, alter potest illorum, quos antea viderit, refricare memoriam, quin tamen ullos novos imaginari valeat. Ergo ex objectis externo sensu perceptis resultat aliqua in interno immutatio vel affectio, quae diu etiam permanere valeat, et imaginationem ac memoriam foecundet ad iterandas rerum olim perceptorum imagines; eademque vocari solet *species rememorativa*.

Confirmatur, quia, supposita ejusmodi specie, egregie explicantur phaenomena oblivionis ac diversae in diversis individuis memoriae. Quamdiu enim durabit in memoria species, aderit facultas memorandi vel recordandi; ea vero, quacumque demum causa, deleta, peribit, penitus hujusmodi facultas, et succedet oblivio. Et quoniam pro varia corporea complexionis indole varia esse potest tenacitas speciem rememorativam retinendi, alii aliis obliviosiores erunt (1).

Dices, sensus internos satis determinari posse ad suum actum per species sensuum externorum, vel solum ex ipsa sensationis externae praesentia vel etiam per motum spirituum vitalium ab externo sensorio refluentium, si sermo sit de objecto aliquo praesenti, quod imaginatione, sensu communi vel aestimativa percipiendum sit; vel si agetur de objecto absenti, per illas easdem causas, quas Peripatetici excogitarunt ad excitandas species in phantasia vel memoria sopitas (2).

Respond., non sufficere species externorum sensuum, quia cum ab illis differant interni, diversis ac propriis speciebus complendi sunt, Et ob eamdem causam non sufficit sola existentia externae sensationis, nisi haec ipsa influat, virtualitatem aliquam producendo in interno sensu, quo hic ad suum actum foecundetur. Motus vero spirituum, nisi secum deferat species, non magis juvat ad determinandam complendamque interiorem potentiam, quae proinde tam incompleta in se permanebit, ac si nullus spirituum motus nullave sensatio externa praecessisset. Praesidia demum (de quibus nonnihil inferius) a Peripateticis ad excitandas sopitas species excogitata, nihil prodesse possunt adversariis nostris; illa enim eatenus valere poterunt, quatenus dentur reapse species, si autem hae non dentur, frustra etiam ad illa recurritur.

---

(1) Vide Arist. et S. Thom., *de memor. et reminiscent.*, lect. 3. Cfr. Lossada, *de anim.*, disp. 6, cap. 2, num. 37, 38.

(2) Vide apud Lossada, loc. cit., num. 2.

Species in interno sensu non producitur ab aliquo sensu agente, probatur ex communi Philosophorum consensu contra paucos. Ratio vero est, quia ideo solum ponitur intellectus agens ad abstrahendas intelligibiles, quia nec objecta materialia, nec sola eorum phantasmata nec sensationes externae illarumve species proportionata sunt ob suam materialitatem ad gignendas spirituales species. Atqui externae sensationes, vel, si mavis, iis mediantibus objecta non habent ejusmodi improportionem respectu specierum sensuum internorum, ut statim declarabitur. Ergo frustra invehitur sensus agens.

Nec a solo objecto, probatur, quia nunquam datur interna sensatio, nisi praecedente, saltem rationis prioritate, sensatione externa circa idem objectum. Ergo solum objectum non suficit ad producendas interni sensus species.

Nec a solis speciebus externis, probatur 1.° ex modo proposita ratione. 2.° Quia species externae videntur esse diversae speciei ac naturae minus perfectae, quam internae, quia externae pendent *in fieri* et *in esse* ab objectis, unde illico evanescunt, secus autem internae, quae diu perseverant. Praeterea species servant proportionem cum potentiis, potentiae vero internae diversae sunt et perfectiores. Ergo et species interni sensus diversae sint, oportet, ac perfectiores, utpote comprincipia perfectiorum potentiarum.

Species interioris sensus producuntur ab externis sensationibus, probatur. Etenim externae sensationes in primis necessario concurrunt aliquo modo ad actus interni sensus, quia hi sine illis esse non possunt. Quod vero concurrant praecise producendo species internorum sensuum, probatur, quia sunt causa proportionata, nec alia potest aptior assignari. *Sunt causa proportionata*, quia externae sensationes sunt actus vitales et imagines objecti; at species interni sensus nec vitales sunt, nec necesse est ut sint formales obiecti similitudines, ideoque non videntur superare immo nec attingere perfectione sensationes externas.

Nulla assignatur aptior causa, quia caeterae ab aliis assignatae, aut respuendae sunt, sensus agens, aut sine sensatione externa non sufficiunt, haec autem non apparet cur non possit sufficere. Ergo sensatio est aptissima omnium causa internis speciebus gignendis.

ARTICULUS II

De sensu communi.

137. **Sensus communis vocatur hic ille,** qui objecta sensum externorum percipit in eorum praesentia, discernendo alia ab aliis. Differt ergo a consensu communi omnium, qui et ipse appellatur communis sensus (1). Caeterum hic noster ideo dicitur communis, non

---

(1) Cfr. Compend. volum. 1.um, num. 361.

quia objectum ejus sint communia sensibilia, sed quia est communis radix et principium exteriorum sensuum (1) et communis eorum terminus ac centrum, quemadmodum docet auctor opusculi *de potentiis animae*, sancto Thomae attributi (2). Est sane radix et principium exteriorum sensuum, quia ex illo, ceu communi fonte, videtur in quinque sensus derivari ac diffundi virtus et vigor sentiendi, ut patet vel ex ipsa experientia, quae demonstrat communicationem inter externos sensus et cerebrum, ubi residet communis sensus, requiri ad hoc, ut externa sensatio, saltem ordinate ac prout oportet, exerceatur.

Obiectum communis sensus sunt omnia sensibilia externorum ac praeterea ipsae illorum sensationes. Sensibilia quidem, quia omnia illa percipit, ac discernit inter se: externi enim sensus percipiunt singuli sua propria sensibilia, itemque discernunt differentias objectorum partialium sub proprio formali objecto contentorum, ut oculus differentias diversorum colorum, et auris sonorum; at vero communis sensus percipit, ac judicat praeterea differentias inter ipsa formalia objecta generalia, puta inter colorem, sonum, saporem (3). Sed praeterea percipit, ac discernit ipsas externas sensationes, quatenus sunt affectiones subjecti sentientis, gratae vel ingratae, quemadmodum experientia novimus, et videmus etiam in brutis, quae profecto ideo quaedam pertimescunt loca, quaedam alia quaerunt, quia in iis molestas vel jucundas experta sunt sensationes. Praeterea novimus interdum bruta se convertere attentius ad aliquod objectum, aures arrigendo ad audiendum, oculos defigendo, applicando nares, majori ruendo impetu in quosdam cibos, etc.: quod ostendit, belluas probe distinguere suas proprias sensationes, et per quae organa singulas exerceant, cognoscere (4). Haec enim omnia nullus externorum sensuum praestare potest, quippe qui se extra sphaeram proprii sui sensibilis vagari nequit.

Haec forte causa fuit, cur recentiores quidam Philosophi scripserint ad communem sensum spectare perceptionem bonae vel malae corporis dispositionis. Equidem non nego ejusmodi corporis affectiones a communi sensu percipi; solum notatum velim eas prius percipi ab interiori tactu, et ideo spectant etiam ad communem sensum, cujus est objecta et sensationes externorum percipere.

Nec desunt qui sensum intimum distinguant a communi sensu, dicentes ad illum pertinere, tamquam proprium objectum, affectiones sensitivas proprii corporis et actiones externorum sensuum, ad hunc autem sensibilia propria discernendo illa alia ab aliis. Ego vero, si sermo sit de mera nominis distinctione, permitto nomen sensus intimi, veteribus ignotum, adhiberi, non video tamen ullam rationem agnoscendi sub hoc nomine ullam novam facultatem a sensu communi distinctam.

138. Existentia sensus communis probanda non est ex dictis hic et in primo Compendii volumine (5). Negari enim nequit adesse facultatem quamdam organicam percipientem et discernentem objecta et actus omnium sensuum externorum, quae vel in ipsis brutis manifeste se prodit. Atqui nullus ex ipsis externis sensibus potest id praestare. Ergo agnoscendus est altior quidam sensus ab omnibus externis distinctus. Et ita quidem censuit communis veterum consensus, excepto Simplicio et quibusdam aliis (1). Quorum opinionem nostris diebus instauravit egregius scriptor, idemque S. Thomae ac Scholasticorum doctrinis non parum addictus, ea innixus ratione, quod externae sensationes unitatem accipere valeant ex eo solum, quod ad idem subjectum sentiens omnes pertineant, quod proinde per se illas discernere atque inter se possit comparare (2).

---

(1) S. Thom., p., 1. quaest. 78, art. 3, ad 1.^{um}

(2) Cap. 4

(3) Cfr. Compend volum. 1.^{um}, num. 322, *Sensus communis...*

(4) Vide S. August., *De liber. arbitr.*, lib. 2, cap. 3 fin. et cap 4, ubi egregie; et Thom., 1 p., quaest. 78, art. 4, ad 2.^{um}, etc.

(5) Num. 322, *Sensus communis...*

Verum enim vero vel admittit praeclarus vir realem potentiarum ab anima distinctionem, vel non. Si non admittit, ne ipsis quidem sensibus externis a se distinctis egeret anima. Si autem admittit doctissimus adversarius potentias ab anima distinctas, ideo profecto admittet, quia non potest anima per se immediate ullam elicere operationem, nisi mediis potentiis. Ergo impossibile erit ut anima omnium sensuum externorum objecta et actus colligat, discernat ac comparet nisi per actum, quem media aliqua potentia distincta eliciat. Et haec est praecise communis sensus. Associatio ergo sensationum externarum in unum non fit ab anima per se ipsam immediate, sed ope sensus communis.

Dices 1.° Organum sensus communis, si reapse datur, esset extensum et compositum partibus ideoque harum quaevis perciperet actum specificum unius sensus externi et objecti ejus. Atqui tunc in singulis hisce partibus adesset unius duntaxat sensationis notitia, et nova alia quaerenda esset potentia diversa, in quam isti partiales actus sensus communis confluerent.—**Respond.**, *neg.* Major. 2 am partem quia omnes sensus externi per nervos centripetas communicare possunt suos actus et excitationes, immittendo speciem in totum organum sensus communis, qui proinde in toto illo poterit reproducere, non unius duntaxat, sed omnium externorum sensuum actus.

Dices 2.° Admisso sensu communi distincto, ponuntur duae potentiae attingentes unam eamdemque qualitatem sensibilem puta colorem, sonum, etc.—**Respond.**, *dist.* assert. Ponuntur duae potentiae unum objectum eodem modo attingentes, *neg.*; diverso, *conc.* Sensus communis enim non attingit solum colorem, sicut visus, etc., sed praeterea reliquas omnes qualitates et sensationes externas, quae a nullo externo sensu formaliter attinguntur. Quo ergo jure dici potest idem esse objectum sensus communis et singulorum sensuum externorum? Adde, quod si objectio quidpiam valeret, posset retorqueri in intellectum, qui pariter percipit objecta omnium sensuum.

Dices 3.° Inconveniens est *uni* facultati tribuere virtutem percipiendi res adeo diversas, ac sunt color et visio coloris, sonus et auditio soni, etc.—**Respond.** Et non percipiuntur haec omnia et alia magis diversa ab *una* facultate intellectiva? Utrum autem haec superent, necne, virtutem sensitivam, non est definiendum a priori, ut videtur definire egregius adversarius, sed a posteriori. Nos vero experientia et ratione duce ostendimus agnoscendam esse potentiam sensitivam externis excellentiorem, quae majorem habet amplitudinem objecti.

---

(1) Vide apud cardin. Tolet., *de anim.*, lib. 3, quaest. 3, *Tertia conclusio...*

(2) Vide Rev. Dom. Mercier, *Cours de Philosophie*, vol. III, *La Psychologie*, num. 94, pag. 199 seqq., 5.e édition. Louvain, 1899.

Dices 4.° Illud quoque inconveniens est, ut eadem facultas destinetur percipiendis formalibus objectis diversis, quales sunt color, sonus, etc.—**Respond.**, iterum retorquendo argumentum in intellectum, qui unus cum sit, percipit omnia sensibilia, nec sensibilia solum, sed etiam insensibilia, materialia et immaterialia; retorqueo pariter in imaginationem, quam admittit adversarius a sensibus externis distinctam, et nihilominus ea reproducit omnia objecta horum propria. Objecta ergo sensuum externorum *relate ad illos* sunt formaliter diversa propter eorum limitationem, quia unus adstringitur ad *visibile*, alter ad *audibile*, etc.; sed non sunt formaliter diversa *relate ad sensum communem*, cujus objectum est non visibile, nec audibile, etc., sed *omne sensibile*. Unde, sicut quia objectum visus et omnis color et lux, non potest dici objecta formaliter diversa respicere, ex eo quod percipiat album, et viridem, etc., qui quamvis re diversi, conveniunt intentionaliter sub ratione formali communi *colorati;* ita etiam coloratum, sonorum, etc., sub altiori ratione *sensibilis* constituunt unum objectum perceptibile a sensu communi (1).

139. Quaeritur qua ratione perspiciamus in visu et tactu spatium reale. Extensio superficialis est ipsa visione immediate percepta: extensio tertia seu profunditatis estne quoque immediata an per sensus communis associationem superaddita? Quomodo videmus directionem, quomodo distantiam corporum respectu nostri corporis? (2).

Linea percipitur ex natura ipsa conditionis visualis neque enim obiectum visus est ipsa receptio impressionis in retina, neque retinae superficies neque imago lucis in retina per leges dioptricas efformata, ut videntur innuere non pauci physiologi. Sed perspicimus ipsum objectum extrinsecum, quod non significat impressionem in retina non esse superficialem. Directionem seu orientationem lineae visae optime fit per oculorum motus versus omnes meridianos facile vergentes, et quibus visualis respectu videntis refertur.

Nostrum spatium visu perceptum non est absolute identicum cum spatio reali sed valde simile, ideo est paulo diversum prout uno oculo vel duplici simul spatium videas. Positio relativa corporum fideliter perspicitur, quamvis positio absoluta non nihil immutetur. Obiecta perspicimus duplici oculo quasi uno oculo cyclopeo inter duos oculos situato perspiceremus.

Tertia dimensio quoque natura ipsa facultatis ad videnda obiecta externa adaptata obscure dignoscitur: eaque cognitio clara redditur ope sensus communis quo melius definitur trina dimensio corporum, demum intellectus relationes distantiae inter corpora, simul percepta invenit et complet spatii repraesentationem.

Maior igitur est labor experientiae et associationis ad percipiendam tertiam dimensionem, quam ad alias duas.

Externa sensatio colligit indicia ad has associationes sensus communis. Diversa coloratio obiectorum simul cum contentione claritatis et colorum, umbrarum cum luce iuxtapositio, magnitudo imaginis in retina, numerus obiectorum interpositorum, variatio anguli visualis in obiecti motu, ipsa aptitudo obiecti ut plastice repraesentetur juxta regulas a pictoribus notas, sunt causae auxiliatrices addiscernendam tertiam dimensionem sicque habendam repreaesentationem spatialem corporum.

---

(1) Quaedam aliae difficultates solutae videri queunt in opere fusiori, volum. 5, num. 202.

(2) Cfr. Fröbes op. cit., qui speciali cura haec problemata habet tractata, pag. 257-386.

Aestimatio autem aut mensura distantiae est fructus mensurationis, non autem primo intuitu determinatur.

Vacuum spatium repraesentamus per umbras, per nebulas interpositas ex intrinseca excitatione per reactionem ad excitationem coloris albi: eaque est finalitas coloris nigri ut diximus ex excitatione intrinseca per actum positivum percepti.

Bina intuitio habet commodum quod per singulos oculos diversam paulisper superficiem corporum cognoscimus, sicque facilius per binos oculos corporum plasticitatem seu dimensiones trinas perspicimus.

Caeci morem habent per tactum collocandi objecta percepta ad distantiam tactus, id est, ad superficiem propriam corporis; ideo cum primo incipiunt videre, tertiam dimensionem subobscuram associant cum motu oculorum et consequente sensatione tactili, et referunt objectum visum ad oculi superficiem, breviter autem corrigunt hunc errorem ex associatione tactili derivatum et agnoscunt etiam per visum distantiam objectorum.

140. Perceptio spatialis per tactum in primis praesupponit diversarum partium ipsius corporis perceptionem, perceptionem segmenti corporis interpositi, et tandem perceptionem objectorum eorumque in spatio collocationem. Diversae proprii corporis partes cognoscuntur eo quod applicatis diversis objectis, v. g. duplici actu superficiem proximam proprii corporis percipimus ut verum objectum sensationis et cognoscimus diversas esse portionis corporis quae passae sunt duplicem contactum externum, quia inter eas intercedere distantiam aliquam per sensationis absentiam agnoscimus. In motu autem brachii percipimus quoque contactum qui in articulationibus exercetur, et supplemus partes interpositas inter brachium et reliquum corpus. Objecta vero attacta in spatio locamus locatione proxima et satis fideli ei quam re ipsa habent.

In his omnibus praeter sensationes tactiles actuales, imago associativa intervenit et sensus internus complens ea quae per tactum immediate tanguntur et cognoscuntur.

Neque per auditum neque per odoratum habemus notitiam trinae dimensionis. Solum habemus notitiam unius dimensionis, nimirum alicujus distantiae inter nos et objectum. Tamen pluralitas sonorum quorum singuli in diversa aliquatenus spatii parte collocamus, daret aliquam in confuso spatii perceptionem. Sic si plures personae loquantur et ex adverso, cognoscimus satis bene illarum per sonos locationem. In odoratu excitatio trigemini qui est nervus tactilis dat locationem odoratus per associationem alterius sensus.

In gustu miscetur quoque sensatio tactilis.

141. Perceptio temporis et motus. Per sensum internum percipimus ut praesentem processum psychologicum seu succesionen actuum sive ad unum sensum sive ad diversos pertineant. Mensura autem durationis subjectiva multum variat ex conditione affectiva quae sensationes comitatur. Dantur in tempore momenta spectationis, quietationis, contentionis, etc.

Sonitus diversi solent efficere unum sonitum compositum cum sonitus sint consoni, sed apparent dissociati si dissonant. Posita illa consonantia aut dissonantia, sensus internus facit associationem qua compositio melodica et harmonica ut una percipiatur. Sensus interni unitatem complet intellectus detegendo relationes melodicas et harmonicas.

Motum percipimus visu et tactu quatenus sub diversa impressione diversam corporis locationem statuimus sicque motum relativum inter objectum perceptum et nostrum organum cognoscimus. Motum proprii corporis tum per visum tum per modificationes tactiles potissimum distinguimus. Sed has perceptiones sensu communi perficimus et coadunamus (1).

ARTICULUS III

De imaginatione ac phantasia.

142. Celebris est illa definitio Aristotelis: *Phantasia est motus a sensu* (externo) *secundum actum factus* (2); qua descriptione declaratur, ut vides, actus phantasiae, et vis ejus huc revocatur, quod actus phantasiae sit sensatio causata ex motione sensibilis actu per externum sensum percepti. Potentia vero sic ex mente Philosophi definiretur: *potentia apta moveri a sensu in actu*, nempe potentia capax sensationis ex motione sensibilis causata per sensum externum. Quamquam haec aristotelica definitio plures patitur difficultates et interpretationes, quas necesse non est hic referre. Clarior itaque planiorque definitio est illa, qua phantasia dicitur sensus interior potens cognoscere sensibilia externa etiam in eorum absentia vel sensus retinens species externorum objectorum, ut illa etiam in absentia cognoscat. Munus proinde ejus est reproducere imagines sensibilium objectorum etiam in absentia: et nihil amplius potest facere in bruto. At in homine sub intellectus directione alium etiam habet actum, nempe vel dividendi in partes imaginem objecti easque singillatim contemplandi, vel ex pluribus objectis seorsim perceptis unum conflandi, ut ex auro et monte montem aureum. Quamquam contendunt nonnulli phantasiam, quatenus hoc munus exercentem, vocandam esse imaginationem. Illud tamen verum est phantasiam et imaginationem non esse nisi diversa nomina ejusdem potentiae vel virtutis. Hinc patet

Discrimen inter phanasiam seu imaginationem et sensus externos ac sensum communem, quod hi quidem requirunt praesentiam physicam objecti, secus imaginatio. Praeterea repraesentationes externorum sensuum vivaciores sunt, debiliores phantasiae vel imaginationis, nisi forte in anormali statu hallucinationis et ferventioris excitationis. Unde a multis recentioribus actus sensuum externorum *perceptiones*, actus phantasiae *imagines* vocantur. Deinde imaginatio quamdam virtutem abstractivam, saltem in homine, participat, quatenus v. g. ex leone, quem visus nonnisi integre, prout sibi hic et nunc occurrit, repraesentat, potest phantasia solam faciem vel caudam exhibere, quamvis haec abstractio, quam imaginatio exercere potest; non sit universalis a singulari, sed tantum partis individuae ab alia individua parte, quia objectum omnis sensus semper est singulare.

---

(1) Cfr. Fröbes, op. cit., pag. 379-416, pag. 237-257.
(2) *De anim.*, lib. 3, text. 160. Vide ib. S. Thom., lect. 6.

Caeterum ne putes phantasiam restringi ad repraesentanda duntaxat absentia, nam potest etiam praesentia percipere, ut satis communiter conceditur.

143. **Existentia imaginationis probanda non est**, cum experientia ipsa constet, et brutis quoque animantibus insit. **Vis** vero **maxima** est, ut passim videmus, et magis patescit in amentibus, somniantibus, etc., ut alibi dicetur. **Utilitas** demum immensa, tum quia praebet intellectui phantasmata, ex quibus ille abstrahat suas species, tum quia comitatur omnem illius operationem, exempla saepe sensibilia analoga suppeditando, quibus ille juvetur praesertim in abstrusioribus cogitandis, tum quia parens quaedam est artium, typos formasque pulchras excogitando.

Oportet distinguere tres characteres differentiales imaginationum in diversis subjectis. Alii enim habent imaginationem potissimum visualem qua formae corporum, colores, scripta, regiones, vivide repraesentantur. Alii potius sonos et quidquid ad auditum pertinent imaginantur et hisce imaginibus auditivis intellectuales conceptus ornant.

Alii potius sunt motores quibus imagines motus tactiles vividiores sunt et magis pronae ut excitentur. Ideo cum legunt sibi, labia movent: imagines verborum et colloquia interna facile multiplicant.

Cum linguam patriam in pueritia discimus imagines sunt auditivae et motrices. Cum linguam extraneam imagines sunt potius visuales quales in scriptis apparent.

Examinari oportet ex quo typo imaginum sumantur metaphorae et comparationes in scriptis rhetorum et litteratorum ut characterem imaginationis in eis detegatur.

144. **Organum phantasiae vel imaginationis,** quidquid in contrarium dicant nonnulli neoterici, est in cerebro, quemadmodum tenent plures Physiologi recentiores cum veteribus Scholasticis ac S. Thoma in centris quae cum projectionis conjunguntur.

145. **Species demum in imaginatione ac memoria** sunt adeo manifestae, ut vel ipsi Physiologi eas agnoscant, et mente sibi repraesentent vel instar *vestigiorum* ex primis sensationibus relictorum, vel *nervearum habitudinum aut dispositionum functionalium*, seu facilitatis ad similes actus ingeminandos, vel aliis modis, qui, detractis metaphoris et ambiguis vocibus ac theoriis falsum aliquid subaudientibus; quid aliud sunt nisi id ipsum, quod ante multa saecula tradiderant Scholastici, sub nomine specierum intentionalium complentium ac determinantium potentiam ad objecta cognoscenda, illorum in se imagines vitaliter exprimendo? Caeterum species in phantasia et memoria non semper actu movent ad reproductionem istarum imaginum: quod providentissime cautum est a divina bonitate, quanta enim foret miseria hominis si actu semper omnia cogitaret, quorum retinet species in thesauro memoriae? Igitur plurimae species sopitae delitescunt.

146. **Excitantur autem vel excitari posunt multis modis** (1): α) a Deo et etiam ab angelis, β) imperio voluntatis, γ) absque voluntatis imperio ope aliarum causarum, sive ordinis vegetativi (per affluxum sanguinis et circulationem fermentorum quae species tangant), sive

---

(1) Cfr. inferius dicenda, ubi de causis somniorum.

sensitivi (occasione sensationum externarum actualium, quae sopitas species determinent ad actum), δ) demum saepissime per *associationem*, quam vocant, *imaginum*. Imperium tamen voluntatis fere miscetur cum hac postrema causa; cum enim voluntas caeca sit, non potest ipsa species, quae excitentur, assignare, sed potest efficere, ut intellectus res diversimode inter se connexas vel associatas consideret, ac sic plurium species evigilare faciat.

147. **Associatio imaginum** aliud reapse non est, quam nexus inter varias species atque imagines intentionales intercedens: qui duplex esse potest, *objectivus* vel internus et *subjectivus* vel externus. Objectivus generatim consistit in affinitate mutua, qua inter se ligantur multae species atque imagines, et potissimum in relatione similitudinis, contrarietatis, propinquitatis, ad quam revocari potest relatio causalitatis, dependentiae, signi naturalis..., quae nexum internum important ac necessarium, et etiam simultas temporis ac loci in quo res, quamtumvis in se disparatae, perceptae sunt. Unde fit ut potentia cognoscitiva unam ex rebus sic connexis sibi repraesentans facile ad aliam avolet, ipsius excitata specie. Verum ad hujusmodi imaginum faciliorem associationem juvant subjectivae conditiones personarum, v. g. complexio et indoles naturalis (unde quidam dicuntur felicioris memoriae ac vivacioris imaginationis), itemque propensiones ingenitae (nam alii aliis cogitationibus facilius et frequentius insistunt), habitus acquisiti, attentio animi, affectus et aestimatio. Denique connexiones specierum saepe causam habent in proposito voluntatis simul cum signorum arbitrariorum usu, quae ex nostra vel aliorum electione atque institutione pendent, ut cum exempli gratia certas actiones certis horis addicimus, adhibito campanae vel alio quovis signo. Quo in genere luculentum exemplum praebet sermo, sive oralis sive scriptus in quo duplex existit ordo specierum, quarum aliae alias excitent: primum in ipsa vocum et sermonis compositione ac in varia verborum flexione per casus et tempora inque syntaxica eorumdem constructione. Quae omnia ex diversis syllabis et variorum sonorum vocabulorumque compositione coalescunt, et cum per se infinitis modis combinari possent, requirunt voluntatis imperium, ut certo ac determinato modo aptentur ac proinde prius in ipsa phantasia imagines eorum in unum conjungantur. Alter ordo specierum respicit singulas voces vocumque conglobationes sermonem constituentes, quae determinatam significationem ex hominum instituto habent, ac proinde in eo, qui linguam callet, certas imagines et ideas excitent, necesse est. Et hactenus de imaginum associatione, qua de re dudum Aristoteles et S. Thomas scripserant, et plura recentiores disputant, et nonnulli etiam ad errores propugnandos abutuntur (1). Caeterum fatendum est, illud semper in imaginum associatione latere mysterium, quid tandem imago vel species excitans agat in excitatam ut quae prius quasi lethargo obruta jacebat, evigilet atque ad actualem repraesentationem determinetur (2). Negari enim nequit quavis phantasiae operatione innumera elementa organica concurrere: quae ordinatio-

---

(1) Plura in opere fusiori, volum. 5, num. 204-207. Et lege Rev. Dom. Mercier, qui fuse et egregie agit de his in sua *Psychologie*, num. 105 seqq., 5 e édition. Louvain, 1899. Sed in hac re consulendus omnino Fröbes, op. cit., t. 1.°, pag. 508 609.

(2) Cfr. Lossada, *de anim.*, disp. 6. cap. 3, num. 51.

nem quamdam possunt adquirere et in operando eam adquirunt. Inde quaedam pronitas ut inaequilibrium nerveum quod omnem operationem phantasiae antecedit viam paratam inveniat ut potius per unam quam per aliam structuram pergat, sicque simul cum perturbatione nervea et structurae excitentur species cum structura determinata conjunctae.

Unum additum velim,

148. Associationem imaginum non hominis esse solius propriam, sed cum brutis communem, quamvis in gradu imperfectiori. Ex qua explicantur frequentissima illa phaenomena belluarum, loca quaedam vel personas quaerentium vel fugientium, ex quibus bonum vel malum acceperunt; nam haec, utpote quae praeteritam supponunt experientiam, ad instinctum proprie non pertinent. Haec eadem imaginum associatio est fundamentum et ratio educationis, cujus capaces sunt belluae, quantumvis intellectus expertes, sed notandum discrimen inter associationem belluarum et associationem humanae phantasiae. Belluarum phantasiae sequitur legem automatismi psychophysiologici in suis associationibus. Humana phantasia praeter automatismum cui subicitur phantasia vi propria, capax est recipiendi directionem ad associationes ex intellectu et dominatur tunc associatio ideae ex intellectu derivata.

ARTICULUS IV

De aestimativa et cogitativa.

Potentiam, quae *aestimativa* vocatur in brutis, *cogitativam* dixere in homine veteres.

I.—Aestimativa.

149. Aestimativa est sensus interior percipiens in corporibus intentiones vel rationes sensibus externis impervias, quae propterea dicuntur *insensatae:* tales sunt rationes amicitiae vel inimicitiae, commodi et utilitatis vel incommodi, non quidem abstracte perceptae, sed concrete in hoc individuo hic et nunc praesente. Potentia haec inest brutis (n. **38,** *Secunda pars,* γ).

150. Organum aestimativae videtur esse in aliqua parte cerebri, quam S. Thomas putavit esse mediam partem cerebri (1), et Auctor opusculi *de potentiis animae* posteriorem partem mediae partis cerebri (2), sed arduum reapse est definire. Nec minor est difficultas in explicando modo, quo possit hic sensus insensatas intentiones percipere: quae tanta est, ut quidam motus animalium, directioni vel imperio aestimativae vulgo attributos, maluerint aut pure automaticos reputare, aut solum ex naturali sympathia vel antipathia profectos. Verum haec sententia et repugnat communi Scholasticorum, et rejicienda est, utpote ansam praebens ad cartesianam de belluis automatis doctrinam redintegrandam. Tota vero difficultas explicandae rei huc reducitur.

---

(1) 1 p., quaest. 78, art. 4; 4.° dist. 50, quaest. 1, art. 1, etc.
(2) Cap. 4.

151. **Undenam aut quo pacto species accipiat aestimativa:** quae quaestio insolubilis ferme videtur. Species quidem insensatas necessarias esse conceditur ex analogia caeterarum facultatum cognoscitivarum, quae speciem requirunt; easque diversas esse a speciebus sensatis, quibus externi sensus utuntur, communissima est vox doctorum virorum, siquidem sensatae solum determinant ad perceptionem propriorum sensibilium primario, et secundario communium. Nisi contendas objecta sensuum externorum imprimere species, quae praeter virtutem propriorum sensibilium repraesentatricem, virtute quoque polleant insensatas rationes repraesentandi. Quod ergo attinet efficientem causam insensatarum specierum,

Alii eas effici putant per ipsam aestimativam, sic sensum agentem invehentes. Alii recurrunt ad Deum, sive immediate moventem per se potentiam, cum necesse est, sive innatas inde ab initio infundentem illi species, quae, occurrente sensibus externis objecto, excitentur, ac determinent illam ad insensatas rationes apprehendendas: quae secunda sententia, secundo modo propugnata, non videtur sua carere probabilitate. Probabilius forte dici posset objecta, prout per externos sensus percepta, vel sensationes externas objective consideratas gignere species, quae pro diversa brutorum natura moveant cujusque aestimativam ad apprehendendas species insensatas. Objecta enim eadem in se possunt diversas habitudines habere respectu diversorum, ut quod bonum et amicum sit uni, malum et inimicum existat alteri naturae; et sic eadem res potest diversos parere effectus pro diversitate subjecti recipientis actionem illius, nam: *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur.* Quid ergo mirum, si eadem visio lupi possit in ovis aestimativa speciem ac determinationem gignere, quam non gignit in canis vel alterius lupi aestimativa? (1). Nonne elementum subiectivum quod in pluribus sensationibus adesse hic potiores partes sicut in sensatione doloris et voluptatis habet, sicque oritur complacentia vel displicentia in imagine et in obiecto internae sensationis vi cuius determinatur appetitus et per eum motus spontanei imperantur? Quod ut illustretur conferenda sunt quae de dolore et voluptate mox disserentur.

II.—Cogitativa

152. **Sententia S. Thomae circa cogitativam** huc revocatur: Sicut habet phantasia in homine quamdam eminentiam supra bruta, ut vel in unum conflet imagines diversas, aut etiam dividat eas in partes, objectum sic repraesentando in quadam abstractione; ita aestimativa majorem quamdam assequitur perfectionem, qua caret in brutis (2), et sic proprium sortitur nomen *cogitativae* atque etiam *intellectus passivi* et *rationis particularis.* Perfectio ista in eo consistit, quod cogitativa conferat inter se rationes quasdam individuales, et sic quas insensatas rationes bruta cognoscunt instinctu naturali, eas homo invenit discursu quodam et collatione diversorum inter se objectorum: ex quo etiam liquet ratio appel-

---

(1) Quaedam alia in volum. 5.°, num. 207-210.

(2) Vide S. Thom., 3.° dist. 26, quaest. 1, art. 2. Cfr. 1. 2^{ae} quaestionis 74. art. 3, ad 1.^{um}

lationis *cogitativae* vel *rationis particularis*. Lege S. Thomam (1). Caeterum inter rationes insensatas sensibus impervias, quas homo per cogitativam ex mente S. Thomae (2) apprehendit, est ratio *substantiae singularis* vel *particularis*, quamquam id alii plerique negant. Doctrinam hanc, de qua silet prorsus Aristoteles, ut scribit card. Toletus, primo inventam esse censet ipse ab Avicenna, et postea traditam ab Averroe, Alberto M. et S. Thoma (3), quam postea secuti sunt multi Thomistae aliique graves scriptores apud Conimbricenses, qui etiam eidem adhaerent.

153. Alii tamen, quamvis concedant cogitativae hominis quamdam excellentiam supra aestimativam brutorum, propterea quod instrumentum est intellectus conferentis ac discurrentis circa res singulares; verum negant ipsam proprie discurrere (4). Ex quorum doctrina possunt haud levia quaedam urgeri argumenta contra praecedentem opinionem, quae videri queunt in opere nostro fusius

154. **Controversia haec solvi forte posset**, distincto ratiocinio formali ac proprio et virtuali atque improprio vel exercito. Proprium est illud quod in Logica declaratum reliquimus, importans veri nominis comparationem terminorum et propositionum, perspiciendo identitatem vel discrepantiam priorum et nexum atque illationem secundarum. Improprium ratiocinium nihil horum signate importat, sed tantum umbram quamdam et imitationem superius declaratam. Nam visus v. g. qui concrete apprehendit album, exercitio ipso dici potest quodammodo judicare albedinem esse in hoc subjecto: et canis devitans pueros, a quibus male aliquando mulctatus fuerat, exercite quodammodo ratiocinatur eos sibi, quia inimici sunt, vitandos esse. Itaque dici posset cogitativam in homine formalia ratiocinia, etiam particularia, elicere vere non posse, posse autem virtualia vel exercita, et quidem perfectius, quam aestimativa valeat in brutis.

Quod cogitativa majorem nanciscatur perfectionem ex consortio cum ratione, facile conceditur ex unione mutuoque juvamine diversarum potentiarum ejusdem subjecti: simili modo sensitivus appetitus in homine libertatem quamdam participat, et imaginatio peculiarem actum habet, ut modo notavimus, et memoria sub directione intellectus actum reminiscentiae, quo bruta carent, exercet, quemadmodum in sequenti articulo declarabimus. Ad hunc ergo modum cogitativa hominis perfectione superare potest animalium aestimativam.

155. **Sed necesse non est**, ut haec major perfectio consistat in eliciendo novam *speciem* actus, qualis esset veri nominis discursus. Communis doctrina est quam postea defendemus formalem discursum cadere in sensum non posse; cogitativa vero sensus est, neque allata est adhuc idonea ratio, quae nos cogat tantam illi asserere excellentiam. Cum potissimum nec appetitus sensitivus, nec imaginatio, nec memoria ex consortio ac directione partis rationalis novam reapse actuum speciem eliciant.

---

(1) 1 p., quaest. 78, art 4. Cfr. quaest. 81, art. 3; *Contr. Gent.*, lib. 2, cap 60 initio; *de verit*, quaest. 10, art. 5; quaest. *de anim.*, art. 13; opusc. *de potent. anim.*, cap. 4.

(2) *De anim.*, lib. 2, lect. 13 fin. Cfr. opusc. *de princip. individ*, circa med.

(3) Card. Toletus, *de anim.*, quaest. 7, *Vera sententia omnium Philosophorum...*

(4) Ita Tolet (loc. cit.), Rubius (*de anim.*, lib. 3, cap. 3, quaest. 5, num. 115). Suarez (*de anim.*, lib. 3, cap. 30, num. 7), etc., etc.

(5) Volum. 5.°, num. 211.

Major ergo eminentia cogitativae sic posset explicari. In primis homo, cum ratione non utitur, instinctu videtur in multis duci per aestimativam, fere sicut belluae, ut patet in pueris et amentibus et etiam in repentinis motibus hominum adultorum et sanorum. At cum homo ratione ducitur, experientia novimus, illum in iis, quae spectant ad conservationem vitae rationesque commodi et incommodi, et in brutis sub instinctu et aestimativae dominium, ut ita dicam cadunt, non duci caeco instinctu, sed ratiocinatione observationi et experientiae innixa, quae nativam sagacitatem aestimativae in attingendo objecto illustrat, et perficit. In quo quidquid est formalis ratiocinationis pertinet ad intellectum, sub cujus directione cogitativa per observationem et experientiam perficitur, ut non penitus caece, sicut aestimativa in brutis, operetur, sed rationabiliter (1).

ARTICULUS V

De Memoria et reminiscentia.

156. **Memoria duplex esse potest,** intellectualis et sensitiva de qua sola hic nobis agendum est. Est autem potentia sensitiva interior, olim cognita prout jam alias percepta, recognoscens. Non ergo solum praeteritorum species retinet, sed etiam objecta cognoscit, in quo convenit cum phantasia vel imaginatione; differt autem ab hac quia non solum objecta et imagines eorum iterum repraesentat, sed praeterea agnoscit illas jam olim perceptas fuisse.

157. **Objectum memoriae** dici solet esse rem praeteritam, nempe rem olim cognitam, sive perierit jam, sive adhuc existat. Quare memoria quodammodo apprehendit etiam tempus, non tamen *abstracte* vel praecise ac sub ratione propria, quod ad solum intellectum pertinet, sed *concrete*, id est, animadvertendo hujus rei cognitionem jam alias habitam fuisse. Caeterum, sicut etiam diximus de aliis sensibus interioribus, memoria non objecta solum externa, sed ipsas quoque revocat sensationes olim habitas: sic canis recordatur et puerum et ingratam tactus sensationem, quam expertus erat cum ab eo vapulaverat (2). Nec vero putes memoriam solum recordari rationes insensatas per aestimativam, ut docuisse videtur Avicenna et Algazel. ac refert auctor opusculi *de Potentiis animae* (3); nam S. Thomas (4) et multi alii generatim docent objectum ejus se porrigere ad rem quamvis praeteritam vel olim cognitam, ut diximus.

158. **Quid reminiscentia.** Hactenus descripta memoria inest quoque brutis. Ea tamen in homine propter unionem cum intellectu novam perfectionem assequitur et peculiarem actum *reminiscendi;* non enim solum recordamur res, quarum sponte vel absque propria inquisitione venit in mentem (quod solum praestare valent belluae), sed etiam saepe memoriam earum refricamus, studiose inquirendo

---

(1) Haec fusius declarata videri queunt in alio opere, volum. 5.°, num. 210 213.

(2) S. Thom., 1 p., quaest. 79, art. 6, ad 2.um

(3) Cap. 4.

(4) S. Thom., quaest. *de anim.*, art. 14; quaest. 10 *de verit.*, art. 2; *de memor. et reminiscent.*, lect. 1, paragr. *e.*

cum aliquo discursu, praesertim cum non totam rem recordamur, et conamur partem ejus jam oblivione sopitam invenire comparando, investigando, adjuncta considerando, etc. (1). Quare *reminiscentia nihil est aliud, quam inquisitio alicujus, quod a memoria excidit. Et ideo reminiscendo venamur, id est, inquirimus id quod consequenter est, ab aliquo priori quod in memoria tenemus* (2), etc. Unde illi qui cogitativae hominis discursum aliquem tribuunt (n. **152**), eumdem quoque reminiscentiae asserendum esse contendum: qua de re idem mihi dicendum esse videtur, quod de cogitativa (n. **157**).

159. Duae praecipuae sunt proprietates memoriae, *facilitas* et *tenacitas.* Illa sita est in celeritate, qua res memoriae parvo labore commendantur, haec in diuturnitate vel facultate diu retinendi. Utraque variat in diversis hominibus, alii alterutra vel utraque gaudent, alii neutra in notabili gradu, immo in eodem individuo diversos gradus habet pro diversa aetate. In eadem vero aetate non parum pendet tenacitas ex majori minorive attentione a sensibus externis adhibita in objecto percipiendo, ex majori minorive exercitatione, nam memoria excolendo augetur, et ex majori minorive activitate sanguineae circulationis, ut docent Physiologi; et accidentaliter variare potest etiam ex diversis morbis et organismi affectionibus cerebrique laesione, quibus de causis interdum pene deletur memoria.

Perficitur vero et augetur memoriae tenacitas variis industriis, quae dudum traditae sunt a S. Thoma (3), et praecipue innituntur imaginum associationi: qua de re ars quoque confecta est *mnemotechnica,* quae antiquis pariter ac recentibus temporibus a quibusdam excolitur memoriae juvandae gratia.

160. Organum memoriae situm est in cerebro. Et veteres quidem illi ceu propriam sedem assignarunt posteriorem partem ejus (4); verum nostri Physiologi memoriam, et generatim sensus omnes internos, putant residere in anteriori parte, nimirum in *lobis frontalibus,* quamvis nequeant propriam cujusque sensus actibus regionem determinare (5). Caeterum memoriae non solum assignant Physiologi cerebrum pro organo, sed docent praeterea diversa genera imaginum rerumve (v. g. nominum propriorum, temporis data *(fechas),* nomina scripta vel oralia...) habere organa *localizata* in diversis partibus, unde interdum accidit plena oblivio in uno rerum genere cum memoria rerum aliarum. Nominatim vero dicunt multi centrum loquelae inesse in tertia circumvolutione frontali, quae nomen accepit a Broca, ejus inventore; et ex hujus paralysi centri procedunt notissima illa phaenomena *agraphiae* atque *aphasiae,* cum quis obliviscitur scripturae aut loquelae usum. Verum de his fuse Physiologi (6), qui jam centra locutionis quae plurima elementa associata habet, esse valde sparsa per magnam cerebri partem arbitrantur.

---

(1) Vide S. August., *Confession.* lib. 10, cap. cap. 19.

(2) S Thom., *De memor. et reminisc.*, lect. 5, paragr. *b.* Cfr. quaest. *de anim.*, art. 13; et 1 p., quaest. 78, art. 4.

(3) 2^{a} $2.^{ae}$, quaest. 49, art. 1, ad $2.^{um}$

(4) Vide S. Thom., 1.° dist. 3, quaest. 4, art. 2; opusc. *de Potent. anim.*, cap 4.

(5) Vide Rev. Dom. Guibert, *Anatomie et Physiologie animales,* pag. 384.

(6) Cfr. aliud opus, volum. 5.° num. 214, et Fröbes op., cit. t. 2, pag. 1-70 Monakow. *Die Lokalisation im Grosshirn* Wiesbaden a. 1914).

De speciebus rememorativis nihil hic occurrit specialiter dicendum.

ARTICULUS VI

Utrum sensus interni re, an vero sola ratione distinguantur.

161. Vetus est hac de re inter Philosophos controversia. Quidam duos tantum internos sensus agnoverunt nempe vel communem sensum et phantasiam, quacum identificentur memoria et aestimativa, ut placuit Veneto, Pererio, Fonsecae ac Conimbricensibus, vel, ut alii malunt, sensum communem cum phantasia identificatum et aestimativam cum memoria. Alii posuerunt tres, nempe sensum communem identificatum cum phantasia, aestimativam vel cogitativam et memoriam. Verum, aliis omissis, duae restant celebriores sententiae: prima quatuor sensus interiores re distinctos admittit, videlicet in quatuor articulis praecedentibus declaratos; hanc tenent communiter Thomistae cum S. Thoma (1), quibus adhaerent nostri PP. Gregorius de Valentia et Silvester Mauri. Altera sententia unum tantum re interiorem sensum agnoscit, qui pro diversis muneribus et actibus, quos exercet multiplex apprehendatur, ac diversimode denominetur. Ita opinantur post Alexandrum Halensem communissime nostrates et plures Scotistae, qui tamen sola distinctione rationis non contenti suam illam formalem invehunt (2), exclusa reali.

Controversiam hanc, quam non magni momenti equidem aestimo, cum argumentis utriusque opinionis fusius expositam habes in opere fusiori (3).

ARTICULUS VII

De proprii corporis perceptione, ubi de sensu, quem vocant **fundamentalem.**

162. Status quaestionis. Sensus *fundamentalis* a veteribus dictus est sub diverso respectu tactus et sensus communis: ille quidem, quatenus per totum serpit organismum, et caeteris quoque sensibus externis substernitur; hic vero, quia est radix et caput unde sensibus externis advenit sentiendi vigor. Inter recentiores Condillacus invexit quemdam sensum fundamentalem, quo sentiantur actiones, quas variae corporis partes in se invicem exserunt, ac praesertim motus respirationis. Hujusmodi autem sensus, quo tandem cumque nomine appelletur, revocari potest ad sensum *nisus* vel

---

(1) 1 p., quaest. 78, art. 4; quaest. *de anim.*, art. 13; et opusc. *de Potent. anim.*, cap. 4.

(2) Cfr. Compend. volum. 2.um, num. 114.

(3) Volum. 5.°, num. 216 219.

muscularem, qui non est alius a tactu partium interiorum. Nos vero hic discutiendum assumpsimus sensum *fundamentalem*, quem inter alios propugnarunt Rosminius et P. Tongiorgi.

163. **Descriptio sensus fundamentalis**. Hi scriptores suum sensum fundamentalem contendunt re non differre ab eo interiori sensu, quem Aristoteles sensum communem appellat (1), cui tamen munera assignant a veteribus sensui communi non assignata. Nam secundum Rosmini sensus intimus, idemque fundamentalis, est sensus quidam vel perceptio perennis proprii corporis *per se spectati*, quae natura saltem prior sit externis sensationibus, iisdemque praebeat subjectum et fundamentum (2). Quodque gravius est, Rosminius in ejusmodi sensu fundamentali constituit unionem animae humanae cum corpore, unde logice infert eumdem esse humano composito essentialem, sicut est essentialis ipsa unio. Idem ferme docet P. Salvator Tongiorgi, si excipias illud, quod unionem cum corpore respicit. Statuit nempe animam, dum corpus informat, perenniter sentire suam in eo praesentiam: nec vero anima se corpusque suum tamquam duo percipit, sed per modum unius, «sentit videlicet extensum, quo secundum virtutem ipsa extenditur», ideoque communis usus loquendi, voce illa *Ego* et animam et corpus designat. Hinc infertur, α) sensum istum organicam facultatem et actum esse, β) ipsum non excitari occasione peculiarium sensationum, sed omnibus illis saltem esse natura priorem, γ) ex eoque primam extensionis oriri notitiam (3). Sic ergo ex mente istorum scriptorum sensus fundamentalis est externarum sensationum fundamentum non solum *physiologice*, ceu radix unde virtus derivatur, sed etiam *objective* atque *intentionaliter*, quatenus actus ejus saltem natura prius praecedere debet quamlibet externam sensationem.

Praenotandum. Omissis aliis recentiorum opinionibus circa modum percipiendi proprium corpus, nota hoc bifariam percipi posse: primum in concreto et experimentali modo instar facti cujusdam, deinde in abstracto ac rationali et scientifico modo: hic alter modus spectat ad intellectum, qui sic corpus proprium sicut quodvis aliud cognoscit, ideoque de priori solum est nobis hic sermo.

164. PROPOSITIO. **Homo corpus suum experimentaliter percipit ope potissimum sensus communis: unde sensus ille fundamentalis quem quidam recentiores obtrudere volunt, omnem externam sensationem antevertens, ceu fictitius rejiciendus est.**

Prima pars: *Homo corpus suum experimentaliter cognoscit ope sensus communis*, probatur 1.° Sensus communis, ut quilibet alius, objectum suum refert non abstracte, sed in concreto. Atqui sensus communis proprium est referre sensationes externorum sensuum, quae in nostro corpore exercentur. Ergo nequit sensus communis sensationes externorum sensuum percipere, nisi simul plus minus confuse percipiat earum subjectum, nempe proprium corpus.

---

(1) Ita diserte Tongiorgi, *Psycholog.*, num. 279, 1.°

(2) Rosmini, *Saggio sull' origine delle idee*, vol. 2, part. 5.ª, cap. 3.

(3) Tongiorgi, *Psycholog.*, num. 279, 2.°, 4.°, 5.°, 6.° et 8.°

Prob. 2.° Intime persentiscimus subjectum vel locum et partem, ubi quaevis nostra sensatio exercetur, esse aliquid nostrum. Illud vero non esse animum, sed corpus, relatione ipsorum sensuum, atque adeo sensus communis, innotescit.

Prob. 3.° inductione et analysi. Si visus respiciat corpus proprium, ex eo solum nondum cognoscet illud esse suum; et similiter auris et olfactus, si sonum vel odorem proprii corporis percipiat. Sed visio ipsa, et similiter auditio et olfactus, sive proprii sive alieni corporis, non possunt sentiri nisi ut phaenomena propria. Et quamvis nulla istarum seorsim sumpta proderet subjectum suum esse quiddam extensum, at prodent profecto plures simul sumptae vel invicem comparatae, quia sensus communis manifeste renuntiabit partem *nostri*, in qua visus exercetur, esse diversam ab ea, quae sentit auditum et olfactum. Ergo sensus communis partes diversas deprehendit subjecti sentientis, quod proinde extensione praeditum et corporeum cognoscitur (1).

Secunda pars: *Rejiciendus est fundamentalis sensus ad mentem quorumdam recentiorum*, probatur 1.° Sensus iste fundamentalis supponit perennem in animo nostro sui ipsius suique status conjunctionis cum corpore notitiam. Atqui haec constanti cujusque repugnat experientiae (n. **66**). Ergo...

Prob. 2.° Si daretur in anima perennis sui suique status conjunctionis cum corpore cognitio, non intelligitur α) quo pacto grassari valeant materialistarum et positivistarum, animae existentiam vel certe cognoscibilitatem negantium, errores; β) nec tantum inesset Philosophis negotii in vindicanda vera natura animae, praesertim humanae, quae sit vere corporis forma, eaque spiritualis et immortalis. Haec enim omnia posset anima se perenniter intuens facile invenire. Ergo... (2).

Prob. 3.° Homo in hac vita non aliam habet cognitionem proprii corporis praeter eam, quam ope sensuum sive externorum sive internorum, de quibus in superioribus diximus, referentium externas sensationes, et ope intellectus discurrendo ex praedictorum sensuum testimonio haurire potest. Ergo gratis obtruditur ad cognoscendum proprium corpus novus aliquis sensus internus, cujus actus praecedat externas sensationes.

---

(1) Haec probatio fusius enucleata videri potest in volum. 5.°, num. 220, *Prob. 3.°*

Ex his porro vides ad perceptionem proprii corporis sufficere actum sensus communis sensationes externorum sensuum subsequentis, nec omnino requiri actum cogitativae, prout illum requirit cl. P. Bernardus Boedder *(Psycholog. rational.*, num. 97.)

(2) Hoc argumentum fusius declaratur in volum. 5.°, num. 220 *Secunda pars*, Prob. 2.°

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

165. **Objic.** 1.° Si se ipsam anima sentit, debet etiam sentire statum, in quo est. Atqui est conjuncta cum corpore. Ergo anima se cum corpore conjunctam sentit.—**Respond.**, *dist.* Major. Si sentit se ipsam immediate ac directe, *trans.*; si sentit se tantum indirecte et ope suorum actuum, *neg.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 2.° Ut vis necessario agens de potentia ad actum transeat, haec duo requiruntur, et sufficiunt, ut vis expedita sit ad agendum, et ut objectum sit ipsi, prout convenit, admotum. Atqui anima quae sentire se ipsam debet, proxima est, immo identica, objecto cognoscendo: unde virtus quoque illius expedita est. Ergo anima in promptu habet quidquid requiritur, et sufficit, ut se ipsam cognoscat, ac proinde se non cognoscere non potest.—**Respond.**, *conc.* Minor. quoad primam partem, quoad alteram *nego*, quantum attinet praesentem unionis statum, in quo experientia novimus animam impeditam esse ad immediatam sui cognitionem, undecumque proveniat istud impedimentum.

Objic. 3.° Si anima posset excitari ab aliqua affectione sua vel actu ad sentiendam se ipsam, deberet illam affectionem experiri ut suam. Atqui si anima ante omnem affectionem non sentit se, nullam affectionem potest experiri ut suam; eatenus enim experitur in se, ac per ipsam immutari.—**Respond.**, *neg.* Minor. Sicut enim visus ut percipiat coloratum vel colorem concrete in charta, non debet prius videre chartam, ita nec anima ut suam affectionem in se intueatur, debet se ipsam prius cognoscere.

Quaedam alia in opere fusiori (1).

ARTICULUS VIII

De dolore ac voluptate.

166. Ut quae de aestimativa diximus melius intelligantur, pauca quaedam innuere potius, quam explicare, juvat de dolore ac voluptate: qua de re longas passim recentiores conficiunt tractationes ambiguitatibus et erroribus refertas, in quibus describendis refutandisque nolim frustra terere tempus (2).

Voluptas et dolor sunt affectiones, quas in usu potentiarum nostrarum, sive sensitivarum, sive intellectivarum, experimur, illa quidem grata, haec vero ingrata. Hic autem de dolore voluptateque corporea et sensibili potissimum agendum est, ea vero reperitur in sensatione subjective spectata (num. 108), quam experientia novimus esse saepe jucundam vel ingratam molestamve. Caeterum sensationem doloris et voluptatis referre, ad sensum internum pertinet, cujus est sensuum externorum objecta et sensationes percipere, atqui inter se discernere. Et sic videmus saepe in ejusmodi affectionibus versari memoriam et imaginationem; sensus vero communis nihil frequentius testatur, quam istarum affectionum voluptatis ac doloris vicissitudines. Et quia delectationes potissimum gustus et tactus, longe sunt caeteris vehementiores, earumque usus ac desiderium hominem ad turpissima vitia facile pertrahit; ad moderandum harum praecipue appetitum necessaria est virtus temperantiae (1), abstinentia quidem et sobrietas pro gustu (2), castitas et pudicitia pro tactu (3). Dolor vero in tactu est omnium intensissimus: cumque alioquin nihil frequentius in hac aerumnosa vita hominem affligat, patientia, fortitudine, poenitentia aliisque virtutibus animus ad tolerantiam et aequanimitatem erigendus est. Si jam

---

(1) Volum. 5.°, num. 221.

(2) Cfr. si lubet, R. P. Bonniot, qui nonnullas neotericorum doctrinas exponit, ac rejicit in suo opere *L'âme et la Psychologie*, 1.er livre, chap. 10.

167. **In quo formaliter situs sit dolor et voluptas,** inquiras. in dolore sensibili tria considerari debent, objectum, unde ille gignitur, cognitio sensibilis ejusdem et displicentia, quae sequitur in appetitu. Et similia tria vel proportionalia, ut patet, reperiuntur in voluptate.

Objectum vel causa doloris est multiplex ac medicis praecipue nota, e quibus Beaunis omnes dolores ad quatuor capita revocat: *dolores mechanicos*, *dolores thermicos*, *dolores inconvenientis dispositionis corporeae (malaises, malestar)* et *dolores* quosdam *speciales:* unde causae vel objecta dolorum tandem sunt laesio aliqua corporis, et generatim intemperies organismi, praesertim tactus, vel quidquid nocumentum affert convenienti organismi statui: quae explicatio complectitur varias causas doloris a veteribus non sine opinionum discordia enumeratas (4). Verum de his paulo enucleatius in opere fusiori (5). Porro in dolore spirituali animi causa est quodvis malum, sive corporeum et sensibile, sive insensibile ac spirituale, quod intellectui considerandum proponitur, magis vero illa quae supra sensum sunt posita, dedecus, infamia, funus et amissio carorum et peccata omnia, quae sunt summum naturae rationalis malum, ac prae caeteris poenitendum.

168. **Alterum in dolore considerandum est perceptio rei** vel objecti malum afferentis, quod praecipue spectat ad tactum. Potest nihilominus interdum adesse dolor, deficiente reali causa, saltem quae gravis sit, ex lusu imaginationis aut etiam deceptione intellectus malum apprehendentis, ubi non est, vel exaggerantis. Ex mali perceptione vel apprehensione sequitur

169. **Displicentia in appetitu**, quod est tertium in dolore repertum; nam percepto disconvenienti objecto, illico adest sensus aversionis, sensibilis quidem, si sermo sit de objecto ac perceptione sensibili, spiritualis vero, si de objecto ac perceptione intellectuali. Unde vides respectu ejusdem objecti dari posse pugnam inter appetitum sensitivum et rationalem; nam quae organismum vexant, eique mala sunt et nociva, possunt ad altiorem finem juvare atque esse convenientia, et prout talia cognosci. Quod dum accidit, aderit dolor in parte hominis inferiore, ac poterit simul adesse delectatio in parte rationali. Contrarium vero accidit, animo recte disposito, et voluptates corporeas se indignas virtutisque inimicas consideranti. Illa demum salebrosior est hac in re controversia.

---

(1) S. Thom., 2.ª 2.ªᵉ, quest. 141, art. 4 et 5.
(2) Ibid., quaest. 146 et 149
(3) Ibid., quaest. 151.
(4) Vide Lossada, *de anim.*, disp. 5, cap. 4, num. 136.
(5) Volum. 5.°, num. 223, *Jam si rationem...*

170. **In quonam ex hisce tribus reponenda sit formalis ratio doloris.** De objecto nullum est dubium, quin sit extra ipsam essentiam ejus, ac tota lis est circa perceptionem causae, laesionis vexationis molestiaeve, ac circa motum inde consequentem aversionis ac displicentiae. In perceptione objecti vel causae reponunt doloris essentiam cardin. Toletus, Vazquez, Lugo, Oviedo, Izquierdo, Arriaga, etc.: idemque non uno in loco docuit S. Thomas (1). Communior sententia dolorem formaliter reponit in actu appetitus, nempe in affectione displicentiae, quae perceptionem causae doloris consequitur: et similiter voluptatem. Ita sentiunt Suarez (2), Rubius, Conimbricenses, card. Toletus alibi sibi contrarius, Rhodes, Mastrius, Lossada (3), etc., et disertis verbis ipsemet S. Thomas (4). Et quamquam, ut notant cardin. Lugo et Vazquez, dissensio non tam est de re, quam de voce, probabilior videtur haec altera opinio (5).

ARTICULUS IX

Utrum sensus judicare ac reflectere in suum actum valeant.

Duo quaerimus, quae ad perfectionem sensus cognoscendam uvant, et seorsim claritatis gratia, tractanda sunt.

I.—Utrum sensus judicare ac discurrere queant

171. **Judicium duplex distinguitur,** alterum formale vel signatum, alterum virtuale seu exercitum, quod notam praedicati subjecto associatam repraesentat. Ac de solo formali est praesens quaestio, nam virtuale passim asseritur sensibus, qui cum qualitates corporeas concrete attingant, eo ipso illas implicite tribuunt propriis subjectis. Judicium vero formale, quamquam a Scholasticis communi calculo denegetur sensibus in brutis animantibus, at non in homine; siquidem Thomistae cum Angelico Doctore *cogitativae*, qui sensus et respondens aestimativae animalium, concedunt discursum per collationem rationum individualium vel particularium.

172. Propositio 1.ª—**Nullus sensus potest formalis judicii, sive immediati, sive mediati, actum elicere.**

Prob. 1.° Nullum judicium proferri potest, nisi perspecta identitate inter subjectum et praedicatum. Atqui sensus nequit ejusmodi perspicere identitatem. Identitas enim ac distinctio sunt notiones communissimum entis conceptum consequentes, quae proinde abstrahunt a materia, et sunt universales, nec cadere possunt in potentiam organicam.

---

(1) *De verit.*, quaest. 26, art. 4, ad 4.um; 3.° dist. 15, quaest. 2, art. 3, solut. 1.ª et 2.ª

(2) *De anim.*, lib. 5. cap. 5, num. 7; et in 5.am part., quaest. 15, art. 5, in brevi commentar.

(3) *De anim.*, disp. 5, cap. 4, num 134.

(4) 1. 2.ae, quaest. 35. art. 1 corp. et ad 1.um et 2.um

(5) Vide haec fusius tractata in volum 5.°, num. 222-225.

Prob. 2.° Praeterea omne judicium importat comparationem terminorum, et ratiocinium comparationem propositionum. Atqui comparatio idearum et propositionum superat perfectionem potentiae materialis, qualis est omnis sensus. Nam ejusmodi comparatio requirit facultatem detegendi mutuas relationes et rationes cognoscibiles, quae cum materiales non sint, non possunt organum afficere.

Prob. 3.° speciatim de discursu. Sensus non potest universale percipere, ut vel ipsa experientia compertum est. Ergo nec discurrere; quia omnis discursus innititur saltem implicite principiis aliquibus universalibus, quale est principium identitatis et discrepantiae, ac *Dici de omni* et *Dici de nullo* (1).

173. **Objic. 1.°** Sensus videtur judicare ac discurrere; nam saepe imaginatio ab una cognitione transit in aliam cum priore connexam. **Respond.**, *neg.* assert. de formali judicio intellectum. Probationem *disting.* Imaginatio transit ab una cognitione in aliam cum priore connexam per meram associationem imaginum, *conc.;* connexam connexione objectiva relationum, quam cognoscat ipsa imaginatio, *neg.*

Objic. 2.° Actus, quo unum ab alio discernitur, comparationem quamdam importat. Atqui sensus discernit inter varia objecta ut visus inter album et nigrum et communis sensus inter objecta et sensationes sensuum exteriorum. Ergo sensibus competit comparatio, atque adeo nec judicium nec ratiocinatio repugnat.—**Respond.**, *dist.* Major. Actus, quo unum ab alio discernitur, utrumque attingendo per modum facti cujusdam experimentalis, importat comparationem, *nego;* insuper animadvertendo proportionem ac relationes inter varia objecta intercedentes, *conc.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

II.—Utrum sensus reflectere in se suumque actum valeat.

174. **Reflexio quoque bifariam institui potest,** *exercite* ac *signate*. Exercite facta «nihil est aliud, quam experientia sui, quatenus visio v. g., dum actu existit, per se ipsam absque alia reflexione reddit potentiam *formaliter experientem se videre* atque id sentientem in actu exercito, *tametsi visionem non videat more objecti*». Signate vero facta «reflexio est cognitio, qua quis pro objecto respicit proprium actum de linea intentionali» (2), nimirum animadvertendo et considerando illum. Exercite quaevis sensatio est sensatio sui, et quivis sensus sentit se sentire, ut omnes concedunt (3); quaestio

---

(1) Cfr. Compend. volum. 1.um, num. 182, 199.

(2) Huc etiam afferri possent quaedam objectiones supra pro brutorum intelligentia factae (num. 43).

(3) Vide Suarez, *de anim.*, lib. 3, cap. 11, num. 5. Cfr. opus nostrum fusius, volum. 5.°, num. 154, ubi hoc magis declaratur.

vero praesens est de reflexione signate facta. In qua communis est omnium vox, nullum sensum externum posse in suam propriam sensationem reflectere. Quod sensum internum attinet, certum est apud omnes, illum omnes externas sensationes cognoscere posse; et quamquam non defuerint, qui putarent posse illum in suum etiam proprium actum reflectere, id tamen negat frequentissima opinio cum S. Thoma (1).

175. Propositio.—**Nulla sensitiva potentia potest in se suumve actum formaliter ac signate reflectere.**

Prob: 1.° Constat experientia, nullum sensum externum se suamve sensationem tamquam objectum percipere. Ergo idem dicendum est de omni interno.

Antecedens patet inductione. Quia nec visus videt nisi colores, nec auris audit nisi sonos, etc. Quis unquam vidit suos oculos nisi in speculo, suamve visionem, aut quis audivit suam auditionem vel sonum proprii organi? **Consequentia probatur,** quia reflexio est perfectio magna, quae non est asserenda potentiae organicae absque urgenti argumento, quod nondum productum est.

Dices. Lingua interdum et palatum amare sapiunt.—**Profecto ita est,** verum sapor ille non est linguae nec palati, sed alicujus humoris, quo illa imbuuntur.

Prob. 2.° Nulla potentia sensitiva operatur sine immutatione organica proveniente ex objecto. Atqui nulla potentia sensitiva potest se ipsam immutare. Etenim omnis potentia est organica, ideoque materialis et corporea. Nihil autem corporeum et materiale potest se ipsum immutare. Immutatio enim ejusmodi fit per contactum extensum et quantitativum, at contactus non est ejusdem ad se, sed unius ad aliud (2).

176. **Objic. 1.°** Saepe meminimus internas sensationes, ut cum quis recordatur phantasma olim habitum. Ergo potest sensus in aliquem actum praecedentem reflectere.

Respond., *dist.* antec. Saepe meminimus, etc., per intellectualem memoriam, *conc.;* per sensitivam, *subdist.:* meminimus internas sensationes ejusdem memoriae, *nego*, donec probetur clarius; alterius alicujus sensus interioris, *conc.* Et *neg.* conseq.

Objic. 2.° Sentimus nos videre, audire, etc. Atqui non possumus id sentire nisi ipso visu, auditu, etc. Ergo visus, auditus, etc., in suum proprium actum reflectitur. **Prob. Minor.** Si alio sensu praeter visum perciperemus visionem, perciperemus etiam colorem, color autem non nisi visu percipitur, cum species ejus solum in oculo producatur.—**Respond.**, *nego* Minor. **Ad probation. Minoris,** *dist.*

---

(1) 3.° dist. 23, quaest. 1, art. 2, ad 3.um; 2.° dist. 19, quaest. 1, art. 1; 1 p., quaest 78, art. 4, ad 2.um; *Contr. Gent.*, lib. 4, cap. 11.

(2) Vide S. Thom., 2.° dist. 19, quaest. 1; *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 49, *Item nullius...*

Minor. Species coloris immediate non producitur nisi in oculo, *conc.;* mediate, *neg.* Visio enim externa producit in interiori sensu speciem repraesentatricem ejusdem et etiam coloris.

Objic. 3.° Communis est ratio repugnantiae in sensu et intellectu, ut se ipsum suumque actum percipiant, illa nempe quod nihil potest se ipsum movere, siquidem *Omne quod movetur, ab alio movetur.* Atqui haec ratio non obstat, quominus intellectus in se reflectat. Ergo neque obstare debet, quominus sensus se reflexe cognoscat.— **Respond.**, *neg.* Major. Ratio repugnantiae, ut sensus in se reflectat, est alia, quae jam exposita est; pro intellectu autem, quem, teste conscientia, novimus in se reflectere, nulla est ratio repugnantiae; nec obstat praedictum effatum, quia cum intellectus non in se reflectat nude sumptum, sed prout actu operantem, re vera non se movet quatenus est in potentia, sed quatenus in actu constitutus.

Objic. 4.° Experientia probat auditum et visum se ipsos percipere. Namque α) multa suppetunt exempla bombilationis ac diversorum sonorum, qui percipiuntur, quamvis nulla appareat externa causa vel objectum praedictae sensationis, ut cum obturatis digito auribus rumor confusus percipitur β) Idem confirmatur de visu ex phaenomenis, quae *entoptica* vocantur. Sane, lumine apte directo intra organum, plura corpuscula intra ipsum prope retinam contenta videri queunt. Pari modo videri potest dilatatio et contractio pupilae; et lacrymae inhaerentes corneae; immo et umbra vasorum sanguineorum retinae, ac motus circulationis in capillaribus venulis ejusdem visa fuisse dicuntur a Purkinje et aliis.

Respond., *disting.*, assert. Auditus et visus percipiunt partem aliquam apparatus auditivi et visivi, in qua tamen non residet ipsa formalis potentia audiendi et videndi, *trans.;* percipiunt organum animatum in ea praecise parte, in qua residet formalis potentia videndi audiendive, *neg.*

Respond. ad probation. α) ex phaenomenis objectis, quaedam continere possunt illusionem vel hallucinationem; alia morbosam vel anormalem organi affectionem supponunt; nulla vero probant, quod sensus in se ipsum reflectat, sed solum quod affectiones quaedam auditivi apparatus, motus vibratorios continentes, possint ita organum percellere, videlicet speciem imprimendo, ut sensationem soni gignant.

Respond. ad probation. β), in phaenomenis entòpticis non videri organum ipsum in ea formali parte, per quam visio exercetur, sed tantum videri alia corpuscula, intra visionis apparatum contenta; neque haec in se ipsis videri, sed umbram eorumdem supra retinam projectam (1).

III.—An sensus possint percipere objectum spirituale.

177. Convenit apud omnes id naturaliter fieri non posse, et solum controvertitur, utrum saltem per divinam virtutem possint attingere spiritualia hi sensus nostri, vel alii perfectiores qui creari a Deo possent. Verum communis est sententia negativa, paucis in contrarium inclinantibus: quae probata videri potest, in fusiori opere (2), et confirmatur ex fidei dogmate, secundum quod Deum oculis corporis invisibilem esse credimus.

---

(1) Cfr. Compend. volum. 1.^{um}, num. 359.

(2) Volum. 5, num. 172, 174.

IV.—An sensus objectum indivisibile vel indivisiliter existens percipere queant.

178. Controversia haec ad Theologiam utilis esse potest, in qua Corpus Domini nostri Jesu Christi eo modo, quo in Eucharistia praesens est indivisibiliter, ex communi sententia contra Nominales, naturaliter reputatur. Nominales enim putarunt sensibile proprium percipi a sensu posse in quacumque magnitudine, immo et sine ulla magnitudine, ideoque objectum corporeum indivisibile vel indivisibili modo existens in loco apprehendi etiam naturaliter posse, nisi obstet aliquod impedimentum. Alii negant id vel per omnipotentiam divinam esse possibile: quam tuentur Capreolus, Paludanus, Richardus et Hispalensis Deza, probabilemque fatentur Suarez (1), Rubius (2), et Becanus (3). Tertio demum multi Thomistae cum S. Thoma, ut videtur (4), et plures nostrates cum Eximio Doctore (5), Valentia (6), Toleto (7), etc., mediam tenent viam, dicentes sensus objecta indivisibilia vel indivisibili modo existentia naturaliter percipere non posse, posse autem per omnipotentiam Dei miraculum patrantis. Idque probatum reperies in alio opere (8).

DISPUTATIO TERTIA

Asseritur homini existentia potentiarum intellectualium.

Ut naturam hominis penitus cognoscamus, necesse est operationes et facultates ejus ante omnia investigare. Verum manifestum est hominem vegetare ac sentire, in quibus operationibus non adeo discrepat a perfectioribus animantibus, ut specialis circa illas instituenda sit controversia. Quare illud praecipue inquirendum est, utrum praeter potentias et actus communes cum brutis animantibus competant homini aliae facultates et actus praestantiores ordinis intellectualis. Postquam vero existentiam ejusmodi potentiarum vindicaverimus, tum demum natura et modus operandi earum declaranda erit.

---

(1) *De Eucharist.*, disp. 53, sect. 4.

(2) *De anim.*, lib. 2, tract. *de object. et speciebus*, quaest. 12, num. 155.

(3) *Theolog. scholast. De Eucharist.*, cap. 19, quaest. 6.

(4) 3 p., quaest. 76, art. 7; 4,° dist. 10, art. 2, ad 3.^{um}. art. 4, solut. 1, ad 1.^{um} et solut. 4, ad 2.^{um}

(5) Loc. cit.

(6) In 3.^{am} part., quaest, 76, art. 7, disp. 6; quaest. 4, punct. 3.

(7) In 3.^{am} part., quaest. 76. art. 7.

(8) Volum. 5.°, num. 173, 175.

CAPUT I

DEMONSTRATUR EXISTENTIA INTELLECTUS IN HOMINE

Duplex est potentia ordinis intellectivi, alia cognoscitiva, alia appetitiva quasi prioris complementum; utraque homini per partes asserenda est: sed in hac disputatione intellectus existentiam et descriptionem et naturam investigabimus.

ARTICULUS I

Utrum detur in homine facultas sensibus praestantior, quae intellectus nominatur.

179. **Adversarii verae doctrinae.** Existentiam intellectus in homine, saltem verbo tenus, nescio an sit aliquis, qui nolit agnoscere. Realitatem vero negare ausus est Stephanus Bonnot de *Condillac*, qui ipsi Lockio id vitio vertit, quod virtutem aliquam a sensibus distinctam posuerit, quae factitias ideas ex adventitiis vel experimentalibus procuderet, quin vel suspicaretur illam posse a sensibilitate proficisci. Quamobrem ipse nullam aliam vim *naturalem* homini largiri voluit praeter vim sentiendi, decrevitque intellectus nomine venire complexum duntaxat facultatum *attendendi*, *comparandi*, *reflectendi*, *imaginandi*, *judicandi*, *ratiocinandi*, has tamen facultates non importare ullam vim naturae humanae ingenitam, sed solum *habitus quosdam acquisitos*, et exercitio sensationis comparatos, sicut ipsi actus attentionis, comparationis, etc., non sunt actus altioris ordinis, sed tantum *sensationes* quaedam *transformatae* (1). Eadem ferme est doctrina Destutt de Tracy, qui omnem virtutem intellectualem hominis in sensibilitate conclusam voluit (2). En *sensismi* opinionem. Omnem quoque differentiam essentialem inter intellectum et sensum negasse dicendus est David Hume, ac multi recentiores Psychologi angli, quibus ideae non sunt nisi sensationes quaedam attenuatae, vel certe imagines obscuriores sensationum (3), aut associationes magis complexae (4).

---

(1) Vide card. Gonzalez *Historia de la filosofía*, tom. 3, num. 73; Tennemann, *Manuale de la Storia della filosofia*, tom. 2, num 373.

(2) Vide card Gonzalez, ibid., num. 83.

(3) Hume, *A treatise of human nature*, part. 1, sect. 1. Cfr. Gonzalez, tom. 3, num. 78; Alfred Fouillée, *Histoire de la philosophie*, pag. 345 et 309.

(4) Cfr. Fröbes, op. cit., t. 1.°, pag. 609-614, t. 2, pag. 182-193.

180. PROPOSITIO. **Inest homini altior quaedam facultas cognoscitiva, ab omni sensu, sive interno sive externo, realiter distincta et naturalis, quae nomine intellectus recte designatur.**

Prima pars: *Datur in homine altior quaedam facultas cognoscitiva,* probatur 1.° Ex testimonio conscientiae novimus inesse nobis α) actus formalis judicii et ratiocinii ac reflexionis in proprios actus; itemque β) cognitiones objectorum immaterialium et universalium notionum, religionis, ordinis moralis et essentiarum rerum plurium. Atqui facultas ejusmodi actus eliciens, taliaque attingens objecta, est omnino altior et excellentior potentiis omnibus, quas brutis inesse vidimus. Ergo...

Major patet ex testimonio conscientiae tum quoad actuum genera, tum quoad rationum immaterialium (sapientiae, necessitatis, possibilitatis, aeternitatis, etc.), et universalium, religionis ordinisque moralis (juris, officii, honestatis et vitii, etc.), cognitionem; quod autem essentias attinet, alibi demonstratum reliquimus eas non esse nobis penitus ignotas (1).

Minor etiam constat ex sensationum descriptione praecedentis disputationis. Sane nihil horum, quae modo innuimus est objectum sensuum sive exteriorum sive interiorum (2), nec ea cognosci a brutis posse quispiam serio asseruerit.

Prob. 2.° Illa est potentia sensibus altior et excellentior, quae α) ipsa sensibilia modo insensibili, et β) in sensibilibus objectis rationes, quae sensum percellere nequeunt percipit. Atqui datur in homine potentia hujusmodi. Ergo...

Major patet, quia sensus non percipiunt nisi modo suo, nempe et rationes in se materiales et materiali concretoque modo existentes nam hae solae percellere valent organum ad earum cognitionem determinandam.

Minor probatur ex conscientiae testimonio, siquidem sensibilia cognoscimus praecisis notis individuantibus; et in iisdem apprehendimus rationes entis, substantiae, vitae, etc., itemque relationes existentes inter varia objecta, quae profecto percellere organum nequeunt, nec continentur in objectis, quae tamquam propria sensuum, sive externorum sive internorum, assignari communiter solent (3). Solum objectum aestimativae affinitatem aliquam habet cum ejusmodi rationibus, videlicet rationes *insensatae* amici et convenientis atque inimici et nocivi. Nihilominus hae rationes in primis valde paucae sunt, ac deinde non innotescunt aestimativae in bellua nisi concrete, ac *prout* huic individuo hic et nunc affixae.

---

(1) Vide Compend. volum. 2.^{um}, num. 26.

(2) Cfr. S. Augustinus, *Confession.* lib. 10, cap. 10; et *Enarrat. in Psal.* 41, num. 7.

(3) Lindworsky—Psicologia Experimental (trad. Bilbao 1923) pag. 239 256.

Prob. 3.° Datur in nobis facultas corrigens errores sensuum; novimus enim solem bipedalem non esse, nec remum in aqua mersum fractum esse, prout sensibus apparet. Atqui facultas errores sensuum corrigens, sensitiva esse non potest. Ergo...

Dices. Etiam est in nobis facultas corrigens errores intellectus. Ergo sicut non ponimus facultatem intellectu perfectiorem ad hujus errores corrigendos, ita non est alia facultas ponenda ad sensus errores corrigendos, sed ipse sensus illos corrigere potest.—**Respond.**, *neg.* conseq. et paritat. Intellectus enim potest ipse per se suos corrigere errores, secus vero sensus. Quia potentia corrigens errorem debet reflectere in proprium actum, ut illum examinet et in eo rationem falsitatis deprehendat; huc autem pertingere sensus nequit.

Secunda pars: *Superior haec facultas est a sensibus distincta*, et quidem specifice. 1.° Potentiae enim specificantur per actus et objecta (1). Atqui actus et objecta superioris ejusmodi potentiae distincta sunt ab actibus et objectis sensuum omnium hactenus a nobis cognitorum. Ergo... 2.° Si haec potentia non distingueretur a sensu, non apparet, cur non esset in aliquo saltem perfectiori brutorum genere. 3.° Ostendimus sensum esse facultatem organicam. Atqui facultas percipiens objecta, quae percellere organum non possunt, organica esse nequit, ut magis patebit in quarto capite. Ergo facultas haec distinguitur a sensu.

Quare perperam Condillacus intellectiones in ordine sensationum transformatarum constituit.

Tertia pars: *Facultas praedicta naturalis est*, probatur 1.° Quia habitus acquisiti nullam naturalibus potentiis virtutem novi ordinis adjungunt, sed tantum accidentalem tribuunt perfectionem, ut facilius ac melius operentur. Atqui facultas haec importat virtutem novi et altioris ordinis supra omnem sensum. Ergo... 2.° Si vis reflectendi, judicandi, ratiocinandi non est nisi habitus exercitatione comparatus, cur non potuit unquam a brutis animantibus acquiri?

Quarta pars: *Facultas haec recte appellatur intellectus*, constat ex communi omnium sensu et ex ipso vocis etymo. Nam intellectus dicitur ab *intelligo*, et quasi ab *intus legendo*, vel *inter-legendo*. Atqui proprium est hujus potentiae non sistere in superficie rerum cognoscendarum, sed seligere interius penetrare ad rimandas essentias et reconditiores rationes. Ergo... (2).

---

(1) Cfr. Compend. volum. 2.^{um}, num. 230.

(2) Vide S. Tom., 2.^{a} 2.^{ae}, quaest. 8, art. 1. Cfr. *de verit.*, quaest.1, art. 12; 3.° dist. 35, quaest. 2, art. 1, solut. 1.^{a}

Illud tamen probe nota, intellectum interdum apud veteres sumi etiam pro ipsa intellectiva anima (1), et pro habitu primorum principiorum (2), de quo actum in Logica est (3); multo autem frequentius accipitur pro naturali potentia cognoscitiva spiritualis substantiae vel animae.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

181. **Objic. 1.°** In nostra probatione, deprompta ex cognitione rationum immaterialium, reapse petitur, ut dici solet, principium; nam materialistae negant ullius immaterialis entitatis realitatem. Donec ergo haec ante omnia probetur, perperam adducitur in probationem propositionis. 2.° Praeterea nihil immateriale a nobis cognoscitur, siquidem ipsae res, quae a nobis spirituales dicuntur, corporeis phantasmatis vestitae repraesentantur. 3.° Idipsum dicendum est de universalibus rationibus, nam et illas exhibemus nobis permixtas individualibus lineamentis alicujus realitatis singularis et concretae. 4.° Nec possumus essentias rerum assequi, quippe quas repraesentamus per ordinem ad proprietates et accidentia extrinseca. 5.° Nec amplius evincit ratio desumpta ex cognitione religionis et moralitatis, tum quia forte illa non vigeat apud omnes gentes, tum quia potest esse fructus educationis socialis. 6.° Intellectus unitur intime materiae. At quod unitur materiae, nequit elicere operationem inextensam, vel quae objectum referat inextenso modo. Ergo.

Respond. ad 1.um, *neg.* assert. Nam materialistae contra manifestam rationem negant realitatem entium et rationum immaterialium; negari enim nequit non esse corporeas nec materiales notiones possibilitatis, imposibilitatis, aeternitatis, sapientiae, virtutis, etc.; ac dari etiam entia materialia suo loco probabitur, nec est nunc quaestio de hoc. Itaque nulla est petitio principii. Praeterea quidquid sit de natura intellectus, probatur certo existentia Dei summe perfecti atque adeo spiritualis. Denique certo certius est non esse absurdum conceptum entis immaterialis, neque enim ratio entis confunditur cum ratione corporis vel materiae. Ergo ratio entis immaterialis concipi aliquo modo potest, ac porro concipitur, secus enim nec posset a materialistis negari; non autem percipi ab organica facultate potest. Idque sufficit, ut intellectus noster sit judicandus spiritualis.

Respond. ad 2.um, *neg.* assert. In objecto enim phaenomeno duo actus distinguendi sunt, alter intellectus rem immaterialem cognoscentis, alter imaginationis, phantasma quoddam corporeum sibi procudentis, quod *analogiam* quamdam servet cum re immateriali, ut cum angelum cogitantes, repraesentamus juvenem pulcherrimum alatum. Hi duo actus adeo sunt distincti, ut intellectus, dum imaginatio phantasma corporeum exhibet, noscat et judicet rem illam intellectam non esse materialem. Caeterum res immateriales cognoscimus in hac vita, non prout sunt in se ipsis et conceptu, ut dicunt, proprio ex propriis, sed proprio ex communibus (4).

---

(1) Vide S. Tom., 1 p., quaest. 75, art. 2 fin. corp.; quaest. 76, art 1; quaest. 79, art. 1, ad 1.um; *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 51, quaest. *de anim.*, art. 19, ad 5.um.

(2) S. Thom., 1. 2.ae, quaest. 57, art. 2; quaest. 66, art. 7; *Contr. Gent.*, lib. 3, cap. 44 fin.

(3) Vide Compend. volum. 1.um, num. 449, 450.

(4) Cfr. opus fusius, volum. 5, num. 240. Et lege Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 12, num. 11 et 12; ac *de anim.*, lib. 1, cap. 9, num. 2.

Dices. Si rem spiritualem non cognoscimus, prout est in se, sed tantum conceptu ex communibus speciebus conflato, re vera non cognoscimus, sicut non cognosceret hominem qui repraesentaret illum speciebus animalis et viventis, nec caecus colores cognoscit, si repraesentet illos speciebus sonorum.—**Respond.**, *dist.* assert.; si rem spiritualem solum cognoscimus conceptu vago ex communibus et analogicis conflato *conc.*; si conceptus ex communibus et analogicis conflatus prae se ferat aliquid proprium et convertibile solum cum re cognita, *neg.* Quid communius conceptu *causae, primus* et *mundus?* Et nihilominus complexus exhibet *causam primam mundi*, qui est conceptus solius Dei, verissime illum repraesentans.

Ad probation. 3.am *neg.* pariter assert. sicut in responsione ad 2.am probationem.

Ad probation. 4.am *nego* assert. et consequens probationis; qui enim novit essentiam per ordinem ad proprietates, vere novit, licet non intuitive nec quidditative nec per species omnino proprias.

Ad probation. 5.am *nego* item assert., primo quia quidquid dicendum esset de origine ac modo, quo ideam religionis et moralitatis habeant homines, certum est illam habere idque satis est ad nostrum intentum; ac deinde quia non potest rationabiliter dubitari, etiam apud barbaras gentes vigere praedictas ideas, nec proinde illas esse fructum solius educationis socialis sed partim primaeva humanis generis traditione, partim praesidio obviae ratiocinationis, quae illas valde congruas rationi agnoscit, comparatas esse.

Respond. ad 6.um, *dist.* Major.: Intellectus, id est, potentia intellectiva, *neg.*; substantia ipsa intellectiva, *conc.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Priusquam naturam spiritualem intellectus demonstremus praemittenda est descriptio actuum intellectualium et quidem in hoc capite de Verbo agendum est: quod etiamsi conveniat cognitionum sensitivarum terminis tamen specialem applicationem habet in intellectu.

CAPUT II

DE TERMINO COGNITIONIS SEU VERBO

Duplex distingui posset cognitionis terminus, alter intentionalis vel objectum cognitum, alter physicus, seu actus actione cognoscendi productus. Circa primum quaeri posset realitas objecti cogniti, sed haec controversia tractata est jam in Logica contra Kantium et criticistas (1). Reliquum ergo est, ut ad alteram quaestionem, eamque non minus perplexam quam utilem, stilum convertamus.

---

(1) Vide Compend. volum. 1.um, num. 340 seqq.

ARTICULUS I

Utrum in omni cognitione terminus aliquis immanens vel verbum producatur.

182. **Celebris est sententia communissima Thomistarum**, negantium produci terminum in cognitione sensuum externorum et in cognitione intuitiva visionis beatificae. Fundamentum desumitur ex eo, quod Thomistae necessitatem verbi seu termini producti repetant non ex parte potentiae vel operationis, sed ex parte objecti, nimirum non ex eo quod cognitio sit actio quaedam, sed ex eo quod objectum cognitioni praesens esse debeat. Cognitio enim inquiunt, non est actio praedicamentalis, seu de praedicamento actionis, quae necessario terminum distinctum postulet, sed actio grammaticalis et de praedicamento qualitatis (1). Quare solum illae cognitiones, quae respiciunt objectum absens, vel quod, quamvis sit praesens, materiale sit, ideoque improportionatum ut per se uniatur potentiae, producunt terminum seu verbum, quales sunt cognitiones abstractivae et sensationes internae; quamvis terminum sensuum internorum Thomistae nolunt verbum appellari, sed idolum. Externae vero sensationes, quia objectum praesens habent, non producunt verbum, sicut nec visio beatifica, utpote quae terminatur ad objectum praesentissimum et immediate per se ipsum potentiae unitum (2). Haec quidem est valde frequens inter Thomistas; nihilominus non desunt inter illos gravissimi scriptores, qui relate ad visionem beatificam putent utrumque problematice sustineri posse, et quod Beati forment, et quod non forment verbum. Relate autem ad intuitivas cognitiones naturales, multi pariter doctissimi viri docent formari verbum in cognitionibus reflexis propriae conscientiae, et generatim in omni intellectione circa objectum creatum (3).

Sententia nostratum. Nostri vero auctores communiter agnoscunt verbum produci in omni prorsus cognitione, sive sensibili sive intellectuali, abstractiva vel intuitiva: ac verbum istud secundum communissimum loquendi modum vocant *speciem expressam* et etiam *conceptum*, si sermo sit de verbo cognitionis intellectualis, recentiores autem appellant illud *ideam*. Postea vero in varias scinduntur opiniones circa naturam verbi producti et ipsius actionis cognoscendi; alii enim volunt verbum produci media distincta actione, alii immediate per se ipsum, alii formalem intellectionem in actione verbi productiva, alii in ipso verbo producto reponunt. Verum haec mox disputabuntur, nunc solam verbi productionem tractandam assumimus, et quidem relate ad operationes naturalis ordinis, relicta Theologis productione verbi in beatifica visione.

---

(1) Vide Joann. a S. Thom., *de anim.*, quaest. 12, art. 2, et J. Maritain. *La vie propre de l'intelligence et l'erreur idéaliste* (Revue Thomiste, a. 1924, t. VII, pag. 268-313).

(2) In divinis autem dicunt Verbum produci, non quia objectum cognitionis illius ineffabilis non sit praesentissimum, sed ut manifestum reddatur in aliqua repraesentatione, tamquam, res dicta et locuta, ut ait Joannes a S. Thoma, loc. nup. cit.

(3) Cfr. H. Cavellum O. M. in Supplemento ad quaestiones Duns Scoti—Scoti opera, t. 3, pag. 724-727.

Mens vero S. Thomae, circa quam aliqua potest esse dubitatio, investigatur in opére fusiori (1), quamvis probabilius videtur, S. Doctorem non admisisse in sensibus externis speciem expressam.

183. PROPOSITIO I.ª **In omni cognitione creata intellectuali, saltem si visionem beatificam excipias, de qua ad Theologos spectat disputare, datur terminus vel qualitas aliqua producta, quae** *verbum*, *idea*, *species expressa* **et** *conceptus* **quasi prolis mentis nominatur.**

Ita docet frequentissima sententia cum SS. Augustino, Anselmo, ac Damasceno (2) et S. Thoma (3), quamvis in probanda propositione non parva sit diversitas propter diversitatem principiorum, unde petere solent auctores necessitatem verbi.

Probatur. Certum est intellectionem omnem creatam esse immanentem operationem, vel actum secundum et exercitium intellectivae potentiae. Atqui repugnat operatio etiam immanens vel exercitium activitatis, quin terminus ullus producatur. Ergo in omni creata intellectione, sive intuitiva sive abstractiva, datur terminus vel qualitas producta, quae verbum dicitur.

Consequentia bona est, terminus enim ejusmodi operationis, utpote immanens, recipitur in ipso subjecto intelligente, et est ejus perfectio accidentalis, quae ad nullum aliud praedicamentum revocari potest, nisi ad qualitatem. **Major** communem exhibet inter Scholasticos doctrinam, nec negari potest nisi ab iis, qui negent intellectum nostrum active se habere in cognoscendo. **Minor** demum, nescio, quo pacto negari queat; operari enim vel producere, ac nulli termino *esse* communicare, pugnam conceptuum involvit.—Et nihilominus probatio isthaec multis Thomistis displicet, propterea quod supponat omnem operationem intellectus esse actionem praedicamentalem, cum ipsi contendant illam esse qualitatem. Verum, ut vides, isti praeclari viri permiscent quaestionem de termini alicujus producti existentia cum quaestione de natura illius, de qua postea erit agendum. Probatio ergo nostra nihil aliud supponit nisi id, quod est evidens ex conscientiae testimonio, nempe cum intelligimus, dari exercitium activitatis: unde concluditur dari debere terminum activitatis, sive exercitium activitatis sit ipse terminus productus vel qualitas, sive actio quaedam praedicamentalis media inter potentiam et actum vel qualitatem productam, quasi via ad illam, de quo postea disputabitur. Probatio ergo videtur in hoc sensu irrefragabilis (1).

---

(1) Volum. 5.°, num. 63, paragr. *Mens. S. Thomae*, et *Jam quoad beatificam...*

(2) S. August. (*De Trinit.*, lib. 9; cap. 7, cap. 9 seqq.; et lib. 15, cap. 10 seqq.), S. Ansel. (*Monolog.*, cap. 33, al 31), Damascen. (*Orthodox. Fid.*, lib. 1. cap. 13).

(3) 1 p., quaest. 34, art. 1 *de verit.*. quaest. 4, art. 1 et 2; *Quodlib.* 5, art. 9, etc., etc.

Probatur sub alia forma ad mentem Angelici Doctoris. In omni intellectione, prout experientia cuique testatur, adest in mente nostra imago et manifestatio vel notitia quaedam objecti, quae est ultimus terminus productus per activitatem intellectus. Atqui ejusmodi terminus nomen accepit verbi. Ergo in omni creata intellectione gignitur verbum.

Minor certa est apud omnes; vocatur autem verbum terminus productus per intellectum, quia sicut verbo externo orali aliis manifestamus sensa nostra, ita in actu intellectionis nobis ipsis manifestamus rem, quam cognoscimus.

Major etiam constat ex eo quod cognitio, prout probatum est (n. 37), importat imaginem et similitudinem objecti cogniti. Sane in actu intelligendi quatuor ex Aquinatis doctrina (2) considerari queunt, res quae intelligitur, species intelligibilis, cujus ope perficitur intellectio, ipsum intelligere ac notitia et manifestatio objecti, qua terminatur et completur ipsum intelligere. Res quae cognoscitur, antecedit cognitionem; species intelligibilis, cujus postea existentia ostendetur, se tenet ex parte principii intelligendi. Succedit ipsum intelligere seu actio intelligendi, quae perfici et compleri nequit nisi per notitiam et manifestationem objecti, quae proinde comparatur ad actionem intelligendi sicut terminus ejus (re vel ratione distinctus, de quo postea), et dicitur verbum.

184. **Hic patet ratio variarum denominationum.** Vocatur *species expressa* (quae vox communior extenditur), quia est imago et similitudo objecti a mente expresa: *idea*, quasi visio sui objecti: *conceptus* vel *conceptio*, quia est foetus per intellectum formatus; *verbum* denique mentis vel cordis (translata hac voce ad significandum intellectum), quia cum mens nostra intelligat ejusmodi actum vel qualitatem producendo, haec consideranda est instar interni ac secretissimi verbi, quo animus sibi loquitur, vel *dicit*, rem videlicet sibi manifestando, vel se conscium objecti reddendo. Unde etiam vocabu-

---

(1) Cfr. volum. 5.$^{\text{um}}$. num. 65, *Objic. 1.*°, ubi respondetur difficultati, qua quidam contendunt argumentum ad probandam hanc propositionem petendam esse ex parte objecti.

(2) S. Thom., *de potent.*, quaest. 8, art. 1, quem egregium locum habes in opere fusiori, volum. 5, num. 64, paragr. *Major constat, quia...*

lum *dicere* interdum vulgo ad internam locutionem extenditur, ut constat ex usu communi etiam per sacras Litteras confirmato, in quibus scribitur: *Et ecce quidam de Scribis* **dixerunt** *intra* se, etc. (1). Multo vero magis Philosophi ac Theologi, Patrum doctrinam secuti, praeter externum, aliud internum verbum agnoscunt, unoque ore dicunt primum et praecipuum esse internum hoc verbum, externum autem non esse nisi interni signum et manifestationem (2).—Quod si quaeras

185. **In quibus actibus intellectus formetur verbum**, respondendum est cum S. Thoma formari tum in simplici apprehensione, tum in judicio; nam cum hi duo actus sint valde diversi, oportet ut suum singuli verbum habeant (3). Discursus autem non habere videtur verbum distinctum a verbis propositionum et judiciorum, quibus constat. Non enim est unus simplex actus diversus ab ejusmodi propositionibus, quae non componunt unam aliquam distinctam, sed tantum unam ab alia inferunt (4).

186. PROPOSITIO 2.ª—**In omni quoque cognitione sensuum, sive interiorum sive exteriorum, probabilius terminus aliquis vel qualitas producitur, quae generali vocabulo nominatur** *species expressa,* **et in interiore sensu** *idolum.*

Probatur eodem argumento. Omnis enim sensatio operatio quaedam est, qua facultas sensitiva ab actu primo formaliter transit ad actum secundum sentiendi. Atqui repugnat operatio vel exercitium cujuslibet virtutis sine termino producto. Ergo...—Terminus porro hic sensatione productus ideo non dicitur verbum, quia potentiae sensitivae, cum imperfectius cognoscant, proprie non *dicunt*, aut *loquuntur*, et ideo conceptibus eorum non tribuitur propria *verbi* denominatio.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

187. ADVERSUS 1.am PROPOSITIONEM. **Objic. 1.°** Aristoteles (5) hanc inter actionem immanentem ac transeuntem constituit differentiam, quod per postremam, secus ac per priorem, terminus aliquis produca-

---

(1) *Math.* cap. 9, vers. 3. Cfr. *Luc.* cap. 1, vers. 66; *Sapient.* cap. 2, vers. 1; *Psalm.* 13, vers. 1.

(2) Vide S. August. (*de Trinit.*, lib. 15, cap. 11, num. 20; et serm. 288, alias 23, *de Natal. S. Joann. Bapt.*, num. 3), et S. Thom. (1 p., quaest: 34, art. 1, *de verit.*, quaest. 4, art. 1 corp. et ad 5.um et 7.um), etc.

(3) Vide S. Thom., *de verit.*, quaest. 4, art. 2; et art. 1, ad 1.um; *de potent.*, quaest. 8, art. 1; quaest. 9, art. 5; *Quodlib.* 5, art. 9; opusc. *de differentia verbi divini et humani;* et 1 p., quaest. 85, art. 2, ad 3.um

(4) Vide Magistr. Joann. a S. Thom., *de anim.*, quaest. 11, art. 3 fin.

(5) *Ethicor.* lib. 1, cap. 1, *Metaphys.* lib. 9, cap. 9.

tur diversus ab ipsa actione. Ergo in intellectione nullus terminus vel qualitas, quae nomine verbi designetur, agnoscenda est.

Respond. *disting.*, antec. Aristoteles, hanc statuit differentiam, quod in actionibus immanentibus nullus detur terminus extra subjectum positus, *conc.*; nullus omnino detur terminus, sive distinctus sive indistinctus ab ipsis actionibus, *neg.* Mens enim Stagiritae erat contraponere actiones immanentes transeuntibus, quarum terminus transit in exteriorem materiam, quibus profecto satis contraponuntur immanentes, quamvis terminum habeant, si hic intra subjectum maneat.

Objic. 2.° Aristoteles diserte negat (1) actus immanentes esse qualitates. Ergo perperam dicitur ille admittere qualitatem, quae per actionem intelligendi producatur.—**Respond.**, mentem Aristotelis eam forte fuisse, quod actus praedicti non sint qualitates permanentes.

Objic. 3.° Ad intellectionem habendam sufficit praeter potentiam et speciem impressam ipse formalis actus immanens intelligendi. Ergo frustra finguntur aliae novae entitates.—**Respond.**, *dist.* antec. Et formalis actus intelligendi dari potest sine qualitate (re vel ratione distincta), quae verbum dicitur, *neg.*; et praedictus actus importat productionem verbi, *conc.* Et *neg.* conseq.

Instabis. Intellectio est actus spectans ad genus vitae intentionalis, quae opponitur vitae physicae. Ergo non involvit productiones ullius qualitatis.—**Respond.**, *neg.* conseq., quia in creatis vita intentionalis non datur sine productione physica actus.

188. Adversus 2.am propositionem. **Objic 1.°** Nemo experitur in se idola in sensibus externis, sicut experimur in internis, v. g. cum somniamur. 2.° Praeterea si sensus externi formarent speciem expressam, possemus etiam abeuntibus sensibilibus objectis naturaliter in eorum notitia permanere, haec enim terminaretur ad speciem expressam. 3.° Deinde sensatio externa est imperfectissima, et ideo tendit ad objectum secundum *esse* reale. 4.° Insuper cognitio experimentalis debet resolvi in sensum attingentem rem in se sine imagine per sensum formata. 5.° Denique sensus isti specificantur ab ipsis objectis secundum *esse* reale, et ideo omnis notitia illorum pendet a physica existentia objecti (2).

Respond. ad primum, dist. Nemo experitur in se idola sensuum externorum, quae se habeant instar medii, *in quo* prius cognito cognoscantur objecta, *conc.*; quae se habeant instar medii *quo*, *subdist.*: experientia sola, *trans.*; experientia simul cum ratione jam adducta, *nego*.

Respond. ad secundum, *neg* assert. quia species expressa non diutius perdurat, quam ipse actus cognitionis, sicut nec verbum intellectus manet transacto intellectionis actu.

Respond. ad tertium *negando* conseq.; quod enim sensatio externa terminetur ad *esse* reale non est ratio negandi productionem termini vitalis per illam.

Eademque responsio aptari debet ad **quartum** et **quintum**, quae si verae sunt nostrae probationes, nihil prorsus evincunt, quandoquidem sensatio perfici nequit sine actione vel actuali exercitio activitatis, quod vicissim sine termino reali producto intelligi non potest (3).

---

(1) *Ethicor.* lib. 10, cap. 3 init. Vide S. Thom., ibid., lect. 3.

(2) Ita Magister Joannes Martinez Prado, *de anim.*, lib. 3, quaest. 12, num. 5, 6. Cfr. Joann. a S. Thom., *de anim.*, quaest. 6, art. 4; cardin. Aguirre. *Philosoph. novo-antiqua*, disp. 90, sect. 1, num. 3.

(3) Cfr. opus fusius, volum. 5.°, num. 65-68.

ARTICULUS II

Utrum verbum sit medium quod *vel* in quo *cognoscendi.*

189. Definitio verbi. Probata existentia verbi, natura ejus perpendenda est. Illud vero ex hactenus dictis definiri potest *terminus ab intellectu productus, quo manifestatur, et cognoscitur objectum.* Terminus iste in divina Patris cognitione substantialis est, et secunda e tribus Personis venerabilis Trinitatis; in creatis vero est accidentalis ex communi sensu, nempe qualitas. Ex quo conjicere licet, quamvis Verbum divinum soleat per analogiam ad verbum creatum explicari, esse tamen inter utrumque differentias, quas non est nostrum, sed Theologorum, singillatim notare (1). Qualitas, inquam, est verbum creatum, quia est actus accidentalis bene afficiens; estque de genere qualitatis quod vocant *dispositionem* (2), «quia ex sua natura vindicat sibi causas facilis depulsionis adeo, ut cessante intellectione, qua producitur, confestim evanescat» (3), prout jam notatum reliquerat S. Augustinus (4). Habetque duplicem respectum vel relationem, alteram originis et emanationis ad intelectum, a quo profertur; alteram ad objectum, cujus est imago et repraesentatio, nam in verbo praecise verificantur quae in prima disputatione tradidimus (n. 73) de ratione imaginis et similitudinis, quae cognitioni competit respectu objecti. Demum actio, qua verbum producitur, proprie vocatur *dictio*, nam *dicere*, cum sermo est de intellectu, idem sonat, ac producere, vel proferre verbum, ut loquitur S. Thomas (5).

190. Jam circa verbum duae praecipuae quaestiones tractandae sunt: prima, quale medium cognoscendi sit verbum; **secunda,** utrum verbum ab intellectione distinguatur, sitque qualitas per actionem distinctam producta. Secunda haec quaestio in sequenti articulo disputabitur. Quod ad priorem pertinet

Medium cognitionis multiplex esse potest, nempe *sub quo*, et medium *quo*, *in quo*, *per quod*, vel *ex quo* (6).—Medium *sub quo* dicebant veteres id, quod perficit in genere visum ad videndum non determinando per se speciale aliquod objectum, et exemplum ejus ponebant in lumine corporeo respectu visus et in lumine intellectus agentis respectu intellectus possibilis: hoc tamen medium minus frequens est in veterum operibus. Medium *quo* est id., quo potentia determinatur ad objectum percipiendum, nempe species impressa. Medium *in quo* est id, cujus inspectione potentia ducitur ad aliud cognoscendum, v. g. speculum. Medium *per quod* vel *ex quo* est id, quod prius in se notum, facit, ut mens aliud cognoscat sed per novum actum distinctum, et ejusmodi est argumentum vel medius terminus in praemissis respectu conclusionis. In hoc proinde differt medium *in quo* et *per quod*, quia res videtur per medium *in quo* eodem actu, quo cognoscitur medium, at per medium *per quod* res cognoscitur actu distincto (1). Ut vides, duo priora media non faciunt *mediatam* cognitionem, quia nec medium *sub quo* nec medium *quo* videntur ante rem per illa cognitam (2). Medium autem *ex quo* vel *per quod* facit mediatam cognitionem, quia non ducit in cognitionem alterius, nisi in se prius cognoscatur. Circa medium *in quo* diserte docet S. Thomas illud reddere mediatam cognitionem (3); nihilominus Ferrariensis et Joannes a S. Thoma interpretantur id tum solum verum esse, cum medium *in quo* prius in se diverso actu cognoscitur, et postea res alia in eo, si autem et medium *in quo* et res uno actu cognoscitur, ut fieri potest, cognitionem rei non posse dici mediatam, ut si v. g. pars videatur in toto. Quaeritur ergo qualenam medium ex istis sit verbum, quo res cognoscitur.

---

(1) Vide volum. 5.^{um}, num. 72 in respons. ad *Objic. 6.°* Et lege S. Thom., opusc. *de differentia verbi divini et humani.* Cfr. opusc. *de natura verbi intellectus*; et *de potent.*, quaest. 9, art. 5; *de verit.*, quaest. 4, art. 2.

(2) Cfr. Compend., volum. 2.^{um}, num. 356.

(3) Conimbricens., *de anim.*, lib. 3, cap. 6, 7, 8, quaest. 3, art. 3 fin.

(4) *De Trinit.*, lib. 15, cap. 11.

(5) *De verit.*, quaest. 4, art. 2, ad 4.^{um}

(6) Vide de tribus hisce prioribus mediis S. Thom., 4.° dist. 49, quaest. 2, art. 1 ad 15.^{um}, et in *Supplem.*, 3 p., quaest. 92, art. 1, ad 15.^{um}; *Quodlib.* 7, art. 1.

191. Variae sententiae. Primo loco referri potest opinio Locki et cartesianorum, qui negant mentem nostram, saltem *in cognitione directa*, cognoscere aliud quam suas *ideas*, quin attingat ipsum objectum in se: quare verbum se habet ut *quod* seu est objectum cognitionis nostrae, non vero medium cognoscendi aliud objectum distinctum. Verum communissima est veterum scriptorum doctrina existimantium, verbum esse medium cognoscendi objectum in eo relucens tamquam in imagine; valde autem controvertitur, utrum sit medium *quo*, aut *in quo*. Nostrates cum Scotistis tenent communiter verbum esse medium *quo* (4). Thomistae vero pariter communi consensu tenent esse medium *in quo*, ita ut verbum sit aliquo modo intellectionis objectum, non quidem secundum quod est in se ac subjective, seu prout est qualitas quaedam inhaerens menti, sed secundum quod est imago objecti, quo pacto utrumque volunt uno actu cognosci, nempe verbum et objectum in eo repraesentatum. Et sic etiam ajunt verbum se habere *tamquam speculum*, *in quo res cernitur*, nempe tamquam speculum non excedens rem in eo relucentem. Ex quo vides illico discrimen sententiae Thomistarum et cartesianorum; quia hi negant in cognitione directa videri nisi verbum vel ideam, Thomistae autem docent utrumque simul videri, et verbum repraesentans et objectum repraesentatum.

---

(1) Vide S. Thom. *de verit.*, quaest. 8, art. 5; card. Toletum. In 1.am part., quaest. 12, artc. 2, paragr. *Ut autem in hac parte.*

(2) S. Thom., *Quodlib.* 7, art. 1.

(3) S. Thom., *Quodlib.* 7, art. 1.

(4) Vide auctorum nomina laudata in alio opere, volum. 5, num 68, paragr. *Hisce praehabitis...*

192. Propositio.—**Verbum non est id** *quod* **primo et proxime cognoscitur, nec se habet, ut probabilius quidem nobis videtur, tamquam medium** *in quo* **sed tamquam medium** *quo* **directe et inmediate ipsum objectum secundum suum esse attingitur.**

Prima pars est contra cartesianos, et probatur 1.° Illud est *quod* primo et proxime cognoscitur a nobis, de quo certiores primo et praecipue reddimur. Atqui dum cognoscimus, non reddimur certiores de verbo, sed de objectis verbo repraesentatis, ut constat ex testimonio conscientiae. Ergo verbum non est id, *quod* primo et proxime cognoscimus.

Prob. **2.°** Certum est nos cognoscere objecta secundum suum *esse* proprium. Ergo si verbum esset id, *quod* primo et proxime cognosceremus, ad objectorum secundum suum *esse* propriam cognitionem, nonnisi per discursum veniremus, ex verbo rem verbo repraesentatam inferentes. Atqui hoc falsum est. Ergo...

Prob. primum conseq., quia si primo et immediate solum cognoscitur verbum, necessarius erit novus actus ad rem externam secundum suum *esse* proprium cognoscendum, nec intelligitur, quo pacto hic novus actus attingat illam, nisi colligendo eam ex verbo per ratiocinationem. Hinc tam sollicite Cartesiani quaerebant *pontem*, quo mens a se ad objecta externa transire valeat.

Minor subsumpta probatur primo ex conscientiae testimonio; deinde ratione, quia tunc omnis cognitio cujuslibet objecti foret mediata et discursiva, repugnat autem primam cujuslibet objecti cognitionem esse discursivam.

Secunda pars est contra Thomistas, quorum sententia non exigua pollet auctoritate propter S. Thomam, a quo aegerrime discedo in re minoris momenti.

Prob. 1.° Si verbum foret medium *in quo*, utrumque in omni cognitione uno intuitu attingeremus, imaginem vel speculum et objectum in eo relucens. Atqui in directa cognitione nihil praeter ipsum objectum cognoscimus, ut constat ex conscientiae testimonio Ergo...

Major constat experientia eorum, quae in speculo et imagine cognoscuntur. Nam si consideretur imago, non prout est res quaedam seu *absolute*, sed *relative* prout est representatio alicujus ob jecti, utrumque obtutui nostro objicitur, imago et objectum. Et confirmatur, quia *propter quod unumquodque tale, illud magis* (1). Atqui verbum est in contraria sententia ratio cognoscendi objectum, utpote medium *in quo*. Ergo non potest non cognosci verbum etiam in cognitione directa (2).

Prob. 2.° Nulla est necessitas asserendi verbum esse medium *in quo*. Ergo cum aliunde id experientiae, ut vidimus, repugnet, asserere non oportet.—**Consequentia** bona est.

Probatur antecedens. Ideo potissimum asseritur ab adversariis verbum esse medium *in quo*, quia, ut objectum intelligi valeat, debet esse in primis proportionatum potentiae spirituali, ac deinde intentionaliter praesens eidem: quorum utrumque munus excercetur, inquiunt, solum per verbum. Atqui hoc sane fundamentum infirmum est. Nam licet objectum, saltem plerumque, non sit secundum suum *esse* proportionatum, proportionatum tamen ad cognitionem redditur per speciem impressam, et per eamdem efficitur praesens intentionaliter, seu modo apto ad cognitionem, saltem per modum principii, quia species impressa est virtus ultimo complens potentiam ad cognitionem eliciendam.

Postea vero per ipsum actum cognitionis formaliter praesens constituitur objectum per modum termini repraesentati, etiamsi verbum non sit medium *in quo*, sed solum medium *quo*, siquidem verbum est vere objecti imago, et per ipsum dicitur objectum esse in anima. Undenam autem probant adversarii objectum non esse intra nos praesens per verbum instar termini, nisi verbum dicatur medium *in quo?* Cum potissimum objecti visio in verbo non reddat objectum secundum suum *esse* magis proportionatum aut intentionaliter praesens, ut cognosci valeat, nec potentiam habiliorem efficiat, ut objectum in se attingat: non, inquam, objectum magis proportionatum reddit secundum suum *esse*, ut cognosci valeat, quia verbum intra mentem manet, nec quidpiam operatur circa physicam objecti naturam; nec potentiam habiliorem reddit, quia non addit ullas potentiae cognoscitivae vires aut virtutem, sicut addit species impressa (3).—Quaedam aliae rationes, quibus Thomistae innituntur ad asserendum, Verbum esse medium *in quo*, in objectionibus repellentur.

Tertia pars est corollarium praecedentis. Quia si verbum est medium cognoscendi, et non *in quo*, sequitur ut sit medium *quo;* nam jam monuimus ex communi sententia, non esse medium *sub quo*, ut satis perspici potest vel ex ipsa hujusce medii notione (n. 190). Differt tamen a specie impressa, quae est et ipsa medium *quo*, quia haec est medium per modum virtutis et comprincipii ad cognoscendum, verbum autem per modum actus cognoscendi, ut magis patebit in sequenti articulo.

---

(1) Cfr. Comped., volum. 2.^{um}, num. 442.

(2) Vide, si lubet, in opere fusiori rejectas nonnullas hujus argumenti solutiones, volum. 5.°, num. 69, *Secunda pars, Prob. 1.°*

(3) Cfr. quaedam alia in volum. 5.°, num. 69, *Secunda pars.*

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

193. **Objic.** 1.° cum cartesianis. Mens nihil potest cognoscere nisi in se ipsa. Ergo non potest cognoscere objecta immediate in se ipsis, ac proinde verbum ipsum seu ideae sunt id *quod* mens directe atque immediate percipit. **Prob. antec.** α) Quia secus vis cognoscitiva deberet extra se migrare, ut cognitione posset externa objecta attingere. β) Cognitio est operatio immanens. Atqui operatio immanens nequit externum objectum in se attingere, nam eo ipso redderetur transiens.

Respond., *dist.* anteced. Mens nihil potest cognoscere nisi in se ipsa, id est, nisi per actum immanentem, *conc.;* id est, ita ut acies mentis non intueatur nisi aliquid intra ipsam manens, *nego. Contradist.* 1.am part. conseq. Mens non potest cognoscere objecta immediate in se ipsis, id est, per actionem physice receptam in illis, *conc.*; id est, nequit intuitus mentis in externa objecta converti *nego.* 2.am part. conseq. *neg.*, vel, si mavis, *disting.*: in cognitione reflexa, *conc.*; in directa, *neg.*

Ad probat. α) *neg.* assert. Terminatio enim cognitionis non est *materialiter* intelligenda, sicut linea terminatur ad punctum, sed intentionali seu spirituali modo. Nam terminari cognitionem ad rem, aliud non est, quam rem cognosci, quod fieri potest, etiamsi res non existat, nedum absit (1).

Ad probat. β), *disting.* Minor., per actionem physicam in externum objectum agendo, *conc.;* illud vitaliter repraesentando, *neg.* Et *distincta* similiter ratione superaddita, *neg.* conseq.

Objic. 2.° Objectum intellectus dupliciter potest esse praesens eidem, ut principium actus intelligendi, et ut objectum vel terminus. Atqui objectum quidem fit praesens ut principium per speciem impressam; non fit autem praesens ut objectum ac terminus nisi per verbum. Nam α) objectum non est intra intellectum actualiter actualitate actus secundi nisi per verbum: β) nec potest objectum hoc pacto esse intra intellectum per solam speciem, quia haec est principium duntaxat intellectionis, constituere autem objectum actualiter intra intellectum actualitate actus secundi est officium termini intellectionis; nec potest id esse officium ipsius actus intelligendi nisi in cognitione reflexa. Ergo verbum est terminus intellectionis et medium *in quo* res cognoscitur (2).

Respond., *dist.* Minor. quoad 2.am part.: objectum ut objectum et terminus non fit nisi per verbum praecise ut medium *in quo*, *neg.*; ut per medium *quo* seu ut per formam, qua potentia redditur cognoscens suum objectum, *conc.*

Ad probation. α) *dist.* assert.. objectum non est intra intellectum actualiter actualitate actus secundi ante actum intellectionis *conc.;* in ipso actu intellectionis, *neg.* Nego autem suppositum, nimirum quod ante ipsam formalem cognitionem objectum ejus debeat esse intra potentiam eo pacto, quo adversarii contendunt; id enim asserunt quidem, sed non probant, nec nos debemus admittere, donec idoneo aliquo argumento probetur.

---

(1) Vide Suarez, *de anim* , lib. 3, cap. 5, num. 17.

(2) Ita fere Magist. Martinez de Prado, *de anim.* lib. 3, quaest. 18, num. 10, ex Cajetano, In 1.am part., quaest. 27, art. 1, dub. 4, *Ad cujus evidentiam...*

Ad probat. β) *conc.* primum membrum antecedentis, alterum *nego*, quia gratis et absque sufficienti fundamento asseritur ante ipsam objecti cognitionem debere illud esse intra potentiam objective atque intelligibiliter in sua imagine intentionali seu verbo: id quod nos tamquam experientiae contrarium et innecessarium rejicimus, donec demonstretur. Objectum ergo constituitur intentionaliter intra intellectum per ipsum actum intellectionis, licet verbum non sit medium *in quo*, *ipsum enim* **intelligere** *significat* **apprehensionem ejus, quod intelligitur** per *intellectum* (1).

Instabis. «Objectum intellectus tria debet habere: operationem terminare, esse intelligenti praesens, illique intime unitum praesentia et unione immateriali et intentionali, ipsi intellectui proportionata. Sed hoc non convenit rei prout ad extra, nec prout in specie, nec prout in operatione, quia ut sic non terminat. Ergo ad hoc exigitur verbum, quia intellectus trahit res ad se etiam in ratione terminativi (2).»

Respond. 1.° *neg.* suppositum conseq., quia quod verbum ipsum in cognitione directa terminet operationem intellectus, est contra experientiam, ut, jam saepius notavimus. **Respond.** 2.°, *neg.* Minor. quoad tertium membrum, quia intelligendi actus, quamvis non dicatur medium *in quo*, vere tamen terminatur intentionaliter vel cognoscitive ad objectum secundum suum *esse* reale, et praeterea efficit, ut illud sit intentionaliter praesens atque unitum intelligenti praesentia et unione intentionali et immateriali, quia importat imaginem ac repraesentationem illius, prout magis patebit in sequenti articulo.

Objic. 3.° «Verbum est immediatus et primus terminus intellectionis; terminus autem immediatus intellectionis, sicut et cujuslibet actionis, est ejus objectum immediatum (3).»

Respond., *dist.* Major. Verbum est immediatus terminus intellectionis, prout haec est *dictio* (n. 189 fin.) vel actio physice productiva, *trans.;* prout est notitia vel intentionalis repraesentatio, quasi sit primum intellectum, *neg.*

Objic. 4.° «Esse verbi est ipsum intelligi; implicat autem id, cujus *esse* est intelligi, non terminare intellectionem, atque adeo intelligi, *ut quod*. Et **confirmatur** α), quia «verbum intelligentis hominem est homo intellectus, nam per hunc devenit in cognitionem hominis simpliciter (4).» β) Verbum est ratio cognoscendi res ad extra, neque enim aliter cognoscere possumus res, quam formando verbum.

Respond., *neg.* Major., vel, si mavis, *disting.: Esse* verbi est ipsum intelligi ejusdem, *neg.;* ipsum intelligi objecti, *trans.* Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq.

Ad confirmat. α) *dist.* Minor.: immediatum objectum intelligentis hominem est homo intellectus, id est, homo realis, cujus notitia per intellectionem habetur, *conc.;* id est, intentionalis imago hominis realis, quae per intellectionem formatur, *nego*, donec probetur. Probationem quoque *distinguo*. Per hunc (nempe hominem intellectum, seu verbum hominis) tamquam medium *quo* devenit in cognitionem hominis simpliciter, *conc.;* tamquam per medium *in quo*. neg.

---

(1) S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 4, cap. 11.

(2) Martínez de Prado (loc. cit. num. 10) ex Ferrariensi (In lib. 1.um *Cont. Gent.*, cap. 53, paragr. *Ad evidentiam...*)

(3) P. Cosmus Alamanni, *Summ. philos.*, tertia secundae, quaest. 97, art. 2, probat. 1.°

(4) P. Cosmus Alamanni, loc. cit. prob. 2.ª et 3.ª

Ad confirmat. β). similiter *disting.;* verbum est ratio objectiva, se habens instar medii praecogniti, *neg.;* est ratio se habens instar medii formalis incogniti in actu directo, *conc.*

Quaedam alia in opere fusiori (1).

ARTICULUS III

Utrum verbum distinguatur a formali intellectione, et quomodo producatur.

194. *Intelligens... intelligendo ad quatuor potest habere ordinem* inquit S. Thomas, *scilicet ad rem, quae intelligitur, ad speciem intelligibilem* (impressam), *qua fit intellectus in actu, ad suum intelligere, et ad conceptionem intellectus* (2), seu verbum. De duobus prioribus nulla est nobis nunc controversia; tertium seu *intelligere* est ipsa actio seu operatio productiva verbi, et quartum, seu verbum est terminus productus ab intellectu dum intelligit. Verbum dari in omni intellectione, ac esse medium *quo*, non autem *in quo*, jam ostendimus. Duo nunc restant investiganda, utrum intellectio, id est, actualis notitia rei intellectae formaliter consistat in verbo producto, an vero potius in ipsa verbi productiva operatione; et utrum operatio verbi productiva et verbum productum re distinguantur inter se, an solum ratione.

I.—An formalis intellectio seu notitia consistat in verbo.

195. Variae sententiae. Thomistae communiter et quidam e nostratibus realiter distinguunt formalem intellectionem seu notitiam objecti a verbo, non tamem eodem modo rem declarant. PP. Conimbricenses, Molina et Franciscus Alphonsus Malpartidensis intellectionen reponunt in actione praedicamentali productiva verbi et ab hoc distincta, sicut actio praedicamentalis a suo termino vel effectu distinguitur (3). Secundum hos ipsa formalis intellectio vel cognitio non est imago vel similitudo objecti, sed actio, qua exprimitur vel pingitur ejusmodi imago, nam solum verbum est formaliter imago intentionalis objecti. Thomistae vero negant intellectionem esse actionem hujusmodi praedicamentalem, sed qualitatem se ipsa *immediate* productam a potentia, quae solum dici potest *actio grammaticalis*, quia nimirum a nobis concipitur (quamvis non sit reapse) instar actionis et viae ad verbum, aut etiam *actio metaphysica* (ut alii eam dicere malunt), cujus munus est per modum actus ultimi et secundi actuare ipsum operantem, et sic manere in illo, quin se habeat per modum viae ac motus ad terminum productum (4). Unde alii idem exprimunt dicentes, intellectionem non esse actionem nimirum praedicamentalem sed *operationem*, quia est qualitas, ut eminentius contineat, rationem *fieri* ac termini producti respectu sui ipsius (quia est qualitas se ipsa fluens a potentia sine actione distincta) et simul rationem productivi respectu verbi, quippe quod non procedit a potentia cognoscitiva nisi media cognitione. Sic ergo Thomistae duplicem agnoscunt in actu intelligendi qualitatem, primam quae est formalis intellectio se ipsa productam a potentia, et verbum per priorem productum. Adduntque similitudinem et imaginem objecti non esse praecise in prima istarum entitatum, nempe in illa, qua reponunt formalem cognitionem, sed in altera, nimirum in verbo. Maneat ergo Thomistas duplicem in actu intelligendi agnoscere qualitatem, alteram, in qua reponunt formalem rationem intellectionis, alteram realiter distinctam, quae verbum dicatur. Unde vides potuisse Thomistas consequenter admittere intellectiones sine productione verbi (1).

---

(1) Volum. 5.°, num. 72.

(2) S. Thom., *de potent.*, quaest. 8, art. 1. Cfr. ibid., quaest. 9, art. 5; et opusc. *de intellectu et intelligibili*, post init.

(3) Cfr. Compend. volum. 2^{um}, num. 392, 394 seqq.

(4) Joann. a S. Thoma, *de anim.*, quaest. 11, artic. 1.°, *Dico* 2.°

196. **Adversus hanc doctrinam pugnat** cum Scoto tota ejus schola et nostrates communissimi cum cardin. Toleto (2), Suarez (3), Fonseca, Vazquez, Rubio, Lossada, etc., etc., qui omnes formalem rationem intellectionis vel notitiae confundunt cum verbo, et in eodem formaliter reponunt. Nam Suarez, Toletus, Rubius, Izquierdo, etc., solum verbum putant pertinere ad essentiam intellectionis: Hurtadus vero, Martinon, Tellez, Rhodes, Soarez lusitanus eam contendunt adaequate compleri ex verbo et actione illius productiva, prout magis patebit in sequenti paragrapho.

197. PROPOSITIO I.ª **Probabilius videtur, formalem intellectionem esse qualitatem realiter indistinctam a verbo.**

Haec videtur esse manifesta sententia SS. Augustini, Anselmi et Damasceni (4).

Prob. 1.º Verbum est id, quo formaliter cognoscimus, et intelligimus (n. **192**, *Tertia pars*). Atqui id, quo formaliter cognoscimus, et intelligimus, est ipse formalis actus cognitionis et intellectionis. Ergo...

Prob. 2.º Non sunt multiplicandae ac distinguendae entitates sine necessitate. Atqui nulla est necessitas realiter distinguendi verbum a formali ratione intellectionis. Ergo...

Minor patebit magis ex difficultatum solutione, nunc vero probatur, quia intellectioni conveniunt praedicata, quae verbo tribui solent. Sane α) *intellectio est proles et conceptus mentis*, sicut dicitur verbum; est enim, saltem in creatis, de quibus solis loquimur, actus ab intellectu specie impressa foecundato procedens. β) *Est repraesentatio objecti*, non aliter ac verbum, tum quia ratio repraesentationis convenit generatim omni cognitioni, iis ipsis non exceptis, in quibus multi Thomistae negant produci verbum, nempe sensatione externa et intuitiva cognitione; tum quia proprium repraesentationis est objectum intra potentiam objective atque intentionaliter constituere. Atqui hoc convenit cognitioni ac notitiae per se ipsam; quare omnis generatim cognitio dicitur perceptio et apprehensio objecti, quia illud *trahit ad se* intentionaliter et secundum repraesentationem. γ) *Demum cognitio et notitia est objecti similitudo et imago*. tum quia ita pronuntiant S. Augustinus et S. Anselmus modo laudati; tum quia scientia et cognitio, docente Aquinate, importat assimilationem cognoscentis ad cognitum (1).

---

(1) Cfr. volum. 5.um, num. 74, ubi haec fusius dilatantur.

(2) In 1.am part., quaest. 27, art. 1, quaest. 1.ª, *Secunda conclusio*...

(3) *De Deo*, lib. 2, cap. 11; num. *de anim.*, lib. 3, cap. 5.

(4) S. August. *(de Trinit.*, lib. 9, cap. 11, num. 16; lib. 15, cap. 10, num. 19; serm. 20, *de Sanctis*, alius serm. 76 in Appendice), S. Anselm. *Monolog.*, cap. 33, alias 31), S. Joann. Damasc. *(De orthodox. fid.*, lib. 1, cap. 13 sub. fin.).

198. **Objic. 1.°** Terminus intellectionis et objectum illius in cognitione directa realiter differt ab ipsa operatione. Sed intelligere est operatio intellectus, et verbum est terminus et objectum illius. Ergo realiter distinguuntur.—**Respond.**, *transeat*. Major., qua de re in sequenti paragrapho; *neg*. Minor., jam enim probavimus verbum non esse medium *in quo*.

Objic. 2.° Quod procedit ab altero per modum operationis, realiter differt ab eo, quod procedit per modum operati. Atqui intellectio procedit per modum operationis, verbum autem per modum operati. Ergo..

Respond., *dist.* 1.am part. Minor. Intellectio sumpta principiative et vialiter pro actione notitiam acquirente, *conc.*; sumpta formaliter pro ipsa rei notitia, *nego*, et 2.am part. Minoris *concedo*. Tum *neg.* conseq.

Objic. 3.° S. Augustini est illa sententia: *Necesse est, cum scimus, ex ipsa scientia nascatur verbum* (2). Atqui quod ab alio nascitur, re ab illo distinguitur. Ergo S. Augustinus contrarius nobis est. Similiter S. Irenaeus scripsit: *Ex cogitatione verbum emittitur. Hoc utique omnes sciunt homines* (3). Et confirmatur paritate. «Nam imago exterior non est ipsa operatio, qua fit, sed opus ab ipsa operatum. Et in naturalibus filius genitus est similis generanti, non vero ipsa generatio. Ergo verbum, quod est similitudo rei, non est ipsa operatio, sed effectus ejus (4).»

Respond. ad 1.am, *neg*. Major., non enim fideliter refertur sancti Augustini testimonium, quod sic se habet: *Necesse est enim, cum verum loquimur, id est quod scimus loquimur, ex* **ipsa scientia, quam memoria tenemus**, *nascatur verbum quod ejusmodi sit omnino, cujusmodi est illa scientia, de qua nascitur*. Ubi vides ex contextu scientiam illam, ex qua nasci verbum scribit S. Doctor, non esse actualem cognitionem, sed habitualem, aut forte etiam adaequatum principium cognoscendi, quod ex potentia et impressa specie coalescit; nam *scientia, quam memoria tenemus* non est actualis cognitio.

Nec magis urget S. Irenaei locus. Nam si comparetur contextus cum capite tertio decimo ejusdem libri, ubi mentem suam fusius declarat sanctus scriptor, per verbum, *quod ex cogitatione et sensu emittitur*, vel intelligit verbum orale, vel certe nihil adversum nos concludit, ut probatum habes in opere fusiori (5).

Confirmatio non est nisi mera petitio principii. Ut enim exempla ibi allata probent, debet supponi formalem intellectionem esse operationem verbi productricem, et non ipsum verbum. Atqui hoc est in quaestione, ac nos negamus id quod Thomistae docent, intellectionem esse operationem, cujus terminus sit verbum. Hoc ergo probent ut quidpiam evincant.

---

(1) Vide S. Thom., *de verit.*, quaest. 1, art. 1; quaest. 2, art. 13, ad 1.um, etc.

(2) *De Trinit.*, lib. 15, cap. 10, num. 19.

(3) *Adversus haereses*, lib. 2, cap. 28.

(4) Martinez de Prado, loc. cit., quaest. 18, paragr. 2.

(5) Volum. 5. num. 75, in respons. ad *Objic. 3.°*

Objic. 4.° Solis actionibus de praedicamento meremur, quia illae solae liberae sunt nobis. Atqui meremur intellectus et voluntatis actibus. Ergo hi formaliter consistunt in actione praedicamentali.—**Respond.**, *neg.* Major.; non enim solis actionibus meremur, sed etiam earum terminis, qui pariter liberi sunt nobis saltem per medias actiones.

Quaedam alia in latiori opere (1).

II.--Utrum formalis cognitio vel intellectio sit qualitas per mediam actionem producta.

199. **Status quaestionis.** Ostendimus formalem cognitionis rationem esse qualitatem: nunc occurrit quaestio utrum hujusmodi qualitas se ipsa immediate procedat a potentia, an vero producatur media aliqua actione. Et quaestio, ut patet, locum habet non solum in nostra sententia cognitionem identificante cum verbo, sed etiam in sententia omnium, qui rationem formalem cognitionis reponunt in aliqua qualitate a verbo distincta. Itaque cardin. Toletus, cardin. Lugo, et Oviedo, Antonius Mayr, Lossada (2) aliique negant formalem intellectionem produci media actione distincta, sed contendunt eam esse qualitatem se ipsa procedentem a potentia. Idem omnino tenent Thomistae cum hoc solo discrimine, quod hi, secus ac priores illi, cognitionem realiter distinguunt a verbo, ut vidimus in praecedenti paragrapho. Caeteri admittunt communissime actionem distinctam praedicamentalem intellectionis productivam, non tamem eodem omnes modo rem declarant. Nam PP. Hurtado, Tellez, Martinon, Soarez lusitanus et Rhodes actionem verbi productivam putant ad essentiam formalis cognitionis pertinere, ita ut haec adaequate coalescat ex hujusmodi actione ac verbo. Scotistae vero communiter et e nostratibus Suarez (3), Vazquez, Didacus Ruiz de Montoya, Rubio, Izquierdo et alii non putant actionem formalis cognitionis productivam ad hujus essentiam pertinere. Illud etiam inter hujus postremae sententiae assertores controvertitur, utrum actio ista ab intellectu producta eidem uniatur se ipsa, an autem medio alio unionis modo.

200. PROPOSITIO 2.ª **Probabilius videtur, formalem intellectionem esse qualitatem, non se ipsa immediate fluentem a potentia, sed media actione distincta, quae non pertineat ad ipsam formalem rationem intellectionis, sed sit duntaxat modus dependentiae a subjecto, unde procedit, et in quo recipitur ejusmodi qualitas.**

Prima pars *probatur.* Quoniam ostensum est formalem rationem intellectionis esse qualitatem re identificatam cum verbo, de productione illius, dum nulla in contrarium afferatur ratio cogens, simili modo ratiocinandum est, ac de caeterarum qualitatum formarumve eductionibus. Atqui caeterae qualitates ac formae accidentales educuntur per actionem distinctam; nec in re praesenti adducitur ulla ratio cogens in contrarium. Ergo...

Major patet, **Minor** quoad 1.am partem probata alibi est (4), quoad 2.am constabit ex difficultatum solutione.

Secunda pars 1.° quia nec in generali conceptu cognitionis nec in conceptu creatae cognitionis ingreditur tamquam essentialis ratio actionis, per quam producatur. *Non in conceptu generali*, quia secus etiam ad essentiam divinae intellectionis pertineret actio ejusdem productiva. *Non in conceptu creatae cognitionis*, quia cognitio creata supra conceptum cognitionis generalem non addit nisi rationem qualitatis vel termini producti. Atqui ad rationem essentialem qualitatis vel effectus producti non pertinet actio, per quam producitur. Ergo...

---

(1) Loc. nuper citat.

(2) *De anim.*, disp. 8, cap. 1, num. 5.

(3) *De Deo*, lib. 2, cap. 11; *de anim.*, lib. 3, cap. 5, num. 7; *Metaphys.* disp. 48, sect. 2, num. 9, 11, 12 seqq.

(4) Vide Compend., volum. 2.um, num. 392 seqq.

Prob. 2.° Intellectio formaliter importat intentionalem objecti repraesentationem et imaginem. Atqui actio intellectionis formalis productiva non est imago vel repraesentatio intentionalis, sed via tantum ad illam. Ergo...

Caeterum cum actio eductiva identificetur cum passione vel receptione (1), actio intellectionis productiva non videtur egere unione distincta, ut recipiatur in anima.

Quae cum ita sint, in intellectione vel cognitione duo distinguenda sunt, actio productiva intellectionis formalis, et ipsa intellectio quae qualitas est, secundum nos identificata cum verbo. Prior illa est vera actio praedicamentalis (2); altera non est ejusmodi actio, sed terminus ejus, potest tamen dici actio grammaticalis vel metaphysica, quia cognitio formalis et intellectio concipitur, et significatur a nobis instar actionis.

201. **Objic.** 1.° Intellectio est formaliter productio sui ab intellectu et unio ejusdem cum eo. Ergo immediate pendet, ac procedit nulla interjecta actione. **Prob. antec.** Intellectio est formaliter vita intentionalis in actu secundo. Sed vita in actu secundo formaliter est operatio physica immanens. Ergo intellectio est formaliter productio sui ab intellectu.

Respond., *neg.* antec. Ad probat. *disting.* Major. Intellectio ipsa formalis est formaliter, etc., *conc.;* intellectio in *fieri* seu ipsa intellectionis productio est formaliter vita, etc., *neg.* Nam vita intentionalis importat formalem rationem imaginis, quae profecto non convenit intellectionis effectioni.

Contradist. Minor. Vita in actu secundo formaliter est operatio physica immanens terminative sumpta, *conc.*; sumpta pro *fieri* termini, *nego*, donec probetur.

Objic. 2.° Intellectio est formaliter exercitium intellectivi, prout tale est, sicut calefactio calefactivi. Sed intellectivum, ut tale, in creatis est physice activum. Ergo intellectio est formaliter exercitium principii physice activi, atque adeo est formaliter actio physica. **Minor probatur**, quia intellectivum, ut tale, est formaliter vivens. Ergo est formaliter potens se actuare ab intrinseco, cum hoc sit de formali conceptu viventis. Ergo et formaliter potens est comparare sibi actualitatem intellectionis, quae potestas in creatis concipi nequit praescindendo ab activitate physica.

Respond., *dist.* Major. Intellectio *in fieri* est formaliter exercitium intellectivi, ut tale, *conc.;* intellectio in termino seu in facto esse, *neg.* *Conc.* Minor., et pari modo *dist.* conseq. Nec est paritas calefactionis alteriusve actionis transeuntis, quia hae formaliter non important nisi actionem praedicamentalem, inde sunt purum exercitium virtutis calefactivae, etc. Intellectio vero formaliter est imago intentionalis objecti et qualitas, ut concedunt ipsi adversarii nostri in hac controversia; ac proinde quamvis actione aliqua exprimatur, vel pingatur imago ejusmodi, non ideo debet identificari cum ipsa pingendi actione. Nec Minoris probatio quidpiam evincit; quia ex eo quod intellectivum sit formaliter vivens et potens se actuare ab intrinseco, non sequitur intellectionem secum identificare actionem physice productivam illius, quia jam probavimus intellectionem non esse actionem praedicamentalem, sed qualitatem, quamvis nominibus actionum denotetur. Sicut ex eo quod calefactivum sit formaliter caloris productivum, perperam concluderes calorem secum identificare actionem, qua producitur.

---

(1) Cfr. Compend., volum. 2.^{um}, num. 403.
(2) Cfr. Compend., volum., 2.^{um}, num. 392.

Objic. 3.° Si intellectivum, sicut et volitivum, in creatis non dicit formaliter activitatem physicam, possibilis erit creatura intellectiva et volitiva, quae non sit physice activa suorum actuum, nec possit intelligere vel velle nisi per actus pure ab extrinseco infusos. Atqui sequela haec absurda est, quia talis creatura esset vivens et non vivens, et mere passive se haberet ad actus suos, quod et ipsi Tridentino concilio contrariatur (1).

Respod. *neg.* Major. et suppositum ejus; non enim negamus principium intelligendi activitatem physice productivam in creatis importare, sed quod illam exercere valeat producendo suum terminum naturalem media actione: ex quo, equidem non video, quo pacto sequatur logice possibilis creatura, quae non sit physice activa suorum actuum, nec possit intelligere nec velle nisi per actus pure ab extrinseco infusos. Ex nostra sententia illud ad summum sequitur, posse intellectum creatum per miraculum recipere actum intellectionis a solo Deo effectum: quod sane diversissimum est ab eo, quod adversarii inferunt.

Objic. 4.° Actio cognoscendi vel intelligendi nequit esse praedicamentalis. Ergo cognitio non fluit a potentia per ejusmodi actionem. **Prob. antec.** quia α) proprium actionis praedicamentalis est perficere aliud, nam est actio transiens; at cognitio est actio immanens, perficitque cognoscentem: β) actio praedicamentalis infert ex se passionem in subjecto, in quo recipitur; cognitio autem nullam infert passionem: γ) praeterea actio praedicamentalis est successiva, quia est motus.

Respond. *neg.* assert., intellectum de actione productiva intellectionis.

Ad probation. α), *nego* proprium actionis praedicamentalis esse unice perficere aliud, sicut contendunt Thomistae: unde nihil vetat eam esse immanentem. **Ad probation.** β), *disting.* assert. Proprium est actionis praedicamentalis inferre passionem (sive propriam sive impropriam), praecise in subjecto distincto ab ipso agente *nego*; sive in alio distincto subjecto, prout actio fuerit immanens vel transiens, *conc.* **Ad probat.** γ) *neg.* assert. universaliter sumptum, quia nihil vetat actionem praedicamentalem esse instantaneam, tum quia non omnis actio necessario est motus (2), tum quia non est essentialis omni prorsus motui successio (3).

Plura in alio opere (4).

III.—Utrum intellectio creata possit a solo Deo per absolutam potentiam produci, vel etiam in alieno subjecto poni.

202. Status quaestionis et sententiae. Haec controversia locum non habet in eorum sententia, qui putant cognitionem se ipsa procedere ab intellectu, vel secum identificare actionem sui productivam. Supposita vero contraria, quam tuiti sumus, sententia, dubitatur, an non possit Deus per omnipotentiam actionem illam, per quam intellectus producit intellectionem vel verbum, solus producere.

---

(1) Sess. 6, can. 4.

(2) Cfr. Compend. volum. 3.um, num. 154.

(3) Compend. volum. 3.um, num. 154.

(4) Volum. 5.°, num, 78.

PP. Vazquez et Antonius Rubius, quamvis negent actionem, qua intellectus producit intellectionem ad hujus essentiam pertinere, adhuc tamen contendunt fieri non posse ut Deus solus sine concursu intellectus eam producat, ponatque id mente, aut etiam in alieno subjecto, v. g., lapide, cane, etc. Contraria tamen sententia frequentissima est inter eos, qui negant intellectionem se ipsa immediate procedere ab intellectu absque interjecta actione: ita Scotistae communiter et multi nostrates cum Suarez (1), consentientibus etiam quibusdam Thomistis negantibus intellectionem media actione distincta produci.

203. **Haec altera sententia**, quae ex probatis in praecedenti paragrapho fluit, **probabilior videtur**; quia non apparet, cur qualitas cognitionis non possit effici a solo Deo, sicut caeteri effectus, qui non secum identificant actionem, per quam producuntur (2). Non posset tamen, Deus solus efficere atque animae imprimere actus peccaminosos et liberos, quia hi essentialiter postulant procedere a causa creata libera (3).

Intellectio vero sic a Deo miraculose producta, si poneretur in alieno subjecto, v. g., lapide **non denominaret illud intelligens**; secus autem si in subjecto capaci, v. g., angelo, poneretur. Ratio vero est, quia forma nequit suum effectum formalem praestare nisi subjecto idoneo et capaci (4). Deinde

Intellectio sic a Deo solo effecta etiamsi infunderetur intellectui vel subjecto intellectuali, **non foret vitalis**, saltem nisi intellectus aliquo modo active se haberet ad uniendam sibi talem qualitatem. Quia vitale nequit esse, quod non procedit ab immanenti principio (5).

IV.—Utrum dictio distinguatur ab intellectione.

204. **Status quaestionis**. Actio, per quam intellectus producit verbum, nominatur *dictio* et *dicere*, quasi proferre vel emittere verbum: circa quam quaeritur, quo pacto se habeat respectu intellectionis. In divinis, si proprie loqui velimus, non omnis intellectio est dictio, sed solum intellectio *notionalis:* nempe intelligere absolutum et essentiale, identificatum prorsus cum divina essentia, commune est tribus Personis, et solum prout per subsistentiam Patris terminatur, producit Verbum, quare solum Pater *dicit*, Verbum autem et Spiritus S., licet intelligunt eadem Patris intellectione essentiali, non tamen *dicunt*, quia non producunt Verbum (6). Unde in divinis *dicere* proprie sumptum et intelligere ratione distinguuntur, prout

---

(1) *Metaphys.* disp. 48, sect. 2, num. 12. Scotus (adnotator) t. 3, pag. 725.

(2) Vide volum. 5.°, num. 80.

(3) Cfr. Compend., volum 2.^{um}, num. 401.

(4) Tamen nota verba Suarezii: «Quamvis hujusmodi actus (vitalis) possit fortasse fieri et conservari a Deo in entitate sua absque activo concursu causae secundae, quia Deus eminenter continet omnem efficientiam: fieri tamen non posse, ut talis actus exerceat proprium munus actus vitalis, id est constituat cognoscentem, amantem vel aliquid simile sine concursu ejus, in quo talis effectus exercetur. Quia revera intelligi non potest quod aliquis actu cognoscat quin se gerat ut actu vivens; neque etiam intelligi potest quod aliquis se gerat ut actu vivens, tantum recipiendo et nihil efficiendo.» (De Deo Uno 1, 2, c. 10, num. 7) et lege quoque *De Angelis* 1, 6, c. 16, n. 26.

(5) Plura in fusiore, volum. 5.°, num. 79-83.

(6) Vide Suarez, *de Trinit.*, lib. 1, cap. 6.

diserte docet S. Thomas (1). Si autem de creata intellectione loquamur, quoniam in omni intellectione producitur verbum, nulla esse potest sine interna locutione vel dictione.

205. **Quo ergo pacto distinguuntur dictio et intellectio?** Ratione sola distingui potest in illorum opinione, qui verbum cum intellectione identificantes, hanc se ipsa immediate procedere ab intellectu arbitrantur, Thomistae dictionem vel internam locutionen a verbo realiter distinguunt, ab intellectione autem, quam pariter a verbo discriminari opinantur, ratione ac virtualiter distingui volunt, vel, ut aliis placet, modaliter atque habitudine quadam, siquidem *dicere* importat habitudinem producentis verbum, at intelligere, quantum est de se, non importat ejusmodi habitudinem, nec respicit terminum ut productum, sed ut cognitum (2). Qui vero intellectionem cum verbo identificantes, eam ab intellectu media actione produci existimant, realem, id est modalem, admittere possunt distinctionem inter *dictionem* et verbum vel intellectionem formalem, qualis intercedit generatim inter actionem praedicamentalem ac terminum ejus. Et quamvis haec res ab aliis aliter declaretur, mihi planissima videtur Doctoris Eximii opinio, secundum quem vox *intelligere* sumi potest vel pro actione physice productiva verbi, vel pro verbo aut pro formali intellectione ac notitia rei. Si *intelligere* primo sensu, qui minus proprius est et philosophicus, sumatur, *dicere* idem valet ac *intelligere*, nam dicere est producere verbum; si autem *intelligere* sumatur philosophice ac proprie *dicere* distinguitur modaliter ab intellectione, quia est actio ejusdem productiva (3). Sententia haec, quae concordat cum hactenus disputatis, confirmatur ex analogia oralis locutionis; nam locutio et prolatio verbi oralis respectu verbi prolati se habet, sicut actio respectu sui termini. Et haec quoque videtur esse Scotistarum sententia (4) cum suo duce Subtili Doctore, quem tamen paulo aliter interpretatur P. Franciscus Suarez (5).

206. **Summa omnium in praesenti capite dictorum** haec est. α) In omni cognitione producitur terminus aliquis vel qualitas, quae in intellectione verbum vocatur: β) Verbum non est medium *in quo*, sed *quo;* γ) in eoque formaliter consistit intellectio: δ) *dictio* autem est actio, per quam profertur vel producitur verbum, ab eoque modaliter distinguitur, sicut omnis actio praedicamentalis distinguitur a termino producto.

---

(1) 1 p., quaest. 34, art. 1, ad 3.um; quaest. 37, art. 1 et 2.

(2) Lege S. Thom., 1 p., quaest. 34, art. 1, ad 3.um; et *Contr. Gent.*, lib. 4, cap. 11. Et vide Joann. a S. Thoma, *de anim.*, quaest. 11, art. 1, *Dico 3.°*, et *Dico 4.°;* Complutens. *de anim.*, disp. 21, quaest. 4, num. 57 seqq.; Martínez de Prado, *de anim.*, quaest. 20.

(3) Vide Suarez, *de anim.*, lib. 3, cap. 5, num. 20; *de Trinit.*, lib. 1, cap. 6, num, 5 8.

(4) Vide Mastrium, *de anim.*, disp. 6 quaest. 3 art. 2, num. 54.

(5) *De Trinit.*, loc. cit., num. 2, 6; *de anim.*, loc. cit, num. 21.

CAPUT III

DE ACTIBUS INTELLECTUS

Multiplex intellectus activitas est describenda ut natura eius magis pateat.

ARTICULUS I

De triplici mentis operatione.

Tres esse mentis operationes, simplicem apprehensionem, judicium et ratiocinium, ea planissima evincit ratio. Actus mentis vel continent enuntiationem seu affirmationem negationemve unius de alio, vel nullam. Si nullam, est simplex apprehensio; si continet enuntiationem, est judicium, sive immediatum sive mediatum, prout enuntiatio ponatur ex immediata terminorum inter se comparatione, vel ex eorumdem cum alio tertio termino comparatione, quae locum habet in discursu. Haec patent ex *Dialectica.* Quae vero contra istam divisionem objici possent ex imperio, ex orationibus non enuntiativis, ex formidine, suspicione atque attentione, explicata videri queunt in opere fusiore (1).

207. **Potentia vero actus hosce eliciens** est unus idemque intellectus. Neque enim conclusionem ex variis judiciis seu praemissis elicere potest, nisi idem ipse qui judicia pronuntiavit, nec judicium pronuntiare, nisi qui terminos apprehendit, eorumque identitatem vel discrepantiam perspexit. Errarunt ergo Emmanuel Kant, Jacobi et quotquot rationem ab intellectu realiter distinxerunt (2).

I.—De simplici apprehensione.

208. **Simplex apprehensio est** actus mentis aliquid ita cognoscens aut repraesentans, ut nihil de illo enuntiet, vel affirmet aut neget. Multae illius divisiones in Dialectica declaratae sunt (3); nunc dividi potest in *suasivam* et *non suasivam.* Non suasiva est illa, quae sic exhibet objectum, ut nullum contineat motivum ad judicandum inclinans, ut si apprehendas nunc Turcam saltantem, nulla enim ratio suadet, ut id affirmes vel neges Turcam nunc saltare. Suasiva apprehensio, quae aequivalere videtur virtuali judicio, exibet objectum, in quo sunt motiva ad judicandum impellentia; v. g. si repraesentes amicum, de quo testis idoneus narrat mortuum fuisse, apprehensio

---

(1) Col. 5, n. 270.

(2) Vide si lubet Cajetanum Sanseverino, *Philosophia christiana, Dynamilogia*, tom. 3, cap. 7, art. 34, ubi fuse demonstrat identitatem potentiae intelligentis et ratiocinantis. Cfr. art. 32, ubi erudite referuntur variae auctorum opiniones.

(3) Cfr. Compend., volum. 1.^{um}, num. 41, 50, 57.

haec inclinat ad judicandum probabiliter mortuum illum reapse esse. Objectum vero simplicis apprehensionis potest esse vel simplex aut incomplexum, nempe una quaedam res aut ratio, vel complexum, nempe ratio multiplex quamvis expressa ut unita vel conjuncta: unde terminus dividitur in incomplexum et complexum (1).

209. **Prima controversia** circa simplicem apprehensionem est, *utrum necessario praecedat judicium.* Et sermo est de nostro intellectu; nam in Deo nulla datur apprehensio, quae non sit perfectissimum judicium, et angeli etiam saltem in evidentibus illico judicant sine actu simplicis apprehensionis, qui sit distinctus. Circa nostrum vero intellectum Thomas Reid cum sua schola scotica et quidam alii putarunt, judicia quaedam primitiva (2) ex instinctu et impetu naturae proferri, antequam perspiciatur ipsa terminorum identitas vel discrepantia (3).

210. **Communissima tamen sententia** tenet simplicem apprehensionem judicio praemittendam esse. **Idque probatur 1.°** in judiciis inevidentibus, in quibus non solum praecedere debet simplex apprehensio, sed insuper ea movere non potest ad judicium, donec accedat imperium voluntatis; immo vero saepe in materia inevidenti dantur simplices apprehensiones, quin sequatur judicium. **Prob. 2.°** Proprium est intellectus transeuntis de potentia ad actum, ut prius actum imperfectum ponat, et mox perfectiorem. Atqui noster intellectus transit de potentia ad actum, actus autem imperfectissimus est simplex apprehensio. Ergo... **Prob. 3.** Judicium praesupponit perspicientiam identitatis aut discrepantiae terminorum, ut experientia ipsa constare videtur. Atqui haec perspicientia implicat simplicem apprehensionem.

Concedunt tamen multi non esse adeo essentiale, ut prius praecedat simplex apprehensio, quin possit intellectus saltem per omnipotentiam Dei judicare sine apprehensione distincta praevia: idque videtur reapse locum habere in beatifica visione (4).

Adverte tamen in nomenclatura modernae psychologiae judicium vocari perceptionem relationis inter extrema: conceptum vero dici synthesim relationum quae de una eademque re cognoscimus. Ideo conceptum esse post judicium.

Ratio nomenclaturae est quia iuxta modernam psychologiam non cognoscuntur a nobis res ipsae, ideo nos in rebus percipimus relationes: res pro nobis est proin synthesis relationum, siquidem est subiectum prout a nobis cogitatum seu symbolum rei: quia nobis subiectum est ipse complexus relationum cui complexui damus realitatem in se subsistentem.

211. **Secunda controversia**, *utrum apprehensio efficienter influat in judicium.* Estque res valde dubia, pluribus apprehensioni tribuentibus rationem conditionis vel applicationis objecti, *illuminando* sic intellectum ad judicandum, aliis autem physicam efficientiam largientibus, fere sicut speciei impressae convenit respectu

---

(1) Cfr. Compend., volum. 1.um, num. 59.
(2) Cfr. Compend., volum. 1.um, num. 367.
(3) Cfr. opus fusius, volum. 5.um, num. 271, *Prima controversia.*
(4) Cfr. opus fusius, volum. 5.°, num. 271, ubi quaedam etiam solvuntur difficultates.

actus cognitionis, et praemissis respectu conclusionis (1). Utriusque sententiae rationes vide, si lubet, in alio opere (2).

212. **Tertia controversia**, *utrum simplex apprehensio attingat non solum terminos, qui mox per judicium copulandi sunt, sed etiam ipsam copulam*. Quamquam aliqui negant cum P. Vazquez (3), communi tamen sententia vel diserte affirmat cum P. Francisco Suarez (4), vel certe id supponit, quia constat experientia ipsa, quod saepe apprehendamus copulam, quin reapse judicemus, ut cum mente versamus propositiones haereticas vel absurdas vel dubias, quin eas enuntiemus (5).

II.—De judicio.

213. **Apprehensioni succedit judicium,** nempe proprium et formale, seu *actus mentis sententiam ferentis de identitate vel discrepantia terminorum*, vel enuntiantis aliquid de aliquo (6). Judicium affirmativum in nobis dicitur et est *compositio*, negativum autem *divisio*, nempe facta per intellectum, adhaerendo vel dissentiendo rei propositae per apprehensionem, et sic conjungendo in unum terminos per affirmationem, vel removendo per negationem. Quod si rationem quaeras,

Cur intellectus noster non possit judicare nisi componendo ac dividendo, respondetur rationem repeti ex imperfectione intellectus nostri, qui cum speciebus utatur abstractis ex phantasmate, ideoque imperfectis, non videt illico rem cum suis attributis et essentia, sed seorsim et pedetentim apprehendit illa, et sic comparando istas apprehensiones cum re, in qua eas detexit, easdem asserit illi, aut etiam negat, si in ejusmodi comparatione videt illi reapse non convenire (7). Judicium vero Dei simplicissimum est absque ulla idearum vel terminorum compositione, quia uno intuitu penetrat et comprehendit omnia. Angeli etiam in iis, quae evidenter cognoscunt, uno simplici actu apprehendunt, quae nos successive ac per partes intelligimus, et sic non egent idearum et simplicium apprehensionum compositione. Ex notione judicii modo proposita

214. **Sequitur 1.°** *judicium, sin minus explicite, implicite certe reflexionem quamdam importare* supra praecedentes apprehensiones (8).

215. **Sequitur 2.°** *judicium omne continere perceptionem identitatis vel discrepantiae terminorum, quae subaudit comparationem quamdam eorumdem inter se* (Cfr. n. **207**), quidquid in contrarium contendant Reidiani, Victor Cousin, Damiron, Kantius in judiciis syntheticis a priori, et alii. Ratio est 1.° quia in quibusdam enuntiabilibus, si per modum quaestionis proponantur, v. g. utrum *stellae sint pares numero*, quamvis forte possint esse vera, nullum profertur judicium, aut si quod profertur, temerarium ab omnibus habetur.

---

(1) Cfr. Compend. volum. 1.um, num. 461.
(2) Volum. 5.°, num. 272.
(3) In 1.am part., disp. 223, cap. 3.
(4) *Metaphys.* disp. 8, sect. 4, num. 4 et 8,
(5) Cfr. volum. 5.um, num. 273.
(6) Cfr. Compend. volum. 1.um, num. 121, 122.
(7) Rem praeclare explicat S. Thomas, 1 p., quaest. 58, art. 4.
(8) Cfr. Compend. volum. 1.um, num. 259, *Objic. 1.°*

Atqui nulla hujusce rei ratio esse potest, nisi quod mens non videat identitatem vel discrepantiam subjecti et praedicati in talibus enuntiabilibus. Ergo id manifesto signo est, mentem non posse judicare, nisi perspiciat identitatem vel discrepantiam terminorum: quidquid sit, utrum essentia ipsa judicii sita sit in ejusmodi perspicientia, necne, de quo postea. 2.° Repugnat facultatem cognoscitivam modo caeco peragere actum suum praestantissimum. Atqui intellectus est facultas cognoscitiva, et actus ejus praestantissimus est judicium, in quo caece omnino sese haberet, nisi perspiceret idipsum quod affirmat, vel negat, nempe terminorum identitatem. Ergo... (1).

216. **Sequitur 3.°** *judicium esse actum intellectus, non vero voluntatis*, prout docuit Cartesius et Mallebranchius aliique cartesiani, qui quamvis ad actum judicii requirant praeviam cognitionem, ipsum tamen formale judicium contendunt esse *determinationem* quamdam vel decretum voluntatis. Hoc vero aperte falsum est, 1.° ex sensu omnium communi; 2.° ex eo quod judicium sit actus essentialiter intendens verum adeo, ut non possit falsum cognitum prout tale enuntiare, sed in ipsis falsis enuntiationibus sectetur speciem veri, seu quod verum videtur. Atqui verum est objectum intellectus, sicut bonum voluntatis. Ergo... Quamvis ergo voluntas interveniat in judiciis inevidentibus, imperando assensum, qui per ipsam veritatem objectivam, propter obscuritatem et improportionem, non potest extorqueri, at imperium istud non est ipsum formalé judicium, sed actus praevius, et praeterea nullatenus requiritur in re evidenti (2).—Plura in opere fusiori, ubi etiam quaedam objectiones solvuntur (3).

217. **Sequitur 4.°**, *compositionem mentalem, quam importat in nobis judicium, non esse compositionem terminorum mere* **apprehensam vel consideratam,** *sed* **effectam** *quodammodo a mente judicantis, assentiendo vel dissentiendo eorum identitati.* Probatur, quia compositio mere apprehensa datur sine ullo judicio per solam considerationem enuntiabilis aut termini complexi. Ergo compositio formale judicium constituens non potest esse compositio mere apprehensa, sed per mentem judicantis effecta.

Probatur antecedens. Potes profecto considerare has complexiones: *Spiritus S. mortuus est in cruce pro homine*, et: *Deus injustus*, etc., quin judices. Si enim non apprehenderes vim horum enuntiabilium, nec posses eorum absurditatem haereticalem pronuntiare. Si autem per solam apprehensionem hujusmodi haberetur judicium, nemo posset intelligere significationem talium enuntiabilium nisi incidendo in haeresim formalem, vel amplectando absurdum aliquod, quod non est minus falsum, quam stultum.—Jam circa naturam judicii occurrit subtilis controversia, quae distinctum omnino paragraphum sibi vindicat.

---

(1) Quaedam alia in volum. 5.°, num. 276.

(2) Cfr. Compend., volum. 1.um, num. 316, 317.

(3) Volum. 5.°, num. 277, 278.

III.—Utrum actus judicii formalis cognitionem importet, atque utrum consistat in mera perspicientia identitatis vel discrepantiae terminorum.

218. Primus, quem ego noverim, e veteribus negavit judicium esse actum cognoscitivum P. Joannes Baptista de Benedictis (1), cujus postea renovarunt doctrinam PP. Fernández Cuevas, Tongiorgi et cl. Palmieri (2). Communissima vero sententia tenet judicium formaliter esse actum cognoscitivum (3). Verum inter hos deinde est lis circa cognoscitivum actum, in quo reponenda sit essentia judicii. Multi enim volunt actum ejusmodi esse perspicientiam identitatis vel discrepantiae terminorum inter se: quam sententiam perperam scribit Tongiorgi profectam propugnatamque fuisse a Lockio et postea a Condillaco et sensistis. Multo enim ante Lockium essentiam judicii reposuerant in apprehensione convenientiae vel discrepantiae subjecti ac predicati Suarez (4) et fuse ac saepius Vazquez (5), Valentia (6) et alii. Verum alii, quamvis concedant perspicientiam hujusmodi convenientiae vel discrepantiae terminorum necessariam esse ad judicium, contendunt tamen essentiam hujus non consistere formaliter in ista perspicientia, sed in alio actu cognoscitivo consequente *assensus* vel *dissensus* praedictae convenientiae, cujus tendentia est *adhaesiva, definitiva, determinativa:* quae est opinio Molinae (7), Joannis a S. Thoma (8), Bernaldi Quiros, Lossadae (9), etc. Quod fortasse significare voluerunt etiam recentiores Van der Aa, Lahousse et Boedder (10), cum scripserunt perspicientiam identitatis vel discrepantiae terminorum tum solum sortiri rationem judicii, cum conjunctam habet quietem animi cessantis ab ulteriori rei examine. Tendentiam assertivam cognitionis in judicio sequuntur Fröbes (11) Geyser.

219. PROPOSITIO 1.°—**Judicium est actus cognoscitivus quo intellectus perspicit formam praedicato expressam inesse vel non inesse**

---

(1) *Philosophia peripatetica*, tom. *Logica*, lib. 3, quaest. 2, cap. 1, *Dico 2.°*

(2) Cuevas *(Psycholog.*, num. 61), Tongiorgi *(Psycholog.*, num. 492, 3.°), Palmieri *(Anthropologia*, thes. 36 in fine 1.^{ae} partis).

(3) Ita Suarez *(De anim.*, lib. 3, cap. 6, num. 4), Sylvius, Molina, Fonseca, etc.

(4) *De anim.*, lib. 3, cap. 6, num. 4; *Metaphys.* disp. 8, sect. 4, num, 5. *De Angelis* l. 2, c. 32, n. 5, n. 19, n. 16; c. 25, n. 11; *De Gratia*, l. 2, c. 19, n. 1; l. 2, c. 18, n. 12 et seq.—*De Scientia*, l. 1, c. 4, n. 6; l. 2 proemium et alibi. Plurimum laboravit Suarez in declaranda intima judicii natura.

(5) In 1.^{am} 2.^{ae} disp. 79, cap. 3, num. 12-14; et In 1.^{am} part., disp. 223, cap. 3, num. 16; et In 1.^{am} 2.^{ae}, disp. 62, cap. 3.

(6) In 1.^{am} part., disp. 1, quaest. 14, cap. 3.

(7) In 1.^{am} part., quaest. 1, art. 3, disp. 3, conclus. 2.ª

(8) *De anim.*, quaest. 10, art. 3, *Unde convincitur...*

(9) *De anim.*, disp. 8, cap. 4, num. 71, 74.

(10) Van der Aa *(Psycholog.*, prop. 14), Lahousse *(Psycholog.*, thes. 29, pars. 3.°), Boedder *(Psycholog.*, lib. 1, thes. 23).

(11) Fröbes op. cit., t. 2.°, pag. 193-197. Lege quoque Lindworsky, Psicología experimental (trad. Bilbao 1923) pag. 266-271.

subjecto, non utcumque, sed modo assertivo ac determinativo, qui in judicio affirmativo videtur tenere tendentiam adhaesionis vel approbationis, in negativo autem recessus aut reprobationis.

Prima pars: *Judicium est actus cognoscitivus*, facile probatur. Judicium est actus intellectus possibilis, et quidem perfectissimus omnium ex suo genere, nam judicium, sive immediatum sive mediatum, praestat simplici apprehensioni, ut norunt omnes. Atqui actus ejusmodi debet esse cognoscitivus, tum quia actus cognoscitivus perfectior est non cognoscitivo, tum quia per hoc distinguitur intellectus possibilis ab agente, ut sit virtus formaliter cognoscitiva, ideoque omnis actus ejus et praesertim praestantissimus, debet esse cognoscitivus. Ergo... (1).

Secunda pars: *Judicium est actus, quo intellectus formam praedicato expressam, non utcumque perspicit inesse vel non inesse subjecto, sed modo assertivo*, probatur 1.° ex communi sensu. Judicium enim apud omnes significatur vocibus *assensus* vel *dissensus, affirmationis vel negationis adhaesionis*, ac *lationis sententiae*. Atqui omnes istae loquendi formae implicant tendentiam assertivam ac determinativam, non autem meram perspicientiam convenientiae vel discrepantiae terminorum. Ergo...

Prob. 2.° Perceptio convenientiae vel discrepantiae per se duplicis generis esse potest, altera mere apprehensa, altera asserta. Atqui ad formale judicium non sufficit prior (n. **217**, **210**). Ergo requiritur altera.

Prob. 3.° Si ponamus judicium consistere in apprehensione identitatis vel discrepantiae modo assertivo ac determinativo, egregie explicatur prudentia vel temeritas assensus vel dissensus in quibusdam judiciis, itemque libertas opinativi assensus, qui ad nutum voluntatis possit praestari vel negari quibusdam enuntiabilibus. Atqui nihil horum satis explicatur in contraria sententia. Ergo...

Probatur Minor. In contraria sententia prudentia vel temeritas judicii solum videtur reponenda esse in debita vel non sufficiente attentione mentis adhibita ad considerandas rationes pro utravis parte contradictionis. Atqui prudentia vel temeritas non in hoc solum, sed potissimum videtur stare in majori minorive adhaesione ac firmitate assensus, quam objectiva motiva merentur, ut constat ex communissimo sentiendi loquendique modo. Deinde ea est assensus opinativi proprietas, ut imperio voluntatis egeat, et ex eodem possit poni vel cohiberi etiam iisdem stantibus motivis objectivis, ut liquet experientia. Atqui si judicium vel assensus judicativus staret in sola perceptione convenientiae aut discrepantiae terminorum, nec essentialiter importaret tendentiam assertivam, voluntas nihil horum posset imperare, saltem directe atque inmediate. Nam quomodo potest voluntas imperio suo efficere, iisdem stantibus motivis, ut intellectus perspiciat praedicati et subjecti convenientiam vel discrepantiam, nisi forte indirecte, id est, applicando attentionem ad magis perpendenda motiva, vel avertendo eamdem ab actuali consideratione?

Caeterum assertiva tendentia judicii affirmativi et negativi diversa est; affirmativi quidem per modum adhaesionis, approbationis, nutus, negativi autem per modum recessus, reprobationis. Fere sicut in voluntate appetitiones circa bonum habent tendentiam prosecutionis, aliae vero circa malum indolem induunt fugae (1).

---

(1) Cfr. quaedam alia in opere fusiori, 5.°, num. 281, *Prima pars.*

220. **Objic. 1.°** Sicut non omnis actus potentiae judicativae est judicium, nec discursivae discursus, ita potest dici non omnem actum potentiae cognoscitivae esse cognitionem. Ergo quamvis intellectus possibilis sit virtus cognoscitiva, non tamen omnis ejus actus est cognitio.—**Respond.**, *neg.* conseq. et paritat. Nam nec judicium nec discursus sunt omnes actus qui profluere possunt a potentia judicativa et discursiva, nempe intellectu, cum praeterea, fatentibus cunctis, detur alterum genus actuum, nempe simplex apprehensio. Ac proinde nec judicium nec discursus exhauriunt adaequatam activitatem talis potentiae. At si intellectus possibilis est virtus cognoscitiva, per contrapositionem ad aliam virtutem non cognoscitivam, omnis illius actus debet esse cognitio.

Objic. 2.° Ad omne judicium praecedere debent simplices apprehensiones subjecti et praedicati. Ergo actus judicii superveniens non potest esse nova cognitio. Nam *α)* nova ejusmodi cognitio vel augeret praecedentem terminorum cognitionem vel non. Si non auget, supervacanea est. Si auget, ergo melius cognoscit *Petrum* et *hominem*, qui judicat *Petrum esse hominem*, quam qui tantum cognoscit *Petrum* et *hominem*. β) Praeterea si judicium foret actus cognitionis, inutiles essent praeviae apprehensiones subjecti et praedicati, sive pro ipso actu judicii, sive ante actum. *Pro ipso actu*, quia in illo jam ponitur aliunde a nobis cognitio subjecti et praedicati. *Ante actum judicii*, quia cognitio identitatis vel discrepantiae terminorum non servit nisi pro actu judicii jam ponendi.

Respond., *conc.* antec. *neg.* conseq. **Ad probation.** *α)* *conc.* primam propositionem, et eligo alterum disjunctionis membrum, saltem si sermo est de primo judicio, quin sequatur cognitionem convenientiae vel discrepantiae terminorum, contentam in actu judicii, supervacaneam esse, necessaria enim est, ut assertio et sententiae latio rationabili et cognoscitivo modo ponatur. **Ad probation.** β) *neg.* assert. Ante actum judicii formalem utilis, immo necessaria est cognitio convenientiae vel discrepantiae terminorum, quia intellectus noster, cum ex imperfecto ad perfectius procedat, prius intelligere debet terminos eorumque convenientiam vel discrepantiam, quam hanc postremam asserat. In ipso autem actu est utilis, ut assertio haec fiat rationabili et cognoscitivo modo, ut nuper dicebam.

Objic. 3.° Judicium si importat actum intellectus perspicientis praedicatum inesse vel non inesse subjecto, aut cognoscit identitatem vel discrepantiam, quae vere intersit inter extrema aut non cognoscit. Si non cognoscit, quid aliud cognoscit? Erit ergo cognitio sine objecto. Si autem cognoscit, nullum judicium erit falsum.—**Respond.**, *conc.* Major. Ad primam improbationem, *neg.* conseq. Nam objectum illius cognitionis falsae est conjunctio vel remotio extremorum, quae a parte rei non datur. Et in hoc praecise stat falsitas (2). Ad alteram improbationem etiam negatur illatum. Videlicet intellectus fallitur cum cognoscit identitatem vel discrepantiam, quae non datur, ut saepe accidit, et non fallitur cum cognoscit eam, quae reapse datur a parte rei.

Objic. 4.° Judicium est actus, per quem mens formaliter abjicit statum dubii proprie dicti, quod consistit in suspensione judicii (3). Atqui per hoc solum quod mens praedicatum inesse vel non inesse subjecto percipit, jam formaliter abjicit statum dubii proprie dicti. Ergo...

---

(1) Cfr. volum. 5.^{um}, num. 281.
(2) Vide P. Suarez, *Metaphys.*, disp. 9, sect. 1, num. 17.
(3) Cfr. Compend. volum. 1.^{um}, num. 273.

Respond., *neg.* Minor., cujus falsitas apparet in judiciis inevidentibus vel solum probabilibus. Quod si in evidentibus abjicitur dubium, perspecta identitate vel discrepantia terminorum, ratio est, quia illico ponitur actus formalis judicii post cognitionem praedictae identitatis aut discrepantiae (1).

IV.—Utrum judicium sit qualitas simplex.

221. **Sententiae**. Sermo est de judicio humano, nam angelicum simplex est. Humanum vero compositum esse docuerunt multi cum Suarez (2), Vazquez, Rubio, Alamanni, etc., idemque docuisse videtur alicubi S. Thomas (3). Non omnes tamen eodem modo explicant compositionem judicii, ut videre licet in opere fusiori (4). Communior est contraria sententia tenens judicium esse qualitatem vel actum simplicem, per quem attinguntur subjectum et praedicatum eorumque convenientia vel discrepantia. Ita opinantur PP. Didacus Ruiz de Montoya (5), Conimbricenses (6), Hurtadus, Franciscus Alphonsus, Rhodes, Lossada (7) aliique, et Complutenses Carmelitani, Joannes a S. Thoma et Goudin cum multis aliis Thomistis, et plures etiam Scotistae, ut Mastrius et Dupasquier. Et pro eadem laudantur quidam antiqui Scholastici, ut Severinus Boetius ipseque S. Thomas (8).

222. PROPOSITIO 2.^{a} **Judicium quamvis praesupponat plures actus apprehensionis distinctos, videtur tamen esse actus simplex mentis, non autem constitutus ex aliis.**

Probatur. Ad judicandum v. g. hominem esse animal, requiritur conceptus aliquis ab omni simplici apprehensione distinctus, et essentialiter judicativus. Atqui conceptus ejusmodi simplex est, et solus integrum constituit judicium. Ergo...

Prob. Major. Nam ex meris apprehensionibus non constituitur judicium; et praeterea probatum reliquimus modo, judicium non consistere in sola terminorum cognitione, immo nec in apprehensione convenientiae vel discrepantiae illorum (num. **219**).

Prob. Minor. Conceptus, in quo judicium consistit, est actus vere cognoscitivus (num. **219**, *Prima pars*). Ergo aliquid repraesentat, nec aliud magis repraesentare potest, quam convenientiam vel discrepantiam subjecti et praedicati, de qua fert judicium. Sed cognitio assertivo seu judicativo modo repraesentans, v. g., identitatem hominis cum animali, eo ipso repraesentat assertive hominem esse animal, quod est praecise judicare hominem esse animal. Ergo cognitio istiusmodi sola per se constituit integrum judicium. Atqui cognitio haec simplex actus est, assertive repraesentans extrema cum eorum copula. Ergo judicium est qualitas vel actus simplex (9).

223. **Objic.** 1.° Conceptus judicativus, quamvis esset distinctus ab apprehensione terminorum, posset attingere solam copulam, sicut actio physica producit unionem extremorum, quin producat extrema.

---

(1) Quaedam alia in opere fusiori, volum. 5.°, num. 282.

(2) *De anim.*, lib. 3, cap. 6, num. 5.

(3) 1 p., quaest. 58, art. 4, ad 1.^{um} et aliis locis citatis a P. Cosma Alamanni, *Summ. Philos.*, prim. part., quaest. 19, art. 1.

(4) Volum. 5.°, num. 283.

(5) *De scient. Dei*, disp, 13, sect. 1, num. 9 et 10.

(6) *Dialectica. De interpretatione*, cap. 4, quaest. 4, art. 2.

(7) *De anim.*, disp. 8, cap. 4, num. 75 seqq.

(8) 1 p., quaest. 58, art. 2.

(9) Vide Lossada, loc. nup. cit., num. 75, 76. Cfr. num. 71.

Ergo actus judicii, ut attingat praeterea extrema, debet esse compositus.—**Confirmatur**, quia si simplex actus assertivus praedicati de subjecto attingeret totum enuntiabile, superfluae forent apprehensiones simplices, quae praecedunt, et comitantur formalem judicii actum.

Respond., *dist.* antec. Si conceptus judicativus apprehenderet unionem extremorum in abstracto, *trans.*; si apprehendit hanc determinatam unionem, *nego*, quia *haec* determinata unio est *horum* extremorum, quae proinde repraesentare debet conceptus *hanc* unionem repraesentans. Praeterea copula objectiva, cum non sit nisi identitas extremorum ab iisdem prorsus indistincta, nequit sine illis attingi, saltem prout est *unio* talium extremorum. Unde nulla paritas cum unione physica, utpote re distincta ab extremis, quae nectit (1). Idemque dicendum de discrepantia extremorum per negativum judicium attacta, quae pariter ab extremis indistincta est. **Ad confirmationem** dico apprehensiones extremorum, quae judicium comitarentur, vel subsequerentur, supervacaneas fore, secus autem quae praecedunt, nam illae praeparant intellectum ad judicandum. Caeterum repraesentatio extremorum, quae per judicium habetur, licet non sit clarior, non est tamem homogenea, cum novum importet tendendi modum, nempe assertivum, et intellectum diversimode afficiat.

Objic. 2.° Non intelligitur, quo pacto judicium negativum, v. g. *Homo non est leo*, possit esse simplex conceptus, tum quia species impressa leonis non potest concurrere ad cognitionem hominis, tum quia nequit unica imago simul esse similitudo leonis et hominis, ut patet in pictura materiali. Ergo saltem judicium negativum non est actus simplex.

Respond., *neg.* anteced. cum probationibus. Nam licet species leonis sola nequeat hominis cognitionem efficere, at potest simul cum specie hominis ad utriusque cognitionem simplicem influere. Haec enim est vis intellectus, ut diversis uti valeat speciebus, et objecta diversa comparet, ac de ipsorum diversitate judicet. Imago vero intentionalis, cum non sit univoca, sed analoga, nec in *essendo sed in repraesentando* (n. 74) potest eadem esse diversorum similitudo, secus atque imago materialis; non enim repugnat eumdem simplicem actum manifestare, v. g., hominem et leonem, ut patet evidenter in judicio simplici angeli de utriusque diversitate.

Objic. 3.° Intellectus humanus, ad differentiam divini et angelici, dicitur passim a Philosophis non judicare nisi componendo et dividendo. Ergo cum compositio non detur ex parte objecti, dari debet ex parte conceptus. Nec intelligi potest distinctio inter subjectum et praedicatum, nec affirmatio unius de alio, si nec in objecto nec in actu detur unum et aliud.

Respond., *neg.* conseq. In primis divisio judicii negativi non potest consistere in separatione partium actus judicii, ut per se patet; secus quomodo constituerent unum? Quare in judicio negativo divisio re datur in ipso objecto, in actu vero solum repraesentative, quatenus repraesentat extrema ut divisa vel distincta. E converso compositio, latius quidem sumpta pro identitate quatenus distinctioni opposita, datur ex parte objecti in judicio affirmativo: unde sicut judicium negativum repraesentative dividit, id est, distinguit, ita judicium affirmativum repraesentative componit, seu identificat. Atque hoc sensu ipsum judicium divinum et angelicum quodammodo componit. Propria tamen intellectus humani compositio stat non in unione partium actus, sed in simultanea positione plurium actuum in eodem intellectu cum quodam ordine dependentiae; judicium enim humanum requirit, ut simul ponantur apprehensiones terminorum, a quibus tamquam, a conditionibus natura prioribus pendet: quod genus compositionis repugnat judicio divino, et abest etiam, saltem in evidentibus, ab angelico. Porro distinctio rationis inter subjectum et praedicatum judicii affirmantis adest in actu judicii non formaliter, sed praesuppositive atque aequivalenter: praesuppositive quidem, quia judicii actus requirit praevias illas terminorum apprehensiones, et aequivalenter, quia continet repaersentationem illarum (1).

---

(1) Cfr. Compend. volum. 1.um, num. 178, *Sexta pars;* et volum. 2.um, num. 119.

V.—Quo pacto mens ad judicandum determinetur.

224. Non videtur determinari, saltem proxime, ex ipsis speciebus intelligibilibus, ex quibus efficiuntur simplices apprehensiones, ut quidam voluerunt; quia species illae jam suum effectum in istis apprehensionibus sortitae sunt. Distinguendum ergo est inter judicia evidentia et inevidentia. Cum objectum est evidens, ipsum videtur determinare ad judicium, posita terminorum apprehensione ac relatione sensuum; nam si praedicatum exprimit evidenter essentiam vel proprietatem subjecti, illico sequitur necessario judicium, siquidem verum evidenter apparens necessario gignit certitudinem (2), ac proinde judicium. Quod si praedicatum non *ex se appareat* exprimere essentiam vel proprietatem rei, sed tamen sensus refert illud subjecto convenire saltem hic et nunc, haec ipsa sensus relatio determinat intellectum ad assensum propter eamdem rationem. Sed quoniam objectum non innotescit intellectui nisi per simplicem apprehensionem intellectualem, dicendum tandem est, sicut species determinat ad simplicem apprehensionem ponendam, ita simplicem apprehensionem determinare ad judicandum, sive morali quodam influxu, id est, *illuminando* seu proponendo evidens objectum, sive physico, id est, physice producendo actum judicii simul cum intellectu (n. **211**), pro varietate opinionum. Si autem objectum judicii sit inevidens, non sufficiunt species nec apprehensiones terminorum, sed requiritur imperium voluntatis, ut intellectus determinetur ad actum ponendum judicii. Maximae utilitatis est examinare omnia elementa quibus mens ad judicium determinatur. Elementa objectiva perpendere est opus criticae scientificae juxta scientiam ad quam veritas judicii pertinet. Elementa autem plurima sunt subjectiva, indolis psychologicae, eaque discernere pertinet ad Psychologum experimentalem et practicum.

VI.—De discursu vel ratiocinio.

225. Sermo est non de improprio, sed de proprio discursu: improprius importat meram diversarum cognitionum successionem, proprius autem est operatio, qua ex una veritate alia cognoscitur ob consequentiam vel connexionem cum illa, ideoque importat quidem successionem cognitionum, sed inter se connexarum, quarum alia ex alia causetur (**207**). Haec operatio magnam sane arguit hominis excellentiam supra belluas, quae illa carent, sed tamen indicium est et ipsa imperfecti intellectus, quippe qui propterea discurrit, quia non potest omnia intelligere ex inmediata terminorum intuitione. Jam alibi ostendimus discursum non consistere in sola consequentiae vel ationis intuitione (1), ideoque plures essentialiter actus importare, nempe praemissas et conclusionem, quae ex illis causatur (2), ita ut qui assentiatur illis, non possit non huic assentire. Quare tendentia judicii mediati vel discursus est valde diversa, quia formalis conclusio est essentialiter judicium *iltatum*, nempe supponens praemissas vel antecedens ex quo pendet. Et sicut prima operatio essentialiter differt a secunda, ita secunda a tertia. Verum haec et alia, quae ad essentiam discursus pertinent, alibi declarata sunt (3).

---

(1) Vide Lossada, loc. cit., num. 78, 79, 80.

(2) Cfr. Compend. volum. 1.^{um}, num. 317.

226. **Quaeres**, *quid sit ratio* **superior** *et* **inferior**. Ratio superior est, ex mente S. Augustini et S. Thomae, *quae intendit aeternis conspiciendis et consulendis*, conspiciendis nempe, prout speculativa est, et consulendis, prout practica. Ratio vero inferior dicitur, *quae intendit temporalibus rebus* (4). Ex quo colliges, duas hasce rationes non esse duas potentias, sed unam eamdemque diversa habentem officia, prout declarat S. Thomas (5).

ARTICULUS II

De memoria intellectiva.

227. **Memoria sumi potest** vel pro actu vel pro potentia. Memoria, actus, est rei prius cognitae prout talis, recognitio, ad actum enim memoriae, stricte ac proprie loquendo, non sufficit rem olim cognitam iterum cognoscere, sed necesse est advertere illam olim cognitam fuisse: ad quem actum necesse est species intentionales retinere. Memoria, potentia, est facultas naturalis ejusmodi actum eliciendi. Et quicumque habet potentiam istam cum suis speciebus ad iterandas cognitiones requisitis, dicitur cognoscere *habitu*, quia jam possidet habitum scientiae vel cognitionis, et quidquid sufficit ad actu considerandam rem.

Status quaestionis et sententiae. Memoriam sensitivam dari in homine et in animali constat ex alibi probatis. Nunc quaeritur, utrum detur in homine memoria intellectiva. Memoria sumi potest minus proprie pro potentia capaci retinendi species, vel stricte ac proprie pro ipsa potentia recognoscendi res olim cognitas, prout tales. Et quamvis Avicenna negaverit inesse homini facultatem conservandi species intelligibiles (6), ac proinde memoriam minus proprie dictam, contraria tamen sententia communissima est. Circa memoriam autem strictam S. Thomas, quem sequuntur Thomistae, distinguit inter recordationem *praeteritae cognitionis* et *objecti praeteriti;* docetque dari quidem memoriam actuum cognitionis non autem dari memoriam *di*

---

(1) Vide Compend. volum. 1.um, num. 459.

(2) Ibid., 460, 461.

(3) Vide Compend. volum. 1.um, num. 459-478. De raciocinio pulchra Psychologia experimentalis—cfr. Fröbes op. cit. t. 2, pag. 197-206. Lindworsky, Das schlussfolgernde Denken, 1916 y Psicologia experimental (trad. Bilbao 1923).

(4) Vide S. Augus., *de Trinit.*, lib. 12, cap. 3 seqq. et cap. 14.

(5) 1 p., quaest. 75, art. 9. Cfr. 2.° dis. 24, quaest. 2, art. 2; *de verit.*, quaest. 15, art. 2 fin. Cfr. Suarez, *de anim.*, lib. 4, cap. 10, num. 6.

(6) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 79, art 6. Cfr. *de verit.*, quaest. 10, art. 2.

recte repraesentatricem objectorum praeteritorum (1). Fundatur haec opinio in illa alia, quae negat singulare materiale ab intellectu nostro directe cognosci posse Quare qui e converso directam asserunt intellectui singularium materialium cognitionem, consequenter docent dari memoriam propiam intellectivam, etiam directe terminatam ad objectum ipsum praeteritum ut tale secundum ipsas particulares circumstantias temporis: atque ita opinantur plerique auctores nostri veteres (2) multique Scotistae (3).

228. PROPOSITIO **Negari nequit inesse humano intellectui facultatem retinendi species intelligibiles ac proinde iterandi cognitiones olim habitae. Si vero sermo sit de memoria in stricto sensu** *relate ad objecta materialia*, **non videtur dari memoria** *directe* **ac** *primo* **repraesentans ejusmodi objecta praeterita,** *prout talia*, **seu cum circumstantia determinati temporis; datur autem respectu actuum et objectorum spiritualium. Unde simpliciter loquendo negari nequit homini memoria intellectualis in sensu vere proprio.**

Prima pars constat experientia cujusque. Multa enim passim recolimus olim cognita, idemque demonstrat studium et exercitium scientiarum. Atqui nihil cognoscitur sine specie, id est, sine forma potentiae impressa qua ad cognitionem determinatae rei foecundetur. Ergo procul dubio vim habet intellectus noster species retinendi (4).

Secunda pars sequitur ex sententia, quam paulo post tuebimur, negante intellectui nostro directam singularium notitiam. Quia cognitio praeteritorum secundum particularem rationem determinati alicujus temporis est cognitio objecti materialis singularis. Ergo si non datur in nostro intellectu directa cognitio singularis objecti materialis, nec datur recordatio directa praeteritorum secundum ipsam determinati temporis rationem.

Tertia pars, spectans ad spirituales actus et objecta, probatur, quia unica ratio directae obstans materialium singularium repraesentationi secundum differentiam determinati temporis, est eorum materialitas. Atqui cessat haec ratio, si sermo sit de ipsis actibus cognitionis prius habitis, et etiam de objectis spiritualibus vel universalibus.

Possunt enim haec repraesentari prout jam alias a nobis cognita, quin ejusmodi recordationem ingrediatur ulla circumstantia materialis individualis (5).

Confirmatur, experientia multorum actuum sive intellectus sive voluntatis, quos recordamur.

Quarta pars communissima est, ac tenetur non solum a nostratibus, sed etiam a nobilissimis Thomistis (1) et a recentioribus memoriam intellectualem absque ulla distinctione intellectui nostro asserentibus (2). Et probatur, quia multa reminiscimur prorsus immaterialia, ut sunt objecta scientiarum, actus bonos vel malos, etc., recognoscendo nos illa olim cognovisse. Atqui haec recordatio propria est memoriae, nec potest tribui sensitivae. Ergo intellectivae: quae proinde negari nequit, nisi fiat quaestio de voce.

---

(1) S. Thom., 1 p., quaest. 79, art. 6, ad 2.um; *de verit.*, quaest. 10, art. 2. Cfr. Complutens. Carmelitani *(de anim.*, disp. 19, quaest. 1), Joann. a S. Thoma *(de anim.*, quaest. 10, art. 6).

(2) Vide Suarez, *de anim.*, lib. 4, cap. 10, num. 4; Rubio, *de anim.*, lib. 3, cap. 5 et 6, tract. *de actu intellectus possibilis*, quaest. 5, dub. 2.um

(3) Vide Mastrium, *de anim.*, disp. 6, quaest. 4, art. 1, num. 77; Duspasquier, *de anim.*, disp. 13. quaest. 11.

(4) Vide S. Thom., *de verit.*, quaest. 10, art. 2; 1 p., quaest. 79, art. 6; *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 74. Cfr. opus fusius, volum. 5.°, num. 289.

(5) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 79, art. 6, ad 2.um

Verum probatur etiam memoria objectorum materialium singularium. Aliud enim est non dari eorum *directam* memoriam secundum circumstantiam determinati temporis, et aliud non dari ullatenus memoriam. Ergo sicut datur vere ac proprie intellectualis cognitio singularium, licet indirecta, ita etiam asserenda omnino est intellectualis memoria objectorum materialium praeteritorum, prout talium. Ad hoc enim munus intellectus, satis ducitur phantasia associatione.

Et confirmatur ex memoria, quae in sacris Litteris (3) tribuitur animabus separatis, quae carent prorsus anima sensitiva, utpote quae organo eget.

229. **Caeterum certum est memoriam re non distingui ab intellectu,** quia memoriae actus nihil addit primae cognitioni praeter circumstantiam praeteriti, ob quam solam profecto non est obtrudenda nova facultas realiter distincta (4).

De conscientia psychologica.

230. Ideo ad conscientiam psychologicam hic restringimus sermonem, quia moralem, quae dictamen practicum morum importat, quamque unice nomine conscientiae designabant veteres, ad moralis Philosophiae tractationem amandamus (5). Conscientiae vero psychologicae nomen quidem ignorabant veteres, rem tamen probe noverant, ac passim in suis argumentationibus usurpabant sub nomine *experientiae*, nam internam reapse implicat experientiam.

Conscientia, si pro actu sumatur, est *reflexa cognitio mentis, proprios actus seque ut eorum subjectum et principium apprehendentis* (6). Dari ejusmodi conscientiam in homine, notum omnibus est. Objectum ejus sunt actus et phaenomena interna, et consequenter animus noster, atque adeo ipsum compositum humanum. Non enim cognoscimus actus et phaenomena ita in abstracto, sed concrete prout sunt hic et nunc, et sic conscii sumus simul, *cujus*, illa sunt, et *in quo* et *a quo*, et sic etiam eorum ope cognoscitur a nobis anima nostra. Non tamen omnia phaenomena interna per conscientiam cognoscuntur, sed tantum ordinis cognoscitivi et appetitivi, **nam** phaenomena vegetativi ordinis, nisi forte perturbate fiant, et sensum interni tactus et sensus communis afficiant aciem conscientiae praetereunt.

---

(1) Vide v. g. Complutens. Carmelit., loc. cit.; et Franciscum Sylvium, in 1.^{am} part., quaest. 79, art. 6, conclus. 3.^{a} et 4.^{a}

(2) Ita Liberatore, Tongiorgi, Palmieri, Mendive, Van der Aa.

(3) *Sapient.*, cap. 5, vers. 2 seqq.; *Luc.*, cap. 16, vers. 22 seqq.

(4) Cfr. Fröbes, t. 2.°, pg. 131-181: et ad praxim plura utilia sunt, v. g., ea quae de falsa recognitione habentur; quis arbitratur se vidisse quae non vidit, se habuisse consensum quem non habuit. Lege quoque Lindworsky (trad.) pag. 273, 284.

(5) Vide, si lubet, S. Thom., 1 p., quaest. 79, art, 13. Cfr. 2.° dist. 24, quaest. 2, art. 4; *de verit.*, quaest. 17, art. 1.

(6) Cfr. Compend., volum., 1.^{um}, num. 325, 330,

Ad conscientiam quoque revocatur cognitio propriae personalitatis, quae per vocem *Ego* significatur, et exprimit proprium subjectum nostrum, non animam solam, sed compositum ex anima et corpore, nam totum hoc cognoscitur quoad existentiam advertendo actus et phaenomena interna, passiones et varias, quae nos tangunt, afectiones. Hinc

231. **Explosum manet insanum Herberti Spencer assertum** negantis posse a nobis cognosci propriam personalitatem (1). Nam et luce meridiana clarius est, conscientiam unicuique testari suam personalitatem, cum refert proprium *Ego*, et non minus evidenter patet, conscientiae testimonium in suis judiciis esse verissimum atque infallibile (2).

Nec dicas cum Spencero idem non posse esse subjectum simul et objectum, prout foret, si posset homo se ipsum suamve personalitatem cognoscere. **Quid enim vetat**, idem re esse subjectum et objectum sub diverso respectu? Immo vero ad perfectionem spectat potentiae intellectivae posse attingere quidquid intelligibile est, quale profecto est subjectum intelligens. Unde Deus, perfectissime intelligens, non modo se cognoscit, sed est essentialiter purissima sui ipsius cognitio. Commune omnibus actibus est per eos affici subjectum.

Hujus realitas est objectiva sicut realitates objectorum cognitione carentium. Noster intellectus ergo sicut per conscientiam attingit realitatem subjecti cogitantis, attingit quoque per judicia sua realitatem seu veritatem objectivam (3).

232. **Conscientia**, **sumpta pro facultate**, **est** *virtus eliciendi ejusmodi actum*, modo descriptum. Si autem quaeras, utrum ista virtus vel facultas re distinguatur ab intellectu, respondendum est negative, quia nulla est ratio distinguendi, cum in amplitudine objecti intellectus contineatur cognitio reflexa propriorum actuum et ipsius subjecti cognoscentis. Quare conscientia, potentia, est ipse intellectus, quatenus regressus in se, proprios actus simul cum subjecto cogitante *immediate* ac sine ratiocinio cognoscit quoad suam praesentiam vel existentiam Quo actu conscientiae supposito, ratio inquirit ipsam naturam et conditionem ipsorum actuum et subjecti eos elicientis. Atque haec etiam est causa, cur quamvis conscientiae testimonium sit infallibile, ratiocinia vero eidem innixa possint dubia esse ac falsa, quia *ratio* falli potest circa *naturam* illius objecti, cujus *existentia* infallibiliter eidem proponitur a conscientia.

Caetera in Logica (4) et in opere fusiori (5): unum addo pro intelligentia vocum, nonnullos sensum intimum confundere cum conscientia directa (1), alios vero melius distinguere existimantes sensum intimum esse potentiam sensitivam. Immo vero jam superius notavi *sensus intimi* vocem quidem novam esse, rem vero esse idem ipsum, quod sensus communis (n. **137**).

---

(1) Spencer, *Les premiers principes*, 1.ère partie, chap. 3, num. 20, pag. 56 58.

(2) Cfr. Compend. volum. 1.um, num. 330, 334.

(3) Lege pulcherrimun caput *La conciencia del yo*, in Lindworsky. *Psicologia experimental* (trad.), pags. 284 290, ubi quaestiones modernas invenies.

(4) Vide Compend. volum. 1.um, num. 325, 330, 334.

(5) Volum. 5.°, num. 295.

CAPUT IV

Utrum intellectus sit facultas inorganica vel inmaterialis aut spiritualis.

233. **Sententia materialistarum.** Voces hujus tituli synonymae sunt in hac re omnesque, significant independentiam a materia in *esse*, vel quod intellectus non sit actus organi, nec per organum operetur: oppositum sonant materiale atque organicum, ut constat ex probatis circa naturam sensus. Negant intellectum esse facultatem spiritualem materialistae, secundum quos nulla est in rerum natura immaterialis entitas, intellectio vero est mera organi modificatio, fere sicut sensatio et quaevis materiae operatio; siquidem phaenomena omnia etiam vitalia et sensitiva atque intellectiva non sunt nisi transformationes evolutionesque materiales energiae. Pudendum hoc dogma a Leucippo, Democrito, Empedocle, Epicuro et Lucretio Caro traditum, et per multa saecula sepultum, iterum in scaenam produxerunt Hobbes, Tolland, Priestley, Helvetius, Mirabaud, d'Holbach, La Mettrie, Cabanis, Broussais; illudque sequuntur plurimi transformistae atque evolutionistae, ac positivistae, qui quamvis tantum profiteantur sciri a nobis non posse, utrum entitas spiritualis detur, practice tamen, saltem plerique, favent materialistis: in quibus eminent nostris diebus Herbertus Spencer, Büchner, Vogt, Moleschott, Virchow, Tyndall, Dühring, Häckel, Bois-Reymond, Löventhal aliique. Sane intellectio secundum Hartley est *nervea vibratio cerebri*, secundum Priestley *vibratio nervorum frontalium*, secundum Moleschott *motus* vel *transformatio materiae cerebralis*, secundum Cabanis et alios functio quaedam *intercranialis et secretio cerebri*, cerebrum enim inquiunt, secernit cogitationem *(segrega el pensamiento)*, sicut stomachus secernit succum gastricum, renes urinam ac jecur bilem, sicut scripsit Carolus Vogt. Spurea haec explicatio displicuisse videtur ipsi Büchner, cui magis arrisit intellectionem reponere in quadam phosphorescentia vel reactione phosphori in cerebro contenti: unde etiam illa Moleschotti sententia: *Sine phosphoro nulla possibilis est intellectio.* Demum Schopenhauer docuit intellectum esse instar scabiei vel rubiginis cujus-

---

(1) Cfr. Compend. volum. 1.^{um}, num. 325.

dam cerebro innacentis in indefinito illo progressu evolutionis, qua sese *Voluntas mundi* jugiter explicat. Scilicet cum *Voluntas,* prout somniatur hic scriptor, ad gradum animalis in sua evolutione pervenisset, novo nisu ad ulteriorem progressum id tandem obtinuit, ut cerebrum nescio qua rubigine ac velut phosphorescentia afficeretur, quam intellectum nominamus (1).

234. **Vera sententia et status quaestionis.** Adversus portentosam istam doctrinam clamant uno ore christiani scriptores, qui censent intellectum esse potentiam spiritualem vel immaterialem atque inorganicam, id est *intrinsece* independentem a materia in existendo et operando. Duplex enim distingui potest independentia, *intrinseca* et immediata, directa vel elicitiva, vel tamquam ab organo aut instrumento ad intellectionem cooperante, et *extrinseca* et mediata vel tamquam a conditione necessario praesupponenda, ut exerceri operatio intellectus valeat. Itaque intellectus intrinsece independens est a materia secundum hanc sententiam ideoque spiritualis, quamvis extrinsece dependeat, et quidem tripliciter, *inchoative, concomitanter* et *objective. Inchoative,* quatenus ante intellectionem praecedere debet operatio sensus, ac nominatim phantasiae, quae organica profecto est, seu intrinsece dependens ab organo et materia; *concomitanter,* quatenus operatio imaginationis debet in hac vita comitari omnem operationem intellectus nostri; *objective* demum, quatenus phantasmata, seu objecta per imaginationem repraesentata, praebent intellectui objectum et materiam, circa quam ejus operatio versetur. Ejusmodi dependentia extrinseca, ut vides, non est directa et immediata, sed mediata et indirecta similisque dependentiae, qua pictor dependet a ministro praeparante ac porrigente colores, ut ipse solus pingat; sicut e converso intrinseca dependentia est directa et immediata et similis dependentiae, qua pictor dependet a penicillo seu instrumento suo, sine cujus efficiente concursu impossibile est actionem pingendi exercere. Intellectus ergo non pendet a corpore vel materia tamquam ab organo vel intrinsece, sed tamquam a pura conditione seu extrinsece modo declarato, id est, inchoative, concomitanter, objective (2).

---

(1) Cfr. de systemate Schopenhaueri opus fusius nostrum, volum. 3.°, num. 41. Cfr. Lange *Geschichte der Materialismus.* (Leipzip, 1875.) Oesterreich in *F. Ueberwegs Grundris der Geschichte der Philosophie* (t. 4.° Berlin, 1915). Klimke, S. J. *Institutiones Historiae Philosophiae.* (Romae, t. 2.°, a. 1923) pag. 143-201. Dominguez, S. J. *Historia de la Filosofia.* (Santander, 1922), pag. 286 292.

(2) Cfr. volum. 5.um, fusioris operis, num. 7, 8. Nota ergo non esse idem dependere ab organo et dependere ab entitate materiali: spiritualitas intellectus excludit dependentiam ab organo, quia potentia accidentalis nequit inhaerere organo, si spiritualis est. Non autem excluditur illico ad intelligendi actum dependentia ab actu phantasiae,

Ratio tractationis. Ut res tanti momenti pro dignitate pertractetur, tria investiganda assumpsimus: 1.°, utrum materialistae opinionem suam demonstrent; 2.°, utrum e contrario spiritualitas intellectus sufficienter evincatur; 3.° qualis dependentia extrinseca ab organo sit in intellectuali operatione.

ARTICULUS I

Materialistarum argumenta exploduntur.

235. Propositio 1.ª **Certo certius est, materialistas doctrinam suam circa intellectus materialitatem non demonstrare.**

Prob. 1.° Argumenta, quibus nituntur materialistae, probant quidem *aliquem* concursum organi in intellectionem et aliquam vicissim dependentiam intellectus ab organo in sua operatione. Atqui ex hoc solo non infertur logice, intellectum esse potentiam organicam aut materialem. Nam ut esset ejusmodi potentia, deberet dependere non utcumque, sed intrinsece ac tamquam ab organo, et organum pariter deberet concurrere ad intellectionem non remote atque instar purae conditionis, sed instar verae causae instrumentalis, intellectionem simul cum potentia intellectiva perficientis, sicut ostendimus organum perficere sensationem. Ejusmodi vero concursum organi nec demonstrarunt hactenus, nec demonstrabunt in aeternum materialistae.

Prob. 2.° Verum probatio haec explicanda et confirmanda est revocatis ad trutinam praecipuis materialistarum argumentis. Sit itaque

236. **Argumentum primum.** Organica et materialis est illa potentia, quae ab organo materiali dependet. Atqui talis est intellectus noster. Nam α) compertum est eos, qui organo aliquo carent, intelligere non posse objecta illa, quae per virtutem sensitivam organo illi affixam percipiuntur: sic caeci colores nesciunt, nec surdi sonos cognoscunt. β) Item pueri, donec ac certam aetatem adoleverint, ut cerebrum convenientem dispositionem obtineat, rationis usu privantur; e converso senes, deficiente vigore organorum sensitivorum, pariter deficiunt in intelligentia. γ) Affecto, laeso vel perturbato cerebro, cessat illico intellectio, ut in dormientibus et lethargo oppressis, vel certe plus minus perturbatur, ut in ebriis, delirantibus et amentibus. Quo spectant etiam perturbationes rationis, quas in hominis intelligentia pariunt quaedam substantiae, ut v. g. opium, haschish, morphina et alcohol. δ) Accedit, quod, teste intimo sensu, actus intellectionis in capite fiat: quare experimur caput studendo defatigari, et combustiones physiologicae in cerebro intensius exercentur, et elementa ejus histologica majorem explicant activitatem, quamdiu durat labor mentalis. ε) Denique nulla operatio intellectualis fit in nobis sine phantasmate, quandoquidem ipsa immaterialia

---

siquidem hic non est subjectum cui inhaereat potentia intellectualis neque intelligendi actus quamvis sit concausa efficiens speciei intelligibilis impressa.

sensibilibus vestimus imaginibus. Unde etiam quo perfectior et vividior est sensatio atque imaginatio, eo clariores sunt intellectuales cognitiones. Atqui haec aperte produnt intellectus dependentiam ab organo. Ergo...

Respondeo, *disting.* Major. Organica est potentia, quae ab organo materiali dependet intrinsece, immediate atque elicitive seu tamquam ab instrumento suae operationis (n. **234**), *conc.;* quae dependet extrinsece dumtaxat et mediate, at tamquam a pura conditione, vel tamquam ab objecto, *neg.* Et *contradist.* Minore, *nego* conseq (1).

Probatio α) solum evincit dependentiam extrinsecam et tamquam a subministrante objectum; jam enim conceditur intellectum inchoare non posse suam operationem nisi circa objecta vel materiam exhibitam ab aliquo ex sensibus, sicut pictor non potest pingere nisi cum coloribus, qui sibi praesto adsint. Unde si careat colore v. g. purpureo, non poterit illum repraesentare, non quia color ipse efficienter pingat, sed quia materiam suppeditat et distingue organum phantasiae ab actu phantasiae. Non organum sed actus phantasiae exhibet objectum intellectui. Praeterea negat factum: caecos non habere ideas intellectuales (abstractivas) de coloribus (2).

Nec magis probat intrinsecam dependentiam, sed tantum extrinsecam, probatio β). Sane si intellectus dependeret a cerebro tamquam ab organo efficiente intellectionem, non posset explicari, cur puer non statim a primis annis intelligeret, sicut sentit et imaginatur et quidem vividissime. Phaenomenum ergo istud melius declaratur, et omnino sufficientissime, per dependentiam extrinsecam. Si enim intellectus non potest intelligere, nisi sensus et imaginatio praebeant materiam, plane sequitur illum non posse actum suum ponere, vel certe non ordinate ac convenienter, donec imaginatio suppeditet apta phantasmata. Unde

Ad probationem γ) similis reddenda est responsio. Sicut enim pictor, si careat coloribus, vel colores habeat confusos ac penitus permixtos, aut non potest omnino, aut nonnisi male pingere, non quidem ex defectu intrinseco suae artis et virtutis, sed ex defectu extrinseco materiae, ita etiam qui cerebro laborat laeso vel perturbato, aut non intelliget, aut intelliget perturbate, sicut solent amentes ac delirantes.

Distinguo itaque assert. Laeso, affecto aut perturbato cerebro, cessat intellectio, vel certe perturbate peragitur, indirecte ac per defectum extrinsecum intellectivae potentiae, *conc.;* directe ac per defectum intrinsecum et proprium ejusdem, *neg.*

Ad probation. δ) *disting.* assert. Teste intimo sensu intellectio fit in capite, etc., propter concomitantem actum imaginationis, cujus organum est cerebrum, unde fit, ut in eo perficiantur combustiones physiologicae ac defatigatio capitis sentiatur, *conc.;* propterea quod ipsa formalis intellectio per organum exerceatur, *nego,* donec probetur, quia phaenomenum perfectissime declaratur propter solam activitatem et laborem imaginationis concomitantis actum intellectionis.

Ad probation. ε), *conc.* Major., *disting.* Minor. Haec aperte produnt dependentiam intrinsecam ab organo, *neg.;* extrinsecam *concedo*. Quod immaterialia cogitantes, phantasmata procudamus solum probat simultaneam operationem duplicis distinctae potentiae in nobis, intellectus et imaginationis (n. **234**). Cum enim ambae potentiae radicentur in eadem anima, dum intellectus incorporea cogitat, phantasia proponit imagines corporeas, ex quarum analogia intellectus juvetur ad attendendum et melius apprehendendas rationes immateriales. Si vero, ut jam monuimus (n. **234**), imaginatio materiam et objectum offert intellectui, et si ex inferius probandis ipsa phantasmata imaginationis instrumentaliter concurrunt cum intellectu agente ad abstrahendas species intelligibiles, planum est perfectiorem fore intellectionem, caeteris paribus, quo perfectior et vividior est sensatio et imaginatio, fere sicut ipsae sensationes perfectiores sunt, quo clarius est objectum sensibile illarum.

---

(1) Cfr. S. Thom., 1 p., quaest. 75, art. 2, ad 3.um

(2) Cfr. Psychologiam caecorum in Fröbes, t. I, pag. 371.

237. **Argumentum secundum.** Non solum corpus et cerebrum influit in intellectionem, sed etiam intellectio vicissim in corpus et cerebrum influit: unde ex intellectione saepe consequuntur etiam graves corporis alterationes et commotiones, immo et morbi. Atqui haec facile explicantur, si supponatur, intellectionem esse operationem corpoream functionemve organicam; secus vero, si ea sit operatio spiritualis. Ergo...

Huc revocatur argumentatio illa, qua materialistae utuntur: Phaenomenum illud, cujus antecedentia et consequentia sunt materialia, materiale dicendum est. Atqui antecedentia et consequentia intellectionis sunt materialia. Ergo materialis est etiam intellectio.

Solutio est eadem. Ad primum *dist* 1.am partem Majoris. Corpus et cerebrum influit immediate, directe atque elicitive in intellectionem *neg.;* mediate indirecte atque instar conditionis, *conc.* Et *contradist.* Minoris 1.am partem.

2.am vero partem Majoris *concedo*, *nego* Minorem. Quod enim ex intellectione consequantur quidam effectus, optime explicatur, quin intellectus et imaginatio ipsa sit materialis. Cum enim et intellectus et imaginatio vel phantasia in eadem anima radicentur, et simul operentur, ex duplici modo explicari potest phaenomenum istud corporearum alterationum, primo ex redundantia partis spiritualis in corpus propter intimam unionem et inde consequentem influxum mutuum inter animam et corpus, ac deinde ex concomitante operatione phantasiae, unde pronum est, et corpus, si vehementior illa fuerit, varie afficiatur atque alteretur.

Ad alterum *dist.* Majorem: phaenomenum illud, cujus *omnia* antecedentia sunt materialia, materiale dicendum est, *transeat;* cujus non omnia antecedentia sunt materialia, *nego*. Et *contradist.* Minore *neg.* conseq. Unum enim ex antecedentibus intellectionem est virtus ipsa vel principium intelligendi, quod ostendimus ab omni sensu diversum esse (n. **180**). Undenam vero aut quando probasti principium istud esse materiale? Praecise hoc versatur nunc in quaestione.

238. **Argumentum tertium.** Intelligentia servat proportionem, sive in homine sive in animali. cum volumine, pondere, forma cerebri, ac numero et profunditate cerebralium circumvolutionum, et numero ac conditione nervearum cellularum substantiae cinereae *(gris)*, prout asserit Moleschott, Topinard aliique. Idem Moleschott et Feuerbach vim vigoremque intellectualem contendunt servare proportionem cum phosphoro, cerebri constitutionem ingrediente; Moleschott enim

statuit magnum ingenium abundantiae phosphori, dementiam excessui, defectui hebetudinem deberi. Ergo cerebrum habendum est organum intellectionis.

Respond., *disting.* Intelligentia in homine *(nego* enim suppositum, quod ea detur in animali) proportionem servat, etc., semper, *neg.;* interdum, *subdist.:* per accidens, propterea quod volumen, pondus et forma, etc., conferre valeat ad meliora producenda phantasmata, unde species intelligibiles perfectiores abstrahantur, vel etiam ad aptius organismi temperamentum constituendum, ut sic animus melius exserat virtutem suam intellectualem, *conc.:* per se, quasi cerebrum vel aliqua ejus pars intellectionem efficiat, *neg.* Et *neg.* consequens.

Occasione hujus materialistarum dogmatis, multae factae sunt experientiae circa volumina et pondus, formam et structuram cerebri in diversis hominum stirpibus, aetatibus, sexibus, vitaeque conditionibus, et multi concinnati sunt catalogi, quamvis sive propter variam mensurandi experiendique metodum, sive propter alias causas, nec sit uniformitas in hisce catalogis, nec certa iisdem fides adhibenda sit. Nihilominus plura in illis continentur inventa, quae objectionem hanc penitus destruunt. Et in primis

2) **Quod pondus attinet volumen,** in adulta aetate pondus medium humani cerebri secundum aliquos est circiter 1.400 grammorum, secundum alios 1.350, vel 1.310, vel etiam 1.287. Foeminae paulo leviori potiuntur cerebro. Aetas, in qua maximum attingere pondus dicitur cerebrum est inter 14 et 20 annos. Jam secundum materialistas majori cerebri pondere deberent esse stirpes cultae, quam barbarae, ac generatim homines hujus saeculi, cum lectiorem attigisse dicuntur ingenii morumque cultum, quam homines superiorum saeculorum; itemque majori homines ingeniosi, sapientes, litterati, quam rudiores, hebetes, fabrilibus operis dediti. Atqui e converso populi Esquimalium, Neozelandorum, Africanorum, etc., non minori, quin potius majori, deprehenduntur pollere cerebri pondere, quam europaei; idemque dicendum ut de hominibus *aetatis lapideae* respectu recentiorum. Praeterea inter fabros reperti sunt, quorum cerebrum majus esset ac ponderosius cerebro ipsius Georgii Cuvier, quod ponderasse dicitur 1.831 grammos: nec defuit inter ipsos hebetes *(idiotas)*, cujus cerebrum mensuram mediam excederet, videlicet grammos 1.530. E converso alii litteris laboribusve mentalibus dediti cerebrum gesserunt levius, quam cerebrum medium foeminarum et ipsorum hebetum quod ponderat circiter 1.190 vel 1.200 grammos: exemplo sit vir politicus et praeses gallicae reipublicae, Leo Gambetta, cujus cerebrum aequavit tantum 1.160 grammos ponderis, et alii quoque, ut nobilis mineralogista Haussman, anatomista Tiedemann, etc., infra mediocritatem haeserunt.

Si jam hominem cum brutis animantibus compares in pondere cerebri, homo, si ponderis absoluti ratio habetur, vincitur a balaena (2.500 gr.), delphino (2.800 gr.) et elephante (3.000 gr.); si vero ponderis relativi cerebri respectu ponderis corporis totius, vincetur a quibusdam aviculis, a simio *ouistiti*, cato et aliis animantibus. An ideo contendes hominem ingenio cedere illis, sicut cedit pondere cerebrali? Quare fatentur viri naturalium scientiarum peritissimi, ut Broca. Paulus Bert aliique, intelligentiam aestimari ex cerebri pondere non posse.

β) **Formam cerebri** requisierunt multi cum Bichat symmetrice aequalem in utraque hemisphaera cerebrali, ut possit intellectus rite operari. – Verum res jam certa est atque explorata, hemisphaeras cerebrales raro esse perfecte aequales, inaequalitatemque illarum nequaquam obstare perfectissimo mentis exercitio; immo vero quamvis altera ex hemisphaeris laesa plus minus sit aut etiam penitus enervata (*atrofiada*), dummodo altera sit integra, posse intellectum egregie cogitare, ut vel proprio exemplo demonstravit mortuus ipsemet Bichat, cujus una ex hemisphaeris sic enervata reperta est.

γ) **Non minus certum est, numerum et profunditatem circumvolutionum** nihil reapse conferre per se ad vigorem virtutis intellectualis, siquidem constat homines etiam ejusdem conditionis multum variare in circumvolutionibus; et quamquam hebetes generatim parvis gaudeant circumvolutionibus, idem quoque accidit nonnullis ingeniosis viris. Quare fatentur multi non totam istarum circumvolutionum materiam ad intellectionem influere, adhuc tamen contendunt hujus operationis sedem reponendam esse in aliqua illarum parte, nempe in *lobis* frontalibus, ut vult Topinard, qui, cum grandiores sunt, frons altior eminet, cum autem tenuiores, frons quoque depressam et obliquam accipit formam: unde factum est, ut vulgo frons eminentior praeclarioris ingenii signum habeatur. Alii, ut lipsiensis Neumann intelligentiam mavult *lobis* occipitalibus affigere. Verum hae quoque

δ) **Sententiae in lobis, sive frontalibus sive occipitalibus,** organum intellectionis reponentes eadem experientia refutantur, quae docet majorem praedictorum loborum evolutionem aeque cerni in rudibus et hebetibus, minorem in sapientibus et ingeniosis.

ε) **Qui ad nerveas cerebri cellulas in cinerea** (gris) **substantia sitas confugiunt**, putant virtutem intellectivam pendere a quantitate vel a qualitate hujusmodi substantiae corticalis, ex qua constant superiores cerebri circumvolutiones.—Verum id perinde est, ac latebras quaerere, ac divinare potius, quam ratiocinari. Quantitas enim cinereae substantiae, ut norunt Physiologi, variat non solum in diversis individuis, sed etiam in diversis ejusdem circumvolutionis partibus. Demum

ζ) **Quod phosphorum attinet**, alii, ac nominatim Frémy, analysi chimica cerebrorum instituta, doctrinam Moleschotti et Feuerbachi falsam deprehenderunt; neque enim in dementium cerebris minus phosphori repererunt, quam in aliis; immo vero cerebrum inferiorum animalium, ac nominatim piscium, dicitur phosphoro abundare (1).

239. **Argumentum quartum.** Quis porro sibi persuadeat, eam facultatem vel operationem esse immaterialem, quae per actionem materialium agentium non minus perturbatur, quam ipsae facultates sensitivae, ac vicissim ope materialium remediorum in pristinum ordinem restituitur? Atqui talis est intellectus et ejus operatio; siquidem sola intestinalis tubi affectio, ex residuis digestionis procedens, sufficit ad perturbandam delirio rationem, quae mox, purgato ventre, rectum virtutis suae usum recuperat. Ita fere Ferrière (2).

Respond.; *dist.* Major. Non est immaterialis facultas vel operatio, quae per actionem materialium agentum perturbatur, vel sanatur directe, per se atque immediate, *conc.;* quae perturbatur, vel sanatur mediate solum, indirecte ac per accidens, propterea nimirum quod perturbatur, vel sanatur alia potentia organica, sine cujus recto usu et integro statu prior illa facultas functiones suas rite exercere non potest, *neg*. Et *contradist.* Minore, *neg*. conseq.

---

(1) Haec fusius explicata et Physiologorum testimoniis confirmata videri queunt in alio opere, volum. 5.°, num. 10, *Argumentum 3.um*

(2) *La vie el l'âme*, pag. 214-217. Cfr. idem, *L'âme est la fonction du cerveau*, tom. 1, pag. 209.

240. Argumentum quintum ex *Physiognomiae* ac *Craniologiae* vel *Cranioscopiae*, quam etiam *Phrenologiam* vocant pronuntiatis. α) Physiognomia est ars cognoscendi mores hominum et ingenia ex corporis vultusque lineamentis. Qua in re, omissis veterum praeceptis, batavus Camper intelligentiam docet in animalibus servare proportionem cum faciali angulo. Ex quo concludi solet, gradum intellectualis virtutis a praedicto angulo vel a cerebri volumine frontem versus dependere, ac proinde organicam illam esse. β) Phrenologia primum a Gall et Spurzheim, mox ab aliis defensa, conatur investigare singulorum hominum ingenitas propensiones morales aptaque ad diversas scientias ingenia, inspecta cranii externa conformatione variisque ejusdem hac illac sparsis tuberibus ac depressionibus, putabant enim externam hanc internae cerebri conformationi adamussim respondere. Unde varietatem propensionum et ingeniorum, quae in diversis individuis pro varia ista cranii conformatione detegitur, tribuebant diversis cerebri partibus diversimode conformatis, tamquam totidem organis variarum propensionum ingeniorumque.

Respond. ad α) veram non esse regulam illam anguli facialis frontisque vel eminentis vel depressae, sed experientiae saepe contrariam, ut nuper jam diximus (n. **238**, γ δ).

Respond. ad β) artem istam phrenologicam communiter jam desertam esse. Primo enim falso nititur supposito, nimirum externam superficiem exhibere formam ipsius cerebri: id quod verum est de interiori cranii superficie, non vero de externa.

Praeterea externa superficies vix potest idoneum praebere fundamentum ad varia organa propensionum et aptitudinum distinguenda: unde etiam varius eorum a phrenologis assignatus est numerus in diversis temporibus. Denique licet omnia Phrenologiae praecepta forent vera, nihil adhuc probarent. Ratio enim, cur ii qui certam cranii conformationem haberent, essent ingeniosiores, posset esse, non quod cerebrum vel ulla ejus pars sit organum intellectus, sed tantum quod sit organum imaginationis, perfectio enim imaginationis confert immediate ad meliora efficienda phantasmata, mediate vero ad melius intelligendum, quia quo clariora et vividiora sunt phantasmata, species potiores abstrahuntur, et sic perfectio est intellectio. Et similiter etiamsi admitteretur, certas partes cerebri esse vere sedes diversarum propensionum moralium, dici posset, illas esse organa totidem passionum vel affectuum non voluntatis, sed appetitus sensitivi, qui organicus est ac re distinctus a voluntate. Sicque tandem ex Phrenologia, etiamsi vera forent omnia ejus asserta, hoc unum sequeretur, imaginationem et varias sensitivi appetitus passiones in diversis organis *localizatas* esse: ex quo profecto nullatenus sequitur materialitas intellectus (1).

---

(1) Quaedam alia videri possunt in opere fusiori, volum. 5, num. 10.

ARTICULUS II

Statuitur spiritualitas intellectus.

Probanda est sententia catholicorum (n. **234**), secundum quam intellectus noster, qnamvis in hac vita dependentiam aliquam a materia vel organo habeat, non tamen est potentia organica vel materialis, sed spiritualis, quia non intrinsece atque elicitive pendet ab organo.

241. Propositio 2.ª—**Licet intellectus humanus in hac vita nequeat operari sine aliqua dependentia a materia et organo nihilominus est facultas inorganica et immaterialis seu spiritualis.**

Loquimur de intellectu in hac vita, videlicet quamdiu durat hic status unionis animae cum corpore. Quo autem modo anima separata a corpore intelligat, alibi investigandum erit.

Prima pars: *Intellectus humanus in hac vita nequit operari sine aliqua dependentia a materia*, probatur. Proprium enim est intellectus nostri in hac vita, ut, *saltem ordinarie* (1), nihil intelligat, nisi praevia sensus externi operatione ac concomitante phantasmate vel imagine phantasiae. Atqui sensatio et imaginatio sunt operationes organicae, arguuntque virtutem ac potentiam organicam, ut probatum in superioribus est (n. **128**). Ergo...

Prob. Major. experientia. α) Qui sensu aliquo externo carent, v. g., visu, auditu..., non possunt intelligere, vel non habent ideas proprias objectorum, quae sensu illo percipiuntur, vel solum per quamdam analogiam ad aliud agnoscunt illa. Ergo intellectus dependet inchoative a sensu, atque adeo ab organo. β) Intellectus impeditur etiam ab actuali consideratione illarum rerum, quas olim didicerat, et habitu scit, per solam organi laesionem, itemque intellectio penitus cessat, ut in somno, v. g., et lethargo, quando interni sensus, imaginatio et memoria nequeunt operari. γ) Experimur demum, quod dum spiritualia intelligimus, animo versamur phantasmata quaedam corporea vel sensibilia, analogiam habentia cum spirituali objecto; ut cum cogitamus Deum, imaginem nobis exhibemus regis venerandi in lucidissimo throno sedentis, quae videtur phantasiae operationi deberi, ac distincta prorsus esse ab ipso formali actu intellectionis, siquidem per illum plane novimus Deum non esse praecise talem, qualis repraesentatur illo phantasmate, sed longe perfectiorem et omnino incorporeum. Ejusmodi phantasmata sunt instar exemplorum, quibus res difficiliores curamus nobis declarare corporeorum analogia; iisdemque utimur interdum exemplis ad declarandas rudibus res abstrusiores; alias vero cum non suppelunt ejusmodi exempla, dum intellectus insensibilia cogitat, coram propositum habet phantasma vocabuli, sive scripti sive ore prolati, quo illa significantur (1).

---

(1) Utrum autem *possit absolute* intelligere aliquid sine praevia et concomitante sensus operatione, patebit in sequenti articulo.

Totam hanc probationem egregie declarat S. Thomas (2). Rationem vero a priori hujus partis propositionis reddemus in sequenti articulo.

242. **Verum ergo est intellectum pendere ab organo vel a materia** *inchoative* et *concomitanter* (n. **234**): unde solemne est illud Scholasticorum effatum: *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*, videlicet *aliquo modo*, saltem occasionaliter, et secundum primum et radicale excitamentum vel semen, ut ita dicam, suarum inquisitionum; quia primas cujuslibet rei ideas non habemus nisi abstrahendo species a sensibilibus, ut mox declarabitur, postea vero rationatione ac discursu multa cognoscuntur sensibus prorsus impervia

Pendet etiam intellectus ab organo vel sensu *objective* (n. **236**): quo spectant illae S. Thomae ac Scholasticorum cum Aristotele (3) locutiones: *Phantasmata sunt* **objecta** *intellectus* vel: *Intellectus dependet a phantasmate sicut* AB OBJECTO vel: *Phantasmata se habent ad intellectum sicut sensibile ad sensum*, aut *sicut colores ad visum* (4), et: *Intellectus intelligit speculando phantasmata*, vel *convertendo se ad phantasmata* (5). Quae omnes idem ferme significant, sicut sensus sentire nequit, nisi adsit sensibile objectum, cujus actione determinatur ad eliciendam sensationem, ita intellectum agere phantasmate coram proposito, ex quo abstrahat species intelligibiles, quibus determinatur ad intelligendum, quemadmodum inferius declarandum erit. Hoc tamen interest inter sensum respectu sui objecti sensibilis, et inter intellectum respectu phantasmatis, a quo tamquam ab objecto dependere dicitur, quod sensus percipiat objectum sensibile, puta colores, sonos, etc., intellectus vero, saltem in cognitione directa non percipit phantasma coram propositum, sed tantum abstrahit ab eo species per virtutem, quae dicitur intellectus agens, cujus operatio non est formalis cognitio, sed solum effectio specierum seu determinationum, quae necessariae sunt ad intellectionem peragendam (1). Verum haec omnia, quae jam nunc cognoscenda erant ad mentem Scholasticorum penitus intelligendam, postea plene declarabantur, cum sermo erit de modo, quo cognitio et intellectio peragitur (2). Quae cum ita sint,

---

(1) Cfr. S. Thom., *de memoria et reminiscentia*, lec. 2, paragr. *b* cum Aristotele ibid.; et 1 p., quaest. 1, art. 3, solut. 3.^{a}; 2.° dist. 23, quaest. 2, art. 2, ad 3.^{um}; et 1 p., quaes. 84, art. 7.

(2) 1 p., quaest. 84. Cfr. *de memor. et reminisc.*, lect. 2, paragr. *c*.

(3) Arist., *de anim.*, lib. 3, text. 30 et 39, cap. 7 et 8. Cfr. S. Thom., ibid., lect. 12, paragr. *c*, et lect. 13, paragr. *c*.

(4) S. Thom., loc. nup. cit.; et 3.° dist. 20, quaest. 2, art. 2, ad 2.^{um}; 1. 2.^{ae}, quaest. 50, art. 4, ad 1.^{um}; *de potent.*, quaest. 3, art. 9, ad 22.^{um}; quaest. *de anim.*, art. 1, ad 11.^{um}; *de verit.*, quaest. 10, art. 2, ad 7.^{um}, et art. 6, etc., etc.

(5) S. Thom., 1 p., quaest. 84, art. 7; quaest, 89, art. 1 et 2; 3 p., quaest. 11, art. 2; opusc. *de potent. anim.*, cap. 6, etc.

Patet quomodo intellectus *mediate, remote, indirecte* atque *extrinsece* dependeat a materia vel organo. Restat, ut videamus, utrum etiam *inmediate, directe, intrinsece* atque *elicitive* dependeat, et sic sit potentia organica.

243. **Secunda pars:** *Intellectus est facultas inorganica vel spiritualis.*

Prob. 1.° In qualibet facultate cognoscitiva requiritur proportio. *a)* Inter facultatem et eius obiectum formale, *b)* inter excitationem et obiectum cognoscendum, *c)* inter actum et obiectum attingendum.

Atqui si intellectus esset organicus non daretur haec triplex proportio habitudinis. Ergo intellectus nequit esse organicus.

Maior ex dictis hactenus de cognitione generatim et de cognitione sensitiva satis patet.

Minor ergo probanda. Si intellectus esset organicus *a)* non daretur proportio habitudinis inter facultatem eiusque obiectum formale. Quia obiectum formale intellectus est veritas, immutabilis quidem in primis principiis, v. gr. in principio contradictionis, in existentia Dei.

Functio vero facultatis organicae necessario est mutabilis et dependens ab organi actuali dispositione.

Atqui inter facultatem in functione sua intrinsece mutabilem et obiectum formale intrinsece immutabile nulla datur proportio habitudinis ideoque et ipsum principium contradictionis si a facultate organica attingendum esset quandoque verum quandoque falsum appareret. Ergo...

Cogita leges associationis automaticae etiam combinatoriae phantasiae: quam mutabiles sint: cogita variationes in sensatione colorum in collisionibus aut contentionibus colorum, etc.

b) Neque si intellectus esset organicus daretur proportio habitudinis inter excitationem et obiectum in cognitione repraesentandum. Quia excitatio esset organica et proin eiusdem generis ac excitatio functiones sensitivas determinans: obiectum vero repraesentandum saepe est spirituale seu immateriale positive, id est generice distinctum ac obiectum per sensationes cognitum. Atqui excitatio organica est proportionata ad cognitionem obiecti materialis: ergo nequit esse proportionata ad obiecti spiritualis cognitionem determinandam.

---

(1) Vide S. Thom., *de verit.*, quaest 2, art. 6. Cfr. cardin. Toletus, *de anim.*, lib. 3, quaest. 9. *In hujus declarationem...*

(2) Cfr. haec fusius explicata in volum. 5, num. 12.

c) Neque si intellectus esset organicus, daretur proportio habitudinis inter actum et obiectum cognitionis. Quia actus organicus procedit stimulis acceptis ad modum reactionis: obiectum vero attingendum saepe est objectum immateriale praecisive et proin attingendum per tendentiam abstractivam. Atqui talis tendentia abstractiva est prorsus diversa a tendentia reactiva: ergo si intellectus esset organicus non daretur proportio habitudinis inter actum et obiectum cognitionis.

Ideo intellectus solus percipit relationes quia relationes ut tales requirunt virtutem abstrahendi: ideo associationes phantasiae non dant aliam abstractionem quam separationem partium aut novam combinationem in obiecto extenso repraesentando, non autem separationem ideae universalis ab individuis.

Prob. 2.° Ex reflexione perfecta intellectus. Intellectualis reflexio non modo actus ceterarum facultatum etiam voluntatis sed etiam proprios actus stricte examinare potest. Atqui talis reflexio nequit esse facultatis organicae. Ergo intellectus est facultas inorganica.

Probatur minor: Quia talis reflexio ordinatur ut homo adquirendo plenam sui conscientiam, dominium actus (liberi) habeat, vitam debite componat et in idealem perfectionem tendat. Atqui facultas organica ex passiva organi conditione, neque plenam sui conscientiam, neque dominium actus, neque perfectiones ideales habet.

Nimirum reflexio intellectualis statim cuilibet homini cordato has duas gravissimas quaestiones proponit: undenam homo et quorsum homo tendit. Si homo est etiam penes intellectum et proin penes animam intrinsece dependens ab organo, hae quaestiones sunt inanes quia homo proveniret a materiae organizatione, et tenderet ad deorganizationem materiae et perfectio hominis tota esset in conservanda organizatione materiae. Sin autem homo penes intellectum est spiritualis et proin eius anima est spiritualis, eius origo in creatione immediata Dei radicatur et eius existentia vitam nunquam finiendam aspirat, et perfectiones ideales, morales, scientificas, religiosas diligit et quaerit; sicque illae quaestiones profundissimum sensum habent, et reflexio intellectualis rationem sufficientem retinet.

Prob. 3.° Ex cognitione linguarum. Solus enim homo inter corporea entia, ratione sui intellectus, linguas addiscit, et a sono vocum materiali, quem solum percipere valet organica potentia, transvolat ad res significatas. Immo saepe uno tantum audito vocabulo, plura cognoscimus, ut accidit, cum voces ambiguae aut aequivocae usurpantur sermone. Atqui hoc superat organicae potentiae capacitatem, tum quia in vocabulis sonus duntaxat est, quod organum modificare potest, atque ad actum determinare, non vero ipsae rationes significatae; tum quia in linguae intelligentia implicantur actus comparationis et perceptionis relationum, qui organicam facultatem transcendunt.

Prob. 4.° Organica potentia *corrumpitur ab excellenti sensibili* (quia vehementer operans in organum, illud laedit). *Intellectus autem non corrumpitur ab intelligibilis excellentia; quin immo qui intelligit majora, potest melius postmodum minora intelligere* (1). Non est ergo intellectus potentia organica (2).

244. Objic. 1.° Omnis potentia quae ad operandum movetur ab objecto materiali, materialis est atque organica, materia enim in spiritum agere nequit. Atquit intellectus movetur a corporeo objecto, nam percipit illud, nec percipere potest sine specie ac determinatione ab ipso corpore proveniente.

Respond., *disting.* Major.: si moveatur a corpore per actionem immediate exercitam in potentiam, *conc.*; si moveatur per actionem solum mediate exercitam, *neg.* Et *contradist.* Minor., cujus probation. *disting.*: intellectus non potest percipere corpus sine specie ac determinatione a corpore proveniente, et recepta in intellectu, *nego;* recepta in sensu, *conc.* et *neg.* conseq. Objecta enim corporea in sensus agunt, imprimendo illis *sensibiles* species, quo facto succedit sensatio externa et actus imaginationis circa illud objectum; ad praesentiam vero phantasmatis intellectus ipse abstrahit, vel efficit species alias *intelligibiles*, quae spirituales sunt, et per eas intelligit. Objectum ergo corporeum non movet immediate intellectum, sed sensum, eoque medio intellectum modo inferius declarando, cum de intellectu *agente* sermo erit.

Objic. 2.° Organica est facultas, quae est actus organi. Atqui actus organi est intellectus. Nam anima ipsa, cujus potentia est intellectus, est forma et actus corporis. Ergo a fortiori erit actus corporis intellectus, utpote qui est imperfectior, quam animae substantia.

Respond., *neg.* Minor., et probationis *neg.* conseq. Quamvis enim intellectus sit imperfectior, quam anima, tamen haec potest, ille non potest esse actus corporis. Quia cum anima sit forma substantialis, non ex eo quod materiam informet, fit ab ea dependens in *esse*, at intellectus quia est accidens, si materiam actuaret, eo ipso dependeret ab ea in *esse*, siquidem omne accidens ita dependet a suo subjecto (3).

Objic. 3.° Intelligere pertinet ad conjunctum, nempe ad hominem, non autem ad solam animam, quia homo dicitur proprie intelligere. Sed operatio conjuncti est organica, ut supra dicebamus de sensatione (n. 128), illam esse organicam utpote operationem conjuncti. Ergo...—**Respond.**, *dist.* Major. Intelligere pertinet ad conjunctum denominative, ac tanquam ad suppositum, *conc.;* elicitive, quasi organum efficeret intellectionem, sicut efficit sensationem, *neg.* Et *contradist.* Minore, *nego* conseq.

---

(1) S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 66. Cfr. ibid., cap. 82, *Praeterea sensus;* et *Compend. Theolog.*, cap. 79; lib. 3.° *de anima*, lect. 7, paragr. *e*.

(2) Quaedam alia et haec ipsa fusius evoluta videri queunt in volum. 5.° num. 13, ubi etiam (in paragr. *Probari quoque solet)* exponitur aristotelica probatio non parum controversa inter scriptores.

(3) Cfr. Compend., volum. 2.um, num. 327 et 331.

Objic 4.° Sicut in ipsa organismi fabrica cernitur magna varietas pro varia sensationum perfectione, longe enim praestant caeteris organis oculi et aures; ita suspicari licet organum aliquod ita affabre construi a natura posse ut intellectiones eliciat. Eo vel magis, quod non major est distantia et improportio inter organum et objecta immaterialia, quam inter quamlibet potentiam finitam, etiamsi spiritualis supponatur, et Deum. Atqui intellectus finitus infinitum ens, Deum assequi valet. Ergo et organum materiale potest immaterialia cognoscere.

Respond. ad primum, *neg.* assert., quia organum, quantumvis artificiose elaboratum, semper est materiale, ac proinde inhabile ad operationem intellectualem.

Respond. ad secundum, *dist.* Major. Non major improportio ac distantia entitativa est inter, etc., *conc.;* distantia et improportio objectiva intentionalis, *neg.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq. Distantia in perfectione entitativa major est inter intellectum finitum et Deum, quam inter materiale organum et intellectionem, non vero improportio objectiva, si sermo sit de cognitione abstractiva et discursiva Dei, quam experientia ipsa scimus dari; nec mirum, quia sunt plura entia finita, quae cognoscimus, et ex illis ratiocinatione ad causam primam assurgere difficile non est. Si autem sermo esset de cognitione Dei intuitiva, non potest illa naturaliter ab ullo finito intellectu haberi, quia sicut immaterialia non possunt percellere organum, ut a potentia organica percipiantur, ita nec Deus movere intellectum quia ob infinitam suam perfectionem transcendit omnem capacitatem cognoscitivam cujuslibet finitae virtutis.

Objic. 5.° Improportio materiae ad intelligendum non probatur. α) Primo quia Deus omnipotens est. Ergo potest materiam virtute intelligendi donare. β) Sicut enim Deus conjunxit animam rationalem cum materia, cur non potest facultatem intelligendi cum eadem conjungere? γ) Accedit, quod essentia materiae ignota nobis est. Ergo temere asseritur inter proprietates ejus non numerari posse facultatem cogitandi. δ) Denique sunt in materia proprietates, quae nec extensae sunt, nec divisibiles, ut gravitas, vis motrix, vegetatio, sensatio. Poterit ergo ei competere vis cogitandi, quamvis sit simplex et immaterialis.

Respond., *neg.* assert. **Ad probat.** α) *neg.* conseq: quia omnipotentia non se porrigit ad ea quae repugnant.

Ad probation. β *neg.* conseq. et paritatem ex nuper dictis (in respons. ad *Objic. 2.°)*, quia si potentia intelligendi, quae accidentalis est, conjungeretur cum materia, eo ipso dependens fieret ab ea, ac desineret spiritualis esse, quia naturale accidenti est dependere in *esse* a subjecto, satis autem ostensum est potentiam istam spiritualem esse. Anima vero rationalis non redditur dependens in *esse* propterea quod materiae uniatur, ut magis declarabitur suo loco.

Ad probation. γ) *dist.* anteced. Essentia materiae ignota nobis est quoad aliqua, *trans.;* penitus nobis ignota est, nominatim quantum satis es ad litem praesentem dirimendam, *neg.* Jam enim novimus materiam de se esse puram potentiam, omnis expertem activitatis (1), nec ex se habere ullam virtutem ad actus vitales, etiam organicos, eliciendos, sed eam accipere a forma realiter distincta.

Ad probation. δ) *neg.* anteced. et conseq., quia gravitas et reliqua in antecedenti contenta extensa sunt ac divisibilia. Et quamvis forent simplicia, non repugnarent materiae, quia sunt materialia; sed virtus intelligendi est immaterialis, ut probatum manet, nec proinde materiae convenire potest sine contradictione, quia eo ipso fieret materialis (1).

---

(1) Cfr. Compend., volum. 3.^{um}, num. 239.

III.—Discrimen inter intellectum et sensum.

245. Ex hactenus dictis sponte sequuntur differentiae inter intellectum et sensum.

1.ª differentia essentialis ac caeterorum radix: intellectus est potentia inorganica vel spiritualis, organica et materialis sensus.

2.ª differentia: sensus in omnibus animalibus reperitur, intellectus solum in rationali seu homine.

3.ª differentia: sensus non est cognoscitivus nisi singularium, intellectus etiam universalium.

4.ª differentia: sensus se extendit ad corporea objecta, intellectus etiam ad incorporea et immaterialia.

5.ª differentia: nullus sensus se ipsum cognoscit nec suam operationem, intellectus vero se suamque operationem cognoscit.

6.ª differentia: sensus corrumpitur ab excellenti sensibili, v. g. oculus a luce nimis vivida, auris a sono fortissimo; secus vero intellectus.

ARTICULUS III

Quanta sit intellectus humani a sensu dependentia in hac vita, et quaenam illius radix.

246. **Variae sententiae.** Putavit Plato ejusque asseclae intellectum ad inchoandas cognitiones suas egere sensibus, non per se, sed per accidens, in quantum scilicet per sensationem debeat quodammodo excitari ad rememorandum quae prius novit, et quorum scientiam naturaliter insitam habet (2). Arbitratus enim est Plato, animas humanas creatas fuisse, antequam corporibus infunderentur, et in eo statu intelligere omnia potuisse per species innatas; postea vero quam corporibus unitae sunt, ita corporum pondere gravatas esse atque absorptas, ut omnium, quae naturaliter sciebant, penitus oblitae videantur, atque ex isto tandem sopore animas excitari ope sensationis, et ideo per accidens intellectum a sensibus dependere, ut nempe sensationis ope ad actualem considerationem eorum, quae habitu novit, excitentur. Avicenna voluit quidem intellectum per se dependere a sensu, non tamen ut quidpiam a sensu addiscat, sed tantum ut disponatur ad comparandam aliunde scientiam, nimirum convertendo se ad intelligentiam quamdam agentem externam, per cujus influentiam species accipiat. Verum communis Scholasticorum sententia est intellectum per se dependere a sensu; *inchoative* quidem ab externo, ut abstrahat species intelligibiles eorum, quae sensu externo percepta mox ab imaginatione in suo phantasmate proponantur (n. **234, 242,** *Pendet etiam)*, concomitanter vero, quia etiam eas ipsas res, quorum acquisitas habet species, non potest (ut docent Scholastici paucis exceptis) cogitare in hac vita, quin simul

---

(1) Cfr. opus latius, volum. 5.°, num. 14.
(2) Cfr. Compend., volum. 1$^{\text{um}}$, num. 475.

phantasia vel imaginatio circa easdem operetur sensibiles imagines procudendo illarum ipsarum vel aliarum analogiam quamdam servantium. Controvertitur autem utrum ista dependentia intellectus a phantasmate sit *naturalis* seu pendens ex ipsa natura animae, ut volunt plerique, an vero *poenalis* vel profecta ex originali peccato, quemadmodum contendunt Scotistae (1).

247. PROPOSITIO. 1.ª—**Sensus sunt necessarii ad intelligendum, non per accidens, sed per se, nec tamquam disponentes, sed ut repraesentantes intellectui suum proprium objectum.**

Prima pars, probatur 1.º Si sensus forent necessarii tantum, ut operatione sua excitarent intellectum quasi dormientem, ut voluit Plato, unio animae cum corpore non esset naturalis, nam naturale non est, quod impedit propriam et perfectissimam operationem. Atqui unio animae cum corpore naturalis est, ut suo loco probabitur. Ergo...

Quare in sententia Platonis nulla datur rationabilis causa unionis cum corpore. Non enim uniretur propter bonum animae, quippe quae per talem unionem impediretur a sua praestantissima operatione. Neque dici potest eam uniri propter bonum corporis, cum enim anima sit excellentior corpore, non debet subordinari corporis bono, nam non est ipsa propter corpus, sed corpus propter ipsam. Unde Plato ipse aliique finxerunt, animas nonnisi in poenam alicujus peccati in corpora detrusas esse: quae sententia inferius refutabitur (2).

Prob. 2.º Sensus exhibent objectum intelligentiae, si evolutio intelligentiae satis commode mensuratur ex objectis per phantasiae associationem propositis.

Atqui ita fit in Psychologia experimentali juxta diversae compositionis difficultates, juxta puerorum aetatem (3). Ergo...

Prob. 3.º Ex philologia. Nusquam habetur verbum primitivum quod in sua primigenia radice significarit rem spiritualem: sed verba transferuntur et accomodantur ad rem spiritualem significandam ex sua primigenia significatione rei materialis. Atqui hoc evidenter probat a sensibus haustam esse primam ideam, seu sensus esse necessarios ut obiectum intellectui proponentes. Ergo...

Secunda pars, probatur 1.º Si sensus solum essent necessarii, ut mens se ad angelum aliquem converteret, cujus influxu homo actualem scientiam compararet, deberet statim acquirere scientiam tam eorum, quae aliquo sensu percipit, quam aliorum, quae actu non percipit, quia una sensatione jam sufficienter conversa esset, ut quarumlibet rerum species acciperet. Unde etiam caecus audiens sonos posset accipere species non solum sonorum, sed etiam colorum. Atqui hoc repugnat experientiae (4). 2.º Praeterea intellectus eget sensu non solum inchoative, sed etiam concomitanter. Atqui si intellectus solum dependet a sensu ut primas species accipiat ab externa intelligentia vel angelo, non apparet cur dependeat etiam post semel acceptas species, nimirum concomitanter.

---

(1) Scot., t. 3, pag. 594-598.

(2) Vide S. Thom., quaest. *de anim.*, art. 15; et 1 p., quaest. 84; art. 4.

(3) Cfr. Fröbes, opus. cit., t. 2.º, pag. 206-220.

(4) Vide S. Thom., *de anim.*, art. 15.

Tertia pars sequitur ex duabus prioribus; nam, exclusis Platonis et Avicennae sententiis, non occurrit alia rationabilior nostra.

248. Propositio 2.ª—**Quaevis operatio intellectus nostri** *in hac vita* **naturaliter ac de lege ordinaria pendet ab operatione phantasiae, ita ut nec possit illa, quorum species intelligibiles retinet, cogitare, quin simul phantasia imaginetur idem objectum, aut aliud analogum.**

Sermo est de intellectu nostro *in statu unionis* et quidem in *hac mortali vita*. Nam in statu separationis cum non dentur sensus nec imaginatio formaliter (n. **129**) nec esse poterit sensatio nec phantasma. Post resurrectionem autem animas *beatorum* posse pro lubito uti phantasmatum imaginibus, vel non, sentiunt S. Thomas (1), Suarez (2) aliique Scholastici multi.

Prob. 1.° experientia triplici, quam superius retulimus (n. **241**, *Prima pars, Prob. Major.)*. Tam constans enim experientia legem ordinariam videtur omnino probare.

Idem solet a psychologis experimentalibus disputari an cogitatio pura sine ulla imagine detur. Sine imagine optica et clara non est difficultas: sicut judicium datur sine clara expressione verbali in phantasia. At absentia omnis imaginis, subconsciae, motricis, etc., nequit per experientiam directam comprobari (3).

Prob. 2.° ratione, quae videtur petenda esse non ex natura intellectus, qui semper idem remanet in omni statu sive unionis, sive separationis, cum non actuat materiam, sed ex animae conditione, quae forma substantialis est, ac diversimode reperitur unita in statu mortalis vitae atque in corpore glorioso. Nam, ut recte S. Thomas (4), anima hic ita est *corpori obligata, et quodammodo ei subjecta, et ab eo dependens*, ut nequeat in illud penitus dominari, cum sit ejus forma substantialis, unum cum ipso faciens. Ergo videtur ad hunc statum mortalis vitae pertinere, ut anima in omnibus suis operationibus aliquo modo dependeat a corporis consortio. Atqui non ita pendet ut materia eliciat ipsam intellectionem. Ergo pendet ut a simul operante sensationem et imaginationem, dum intellectus intelligit.

E converso in unionis statu cum corpore glorioso, licet anima exercebit etiam munus formae, erit tamen immunis ac libera penitus ab omni subjectione corporis, illudque sibi potius accommodabit ac plene subjiciet cum pleno dominio in omnibus operationibus, redundante animae gloria in corpus cum praestantissimis dotibus. Ideoque poterit anima in hoc statu efficere, ut intellectus operetur, convertendo se ad phantasmata, et operante simul phantasia, vel sine ulla ejusmodi simultanea operatione, prout libuerit. Caeterum quoniam dominium istud animae supra corpus non est conditio illius naturalis, sed donum gratuitum Dei propterea nonnulli scriptores docent, animas damnatorum non esse habituras hanc facultatem intelligendi sine conversione ad phantasmata (5).

---

(1) S. Thom., 3 p., quaest. 11, art. 2.

(2) *De anim.*, lib. 4, cap. 7, num. 4.

(3) Fröbes, opus. cit. t. 1.°, pag. 429 432.

(4) S. Thomas, 3 p., q. 11, a. 2. *De angelis*, t. 2, c. 28, num. 70.

(5) Vide Complutenses Carmelitanos *de anima*, d. 21, q. 7. et Philippum a SS. Trinitate. *Summ. Philos.* 2.ª 2.ᵉ q, 44 a. 6. Quaedam obiectiones solutae videri possunt in opere fusiori (vol. 5, num. 19 et 20), utrum in raptu et alienatione intellectus operetur cum

249. Hic quaeri posset adhuc an si in morte hominis prius detur separatio animae a systemate nerveo sensitivo, et post brevissimum tempus detur quoque separatio animae a systemate sympathico vel vitae vegetativae, admitti valeat durante illo intervallo brevissimo, animam ex una parte quatenus informat vere corpus (nimirum systema vegetativum et organa ab illo gubernata, et texturas aliquas magis stabiles), esse adhuc in statu viae seu merendi, sed quia est jam separata a systemate nerveo sensitivo, et proin ab organo phantasiae exercere operationem intellectualem sine comitante phantasia. Si tunc operationes intellectuales valet exercere, necessario debent esse sine comitante phantasia, et propriae animae separatae; proin anima se ipsam optime intelliget et per eam optime cognoscere valet *Creatorem, unum Deum* et *Remuneratorem*, quae sunt veritates necessariae prorsus ad obtinendam salutem. Sed de his tum philosophi tum quoque theologi disputare debent.

250. PROPOSITIO 3.ª—**Imago associativa phantasiae et verbum mentale non efficiunt duos actus parallelos et mere concomitantes sed efficiunt unum complexum dynamicum in quo elementa inferioris ordinis reguntur a superioribus, vicissim afferunt istis perspicuitatem et distinctionem.**

Haec thesis quae applicationes practicas valde utiles habet, doctrinaliter est contra psychoparallelistas et indicat characteristicam vitae psychicae humanae. Etenim homo, quoniam in se ipso est compositus ex anima spirituali et ex corpore organico, habet vitam intellectualem associatam intime cum operatione praestantissima organica qualis est phantasiae operatio, cum haec debitam adquirit perfectionem associativam, cum structura cerebralis finita est sicque organum phantasiae maximam partem cerebri attingit et in operatione phantasiae valde associativa active concurrit (1).

Probatur *a)* ex sermone: *b)* ex arte.

a) Ex sermone. Praenotari debet sermonem esse radicatum et propriisime in phantasia: siquidem vocabula ore prolata non sunt nisi expressiones vocabuli imaginati. Jam vero vocabula in imaginatione (ut ex diversitate aphasiarum constat) sunt complexus associativi qui ex imaginibus opticis (mimica loquentis, litteris scriptis) et ex acusticis (sonis verborum) et ex motoribus (pronuntiantis), ordinatissime et in complexus superioris gradus conjunguntur.

Huic imagini complexae associatae superioris gradus conjungitur dynamice (non per intrinsecam informationem) verbum mentale judicii per vocabula exprimendi. Ex verbo mentali accipit unionem phrasis, propositio, periodus: ex ordine idearum vocabulorum ordo procedit sed quin automatismus psychologicus totus cesset, quia diversus manet juxta notas individuales phantasiae loquentis, juxta

---

conversione ad phantasmata, itemque utrum in raptu intermittantur operationes vegetativae.

(1) Cfr. Willems *Institutiones philosophicae* (ed. 3.ª, vol. 2, Treberis, 1919), pag. 386 389.

indolem sermonis a loquente adhibiti (vulgaris, latini, graeci, sinensis), juxta habitus acquisitos etc. (1)

Probatur ergo thesis *a*) ex sermone. Sermo est idearum per vocabula communicatio inter homines: atqui in hac communicatione verbum mentale et vocabula unum complexum dynamicum efficiunt. Ergo...

Probatur *b*) ex arte. Ars dicitur ideae spiritualis valde selecta expressio sensibilis: ideo est connaturalissima perfectio hominis, affertque secum delectationem incomparabilem. Sed expressio sensibilis et idea significata non debent esse mere concomitantes, sed idea debet intime expressione sensibili indui, expresio vero debet ideam splendide manifestare. Ergo.

251. **Corollaria.** 1.^{m}—In Psychologia religiosa valde distinguenda est veritas dogmatica vel historica fundamentalis quae ad intellectum pertinet, et imago associata phantasiae quae veritatem circumdat et ornat.

Saepe in vitis Sanctorum fundamentum historicum verum est sed illud phantasia popularis falsis vestit coloribus: sic plures legendae (leyendas) cum fundamento historico, et sic plures quoque illusiones in personis piis. Regula sit discernere elementum intellectuale ab elementis phantasiae: elementum intellectuale judicandum juxta dogma, elementum phantasiae cautissime adhibendum juxta regulas criticas.

2.^{m} – Attentio est quaedam modalitas ipsius actus cognoscitivi. In quolibet actu cognoscitivo considerari valet, modificatio subiecti, repraesentatio obiecti, tendentia cogitantis in obiectum. Tendentia haec est attentio propria actus cognoscitivi.

Tamen quoniam possumus habere diversos actus simultaneos cognoscitivos per diversas facultates, sic possumus videre agrum deambulando, et simul imaginari domum paternam, imo et mente cogitare circa quaestiones scientificas, homo cogitans cum per diversas facultates in obiecta disparata intendat, non dicitur esse attentus ad omnia. Denominatio sumitur ex actu praestantiori et deambulans in agro potius dicitur attendere ad quaestiones quas mente volvit quam ad ea quae per oculos vidit.

Attentio est voluntaria si ex imperio voluntatis ad obiectum certum mentem applicamus, vel est spontanea si ex cursu cogitationum oritur, vel est revocata ex obiecto si ex ipsius excitatione allicitur, vel affectiva si ex vehementia affectus trahitur mens ad cogitandum.

Jam vero naturalis subordinatio inter phantasiam et intellectum affert secum concurrentiam utriusque facultatis in idem obiectum, v. gr. ad orandum, sicque habetur status attentionis

---

(1) Cf. Van Ginneken 1. 7.—Principes linguistique psychologique. (Paris a. 1907.)

Sin autem phantasia sive automatice sive per excitationem sensorialem, sive per affectum appetitus sensitivi alio divagetur, statim intellectus quoque vocem phantasiae sentit et trahitur ex priori cogitatione ad obiectum per phantasiam exhibitum et distractio, id est, cessatio prioris cogitationis, seu mutatio cursus cogitationum circa obiecta diversa habetur (1).

3.^{m}—Sensus communis colligit quidem sensationes habitas eorumque obiecta, statusque emotionales quae in corpus transfunduntur quoque agnoscit: inde habemus unam imaginem associatam quae respondet *to ego* sensoriali seu inferiori. Aliunde per reflexionem intellectualem colligimus quoque actus spirituales, intellectiones et volitiones et ex eorum congerie unum quoque complexum facimus.

Jam si in reflexione totali de omni eventu nostro, imago associata qua colligimus sensationes mere concomitanter et non dependenter sed quasi independens se gerit et conservatur, et non fit unus complexus adaequatus ex imagine associata sensus communis et ex idea reflexa intellectuali, facile eveniet obscuratio conscientiae relate ad actus organicos et sensitivos, et inde obscuratio existentiae proprii corporis; quod ad corporeas sensationes attinet considerabitur in reflexione quasi ad personam extraneam pertinens; vox propria quasi alterius censebitur, et alia phaenomena observabuntur quae sub nomine *depersonalisationis* subaudiuntur (2).

DISPUTATIO IV

Tria hic consideranda veniunt. 1.° Concursus obiecti ad cognitionem intellectualem. 2.° Obiectum cognitionum nostrarum et ordo earum. 3.° Systemata de origine idearum. Quae tria totidem capitibus tractanda sunt.

CAPUT I

DE REQUISITIS AD COGNITIONEM EX PARTE PRINCIPII EFFICIENTIS

Non est sermo hic de requisitis ex parte Dei, videlicet ratione concursus, quem causa prima praestare debet causis omnibus creatis, ut agere valeant, haec enim controversia ad Theodiceam reservatur; sed tantum de requisitis ex parte objecti cognoscendi, quod potentiam cognoscitivam juvet ad suum actum eliciendum.

---

(1) Fröbes, op. cit., t. 2, pag. 70 104, et Ibero *Psycologia empirica.* (Barcelona 1916) pag. 80 108, ubi habes quid dixerint scholastici de attentione.

(2) Cfr. Fröbes, op. cit. t. 2, pag. 104-131, et Lindworsky, *Psicologia experimental* (trad.) pag. 289.

ARTICULUS I

Utrum potentia cognoscitiva sit principium adaequatum cognitionis, an vero requirat concursum ipsius objecti sive per se immediate, sive media specie.

252. **Status quaestionis.**—Concursum praestari ab objecto intellectui, bifariam concipi potest, immediate per se ipsum, vel mediate per impressionem aut virtualitatem aliquam potentiae cognoscitivae communicatam. Immediate per se influit in cognitionem objectum, cum intime praesens et apte unitum est potentiae, ut illam ad actum determinare ac foecundare valeat. Cujus rei exemplum habetur in visione beatifica, in qua, ut supponimus ex Theologia, Deus ipse intime praesens intellectui creato, illum complet ac determinat ad intuitivam essentiae divinae cognitionem. Mediate concurreret objectum ad cognitionem quotiescumque non potest per se ipsum apte sufficienterque uniri potentiae; tunc enim in illam ageret excitationem aliquam vel virtualitatem ei imprimendo, quae *species intentionalis impressa* vocatur: *species* quidem quasi *forma*, *facies* et *simulacrum* objecti; *intentionalis*, non quia in se reale aliquid non sit, sed quia cognitioni deservit, quae *intentio* dici consuevit (1); *impressa*, ut distinguatur a specie expressa, illa enim simul cum potentia cognoscitiva principium hujus esse dicitur, unde etiam *vicaria*, id est vices gerens objecti vocatur, et comparatur semini, quia nimirum potentia per speciem impressam foecundatur ad actum cognitionis, quae propterea nomen accepit conceptus vel prolis mentis (2).

253. **Variae sententiae.** Itaque concursum objecti, sive immediatum sive mediatum per speciem, negarunt in antiquitate, omissis aliis vetustioribus, Gabriel Biel, Ockam, Durandus et Gregorius Ariminensis, quos postea secuti sunt cartesiani (3) ac leibnitziani, et reidiani. Alii vero quamvis admittant necessitatem specierum in sensibus, negant tamen in intellectu species intelligibiles diversas a sensibilibus, arbitrantes sufficere phantasmatis praesentiam, ut intellectus ad actum determinetur: ita Henricus Gandavensis, Joannes Bacon, scotista Pontius et noster Oviedo, quos nostris diebus secutus

---

(1) Vide Suarez, *de anim.*, lib. 3 cap. 1, num. 4.

(2) Species intelligibilis vocatur etiam a S. Thoma *forma intelligibilis et species intellecta (Contr. Gent.*, lib. 2,°, cap. 59; 1.° dist. 35, quaest. 1, art. 1, ad 3.^{um}), et passim *similitudo;* et aliis quibusdam nominibus.

(3) Vide Le Grand. *Instit. Philos.*, *secundum principia D. Renati Descartes*, part. 8, art. 10, num. 5. Cfr. Lossada, *de anim.*, disp. 6, cap. 1, num. 1.

est P. Dominicus Palmieri (1). Communis autem in omni schola opinio cum SS. Augustino, Anselmo, Thoma, Bonaventura, Scoto, Suarez, etc., post Aristotelem agnoscit necessarium concursum objecti, potissimum per species, ad habendam cognitionem. Scotistae tamen excipiunt solam notitiam intuitivam intellectualem, ad caeteras vero cognitiones, sive sensibiles sive intellectuales, requirunt speciem (2).

Lis inter assertores et inficiatores specierum vel concursus objectivi huc tandem devolvitur, utrum potentia cognoscitiva sit ex se principium cognitionis adaequatum vel inadaequatum, ita ut non egeat, vel egeat compleri ac juvari per concursum objectivum, per virtualitatem aliquam accedentem ex objecto, sive per se immediate sive media specie. Juxta immanentiae modernistae placita nihil in intellectu humano esse potest, nulla cognitio quin erumpat ex necessitate expansionis internae: unde nihil verum nisi ex ipso procedat. Homo enim sicut leges et praecepta, sic etiam facit veritates, easque suo arbitrio vel indigentiae vel expansionis mutatione immutat. Actus omnes vitae intentionalis in nobis ipsis plenam habent suae existentiae rationem. Imo cognitio quam Dei habemus sic gignitur: In tenebris subconscientiae latet quaedam de Deo indigentia: haec indigentia cordis fingit Dei cogitationem et persuasionem, fidem de divina existentia. (Cfr. *Civiltà Cattolica*, 22 Oct. et 6 Nov. 1907, pag. 260, 309.)

254. PROPOSITIO 1.ª—**Potentia cognoscitiva creata non est per se sola principium adaequatum cognitionis, sed requirit concursum objecti ita, ut si objectum ipsum nequeat immediate concurrere, necessariae sint formae quaedam vel species intentionales, quae vices illius gerant ad complendam ac determinandam virtutem potentiae.**

A) PROBATUR GENERATIM PROPOSITIO DE OMNI POTENTIA COGNOSCITIVA

1.º **Auctoritate Sanctorum.** S. Augustinus: *Liquido tenendum est,* inquit, *quod omnis res, quamcumque cognoscimus,* **congenerat in no-**

---

(1) *Anthropol.*, thes. 25.

(2) Plures vero in quibusdam sensibus ideo non putabant necessarias species, quia ipsum objectum immediate per se uniri cum potentia existimabant, eamque ad actum foecundare: et sic cardin. Toletus non admissit illas in tactu, Dupasquier in tactu et gustu, Compton, Hurtado, Quiros et Arriaga in tactu, gustu et olfactu; Oviedus demum et Ulloa solum in visu illas necessarias dixerunt. Caeterum qui species ideo solum negant, quia ipsum objectum per se influere cum potentia in cognitionem contendunt, non sunt inter inimicos objectivi concursus computandi cum priorum sententiarum assertoribus.

bis notitiam sui. Ab utroque enim notitia paritur, a cognoscente et cognito (1).

S. Anselmus: *In hominis cogitatione cum cogitat aliquid, quod extra mentem est, non nascitur verbum cogitatae rei* **ex ipsa re,** *quia ipsa absens est a cogitationis intuitu,* **sed ex aliqua rei similitudine vel imagine,** *quae est in cogitantis memoria, aut forte tum, cum cogitat.* **per corporeum sensum in mentem attrahitur** (2).

Similia habet S. Joannes Damascenus (3). S. Thomas vero innumeris in locis tradit necessitatem specierum (4): eamdem propugnant S. Bonaventura (5), Scotus (6), Suarez (7), etc. etc., cum Aristotele passim. Tanta vero nubes testium non parvam praebet huic sententiae probabilitatem in re praesertim, quae nec ex praejudiciis rerumve physicarum ignorantia promanavit, nec ex recentioribus inventis labefactari vel falsitatis coargui potuit.

Prob. 2.° Potentia cognoscitiva ex sese est indifferens et indeterminata ad hoc illudve cognoscendum objectum, non solum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem. Ergo eget intrinseca determinatione ac complemento in particulari ad quodlibet objectum cognoscendum. Atqui nullum aliud determinativum apte assignari potest, nisi aut objectum ipsum per se immediate agens, cum praesens adest intra potentiam modo proportionatio, ut illam ad actum moveat, aut species aliqua vicens gerens objecti, quando aut abest aut non est per se proportionatum ad movendam potentiam. Ergo... (8).

Antecedens patet, quia quamvis potentia cognoscitiva, ubi adsunt praerequisita, non sit indifferens ad ponendum actum, quia libera non est; tamen non semper nec ex naturae suae determinatione habet praerequisita, et ideo indifferens est atque indeterminata de se, donec accedat ultimum necessarium complementum ad hoc vel illud cognoscendum. Ideo impossibile nobis est cognoscere vel ipsa maxime sensibilia objecta, quamtumvis velimus, nisi coram adsint, et agant in sensus, saltem prima vice; rationes autem adstrusiores et immateriales, quae in sensus non cadunt, non possumus repraesentare nobis, prout sunt.

---

(1) S. August., *de Trinit.*, lib. 9, cap. 12, num. 18. Adde ibid., lib. 11, cap. 9, num. 3, et cap. 5, num. 8 et 9.

(2) Anselm., *Monolog*, cap. 62.

(3) *De orthod. Fid.*, cap. 20.

(4) Vide v. g. 1 p., quaest. 12 art. 2; quaest. 51, art. 1, ad 2.um; quaest. 55, art. 1 et 2; quaest. 78, art. 4; *Contr. Gent.*, lib. 1, cap. 53, 54; lib. 2, cap. 59, 77; *de verit.*, quaest. 8, art. 2, 5, 6, 7, etc., etc.

(5) 2.° dist. 3, art. 2, quaest. 1.

(6) 1.° dist. 3, quaest. 6; et quaest. 17, *de anim.*

(7) *De angelis*, lib. 2, cap. 3; *de anim.*, lib. 3, cap. 1.

(8) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 79; art. 2, quaest. 84, art. 4; *de anim*, lib. 3, lect. 10 init.; Suarez, *de anim*, lib. 3, cap. 1, num. 7; Molina, In 1.am part., quaest. 12, art. 2. disp. 1; Conimbricens., *de anim.*, lib. 2, cap 6, quaest. 2, art 2, lib. 3, cap. 5, quaest. 2 art. 2; Complutens. Carmelitan., *de anim.*, disp. 18, quaest. 1.

Primum consequens probatur, quia intrinseca potentiae indeterminatio atque indifferentia non potest tolli nisi per determinativum, quod illam intrinsecus afficiat.

Minor subsumpta etiam probatur, quia determinativum ejusmodi non potest esse voluntas, ut patet experientia ipsa saltem primarum cognitionum cujuslibet rei, et etiam ratione, quia voluntas est potentia caeca, quae proinde nequit assignare specificationem actus, nisi aliunde lumen accipiat. Nec, puto, recurres ad Deum ut potentiae cognoscitivae tribuat determinationem, quae caret ex sese, ad cognoscendum; quia recursus ad primam causam vitandus Philosopho est, quamdiu res aliter per naturales causas explicari potest. Aliunde vero objectum videtur esse aptissimum determinativum, eo vel magis quod actus specificantur per objecta (1). Atqui objectum plerumque per se nequit immediate uniri potentiae, ut eam moveat ac determinet ad suum actum. Ergo sequitur, ut objectum aut per se, aut per virtualitatem aliquam impressam potentiae agendo in illam, sit causa hujusmodi determinationis et complementi requisiti.

Dices 1.° Ut potentia cognoscitiva determinetur ad actum, sufficit mera objecti praesentia instar merae conditionis, quin virtus aut concursus efficiens ab eo praestari debeat. 2.° Sicut ignis ad comburendum non eget ulla determinatione in se recepta, quia ex natura sua est causa necessaria et ad comburendum determinata, dummodo praesens adsit combustibili; ita cognoscitiva potentia dicenda est ex se ipsa determinata ad cognoscendum, quin egeat ulteriore determinatione sibi extrinsecus impressa.

Respond. ad 1.um, *neg.* assert. Objecti praesentia intelligi posset hic vel pure physica, vel intentionalis. Et certum est sola physicam non sufficere, ut potentia moveatur, aut determinetur ad actum, ut constat infinitis exemplis rerum, quae physice praesentes sunt, et nullatenus potentiam determinant. Ergo ad hanc determinationem requiritur praesentia intentionalis, quae aliter explicari non potest nisi per influxum aliquem ac juvamen ab objecto praestitum, quo potentia tacta et affecta permoveatur ad hujus potius quam alterius rei repraesentationem in se vitaliter exprimendam.

Respond. ad 2.um, *neg.* parit., primo quia ipsa experientia ostendit contrarium; deinde quia ignis est causa transeunter operans, potentia vero cognoscitiva immanenter. Neque exemplum ignis est ad rem; quia combustibile active concurrit cum gaze inflammato ignis ad efficiendum corpus compositum ignitum. Deinde, nulla est paritas inter actionem comburendi et cognitionem. Quia potentia immanenter operans, suam actionem non imprimit externo subjecto, sed in se ipsa recipit, ideoque non intelligitur, cur agere impediatur ex solo defectu externi objecti, si plenam et adaequatam ex se virtutem habeat.

Quia cum objectum ab ejusmodi potentia nihil recipere debeat, si neque agat ipsum in illam ad eam determinandam, perinde est, quod adsit praesens, vel non adsit.

---

(1) Compend. volum. 2 um, num. 230.

Prob. 3.° Potentia cognoscitiva per operationem suam non producit aliam potentiam sibi similem, sed alium actum, imaginem objecti prae se ferentem (num. **73**). Ergo potentia, ut ejusmodi exprimat imaginem, debet habere in se aliquo modo, saltem virtualiter quasi colores et lineamenta objectum repraesentantia. Atqui potentia cognoscitiva non habet haec ex intrinseca sua natura et ex sola sua ingenita virtute. Ergo necesse est, ut accipiat illa ex ipso objecto sive immediate sive media specie (1).

Primum consequens patet ex principio causalitatis.

Minor subsumpta probatur. Potentia cognoscitiva vel anima non habet ex se 1.° *formaliter* colores et lineamenta objecti, ut illud per actum suum repraesentet, quia non est ipsa in se forma similis rebus, quas repraesentat, nec ipsi actui repraesentationis. Nec 2.° habet *virtualiter*, nec etiam eminenter, quatenus ipsa ex se adaequata et completa virtute polleret ad omnia objecta repraesentanda. Si enim ita foret, cur nihil sentire possumus, nisi objecta prius agant in organum? Cur nihil cogitamus nisi praesupposita sensibili cognitione? Cur qui sensu aliquo caret, non potest sibi proprias ideas comparare rationum illarum, quae sensu illo percipiuntur? Cur paucissima immediate, pleraque nonnisi discursu et argumentatione cognoscimus? Cur essentias corporum, prout sunt in se ipsis, non assequimur, nec aliter repraesentamus *nisi prout talibus sensibilibus proprietatibus substantes*, vel *quatenus se per tales operationes manifestant?* Cur nec spiritus, immo nec propriam animam, conceptu proprio, sed tantum conceptibus analogicis et relativis, cognoscimus? Haec enim omnia quasi propriis coloribus et lineamentis, immo et immediate, perciperemus, sicut percipimus sensibiles qualitates, si anima ex se virtualiter praecontineret intentionalem similitudinem cunctorum objectorum, possetve omnia cognoscere absque ullo adminiculo vel influxu ipsorum objectorum.

255. B) PROBATUR PROPOSITIO SPECIATIM DE INTELLECTU

1.° Ex speciebus rememorativis. Dantur in intellectu species rememorativae. Ergo admittendae sunt species intelligibiles non solum ad recordandum, sed etiam ad primo cognoscendum.

---

(1) Vide S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 77 init.; et cap. 98, *Considerandum est igitur;* P. Suarez, *de angelis*, lib. 2, cap. 3; *de anim.*, lib. 3, cap. 1, num. 7; lib. 4, cap. 2, num. 1, Mauri, *Quaestion. philos.*, lib. 1, quaest. 2; Lossada, *de anim.*, quaest. 6, art. 2.

Prob. antec. Attende namque, quam diverso modo nos habeamus ad cogitanda, quae olim cognovimus aut didicimus, et ad ea quae numquam cognovimus, nec sunt praesentia. Haec postrema, etiamsi maxime velimus, non possumus intellectu repraesentare vel cognoscere, donec vel coram sistant, et sensu percipiantur, vel certe ratiocinatione ex aliis prius notis deducantur. Priora vero ex voluntatis imperio recogitamus, ac saepe sponte quoque menti occurrunt. Ita quoties libet, mente recolimus parentes, amicos, patriam...; nec solum materialia objecta, sed etiam spiritualia, ut errata voluntatis et actus intellectionis; nec solum actus vel actiones, sed objecta etiam, et interdum solos actus, interdum sola objecta, interdum utraque simul. Nec raro conclusionem, quam non nisi per longam et difficilem argumentationem, cognovimus, recordamur et recogitamus, obliti jam probationum et argumentorum. Atqui facultas haec recogitandi recordandique olim cognita objecta necessario supponit in intellectu existentiam alicujus formae vel virtutis (quam speciem rememorativam vocant) determinantis et complentis illum ad tales actus eliciendos. Ergo... Ratione harum specierum animae separatae reminisci possunt res gestas in hac vita (1): unde illa S. Hieronymi sententia: *Discamus in terris, quorum scientia nobiscum perseveret in coelis* (2).

Prob. conseq. α) quia sicut nonnisi per species rememorativas recordamur ac recogitamus, ita sine speciebus non possumus primo cognoscere: idque explicat, cur objecta prima vice non possimus pro lubito cognoscere, donec vel coram adsint, vel discursu teneantur, quia nempe nondum aderat species. Et ratio est quia unius eiusdem facultatis unum est immediatum determinativum ad suas functiones. β) Species rememorativae non sunt, ut patet, ipsi actus praeteriti cognitionis, utpote qui momento transierunt; nec videntur esse productae per actus istos praeteritos, quia secus species rememorativae deberent clare referre ipsos actus, cum tamen saepe non referant nisi objecta eorum. Ergo praedictae species rememorativae aut sunt ipsae primae species, per quas primiscue objecta cognita fuerint, in thesauro memoriae fideliter custoditae, vel aliae ab illis productae; et utrumlibet eligas, habeo intentum, nimirum primam rei cujuslibet intellectionem sine specie intelligibili haberi non posse.

Prob. 2.° Si intellectus haberet a natura, vel secum identificaret totam efficacitatem ad actum intellectionis necessariam, statim ab ineunte aetate, vel certe ab eo tempore, in quo sensus et imaginatio rite operationes suas elicere valent, expedite ac perfectissime intelligeret. Atqui hoc experientiae contradicit. Ergo...

---

(1) Vide *Luc.* cap. 16, vers. 25.
(2) Apud Suarez, *de anim.*, lib. cap. 1, num. 8.

Major probatur, quia omnis potentia necessaria, si adaequata virtute polleat, ubicumque adsunt conditiones ad operandum requisitae, statim quam perfectissime operatur. Atqui ad hoc ut intellectus operetur, cum plena pollet virtute, non aliud per modum conditionis requiritur praeter convenientem usum sensuum et imaginationis. Ergo si intellectus ex sese foret adaequatum intellectionis principium, statim ab eo saltem tempore, in quo sensus et imaginatio rite operari possunt, perfectissime intelligeret. Hinc

Prob. 3.° Si intellectus non egeret concursu objecti, sola phantasmatis praesentia sufficere deberet, ut non solum qualitates sensibiles, sed etiam ipsas corporum essentias et reconditiores proprietates, prout sunt in se ipsis, intelligeret. Atqui non sufficit, ut experientia novimus. Ergo...

Minor constat, quia essentias corporum, ut inferius demonstrabitur, non aliter cognoscimus, quam per ordinem ad sensibiles qualitates, nimirum ut earum subjecta.

Major probatur, quia si virtus intellectiva est ex se completum et adaequatum principium intellectionis, praesente corporis cujuslibet phantasmate, habere in promptu quidquid requiritur ad essentiam corporis in phantasmate relucentis cognoscendam.

Dices. In nostra sententia requirente species, praesente phantasmate, deberet illico intellectus abstrahere species intelligibiles ad essentias corporum cognoscendas; nam haberet iam quidquid requiritur ad praedictam abstractionem, siquidem, ut inferius declarabitur, intellectus agens praesente phastasmate determinatur ad abstrahendam vel producendam speciem. Atqui tamen non potest intellectus essentias corporum, prout sunt in se ipsis cognoscere, licet praesens adsit phantasma, ut nos ipsi fatemur. Ergo quod non possimus cognoscere corporum essentias, prout sunt in se ipsis, non provenit ex eo quod species necessariae sint ad intelligendum, sed ex aliquo alio capite.

Respond., *neg.* Major. et probation. Si enim intellectus posset abstrahere species essentiae corporeae, hanc procul dubio cognosceremus non minus clare, ac prout est in se, quam ipsas qualitates sensibiles. Dicendum ergo est non dari in intellectu species proprias et directas essentiarum, sed tantum discursivas et derivatas ex actibus, per quos primum venimus in earum cognitionem ope qualitatum sensibilium modo inferius declarando. Ratio autem, cur intellectus non abstrahat essentiarum corporearum proprias species, ea esse potest, quod intellectus, praesente phantasmate cumque ejusdem concursu, abstrahit speciem illarum duntaxat rationum, quae in phantasmate relucent, vel continentur. Atqui in phantasmate relucent quidem sensibiles qualitates, non vero essentiae, utpote facultatem imaginationis transcendentes. Ergo solum qualitatum sensibilium abstrahit intellectus species (1).

---

(1) Plura in alio opere, volum. 5.° num. 92 96.

256. PROPOSITIO 2.ª—**Ut objectum cum potentia concurrat ad actum, oportet intime cum illa conjungi. Quare, intellectus speciebus impressis indiget generatim ad omnes cognitiones suas, ipsis intuitivis non exceptis.**

Prima pars *de intima objecti unione* probatur, quia potentia et objectum unam communem actionem habent, unumque completum et adaequatum cognitionis principium constituunt. Atqui diversae activitates in unum principium adaequatum communis actionis coire nequeunt, nisi intime inter se conjungantur. Ergo...

Major fluit ex praecedenti propositione. **Minor vero probatur** tum inductione causarum partialium et instrumentorum, tum ratione; quia, sicut ex actionibus causarum seorsim operantium non resultat una actio, ita non intelligitur, quo pacto una procedat actio ex activitatibus, quae in idem punctum non cöeant. Praeterea concursus objectivus exhibetur praecise ad complendam potentiae virtutem, cognitio autem est actus immanens. Ergo ut efficacitas objecti simul cum potentiae virtute in unam actionem, eamque immanentem, confluat, necessaria est intima objecti unio cum potentia.

Caeterum ratio unionis ejusmodi diversa est, prout objectum per se immediate influat, vel non nisi media specie. Si objectum per se influat, non requiritur ejus unio physica cum potentia, sed illa tantum quae sufficiat, ut activitates utriusque in unam actionem confluant Sicut instrumentum, non est necesse, ut physice uniatur cum causa principali. Quando vero objectum media specie concurrit, haec debet uniri physice potentiae, quia est accidens ejus, ut mox probabitur.

Secunda pars *de specie ad intuitivas cognitiones necessaria* est contra Scotistas, et probatur. Superius allatae probationes, utpote petitae ex defectu virtutis sufficientis et adaequatae in potentia ad cognoscendum, non minus probant necessitatem concursus objectivi pro cognitionibus intuitivis. Atqui nec in cognitionibus intuitivis intellectivis generatim objectum immediate per se potentiae uniri potest ad illam complendam et determinandam ad suum actum, ut constat ex modo factis rationibus. Ergo non sunt excipiendae intuitivae cognitiones ex aliarum lege communi (1).

257. PROPOSITIO 3.ª **Species impressa non est id, *quod* potentia cognoscit, neque id, *in quo* prius cognito rem intuetur, sed tantum id, *quo* directe atque immediate rem ipsam percipit.**

Est contra quosdam veteres (2) et contra cartesianos, qui contendunt sensatione prius cognosci organicam impressionem, immo etiam sensationem esse actum animi, receptam in organo impressionem relegentis (1).

---

(1) Lege Scotum, t. 4 pág. 502-508 (ed. Parisiis a. 1891).

(2) Quos tacite relatos vide apud S. Thomam, 1 p., quaest. 84, art. 6.

Probatur 1.° experientia, nemo enim id experitur. Sane usque adeo non est species *id quod*, primo et directe percipitur, ut nonnisi observatione ac ratiocinio in speciei notitiam veniant soli scientiarum cultores.

Prob. 2.° ratione. Ideo deberet species esse *id quod*, aut medium *in quo* res cognoscitur, vel quia est virtus objectiva potentiam complens, vel quia cum ea influit ad cognitionem eliciendam. Neque enim alia occurrit ratio, cur speciei talis proprietas conveniat. Atqui nulla ex istis est ratio sufficiens, ut species sit *id quod* directe cognoscitur, vel medium *in quo* res videtur, tum quia sunt et alia, quae in cognitionem similiter influunt, ut ipsa potentia et habitus, et nihilominus non sunt id *quod*, nec medium *in quo;* tum quia species est vicaria objecti nec datur praecise ut ipsa in se cognoscatur, sed ut potentiam compleat, et foecundet ad cognoscendum suum objectum.

Frustra ergo solliciti fuerunt cartesiani in quaerendo *ponte*, per quem anima *transiret* ad objecta apprehendenda; nam species est verus pons ejusmodi, ceu vinculum et medium uniens potentiam cum objecto ad peragendam cognitionem.

258. PROPOSITIO 4.ª **Vere loquebantur veteres dicentes, res per se non esse actu et proxime intelligibiles aut sensibiles, fieri autem tales per speciem. Vere quoque cognitio dicitur non qualiscumque similitudo, sed imago objecti, quod proinde rationem habet non solum *terminativi*, sed etiam *motivi* respectu cognitionis.**

Prima pars facile probatur. Quia quamvis omnis entitas realis per se ipsam sit cognoscibilis, siquidem omne ens est verum (2); nunquam tamen *actu* poterit cognosci, quin intime uniatur intentionaliter cum potentia. Cum ergo haec unio, ex modo probatis, non fiat generatim nisi media specie, reliquum est, ut solum per hanc res actu cognoscibiles fiant.

Secunda pars, quae jam superius indicata est (n. 73, in fine probationis partis secundae) nunc manifeste apparet, quia imago est similitudo importans rationem originis ab objecto repraesentato. Atqui cognitio efficienter procedit ab objecto cognito, cujus gerit similitudinem. Ergo est imago ejus.

Tertia pars non eget probatione.

ARTICULUS II

Solvuntur difficultates.

259. **Objic. 1.°** Si darentur species, deberent prius in se cognosci. Atqui non prius cognoscuntur. Ergo non dantur. **Prob. Major.** α) Species sunt aliquid repraesentativum seu faciens repraesentare objectum. Atqui quod facit repraesentare objectum, prius quam objectum cognosci debet. β) Species est signum objecti, signum vero prius re significata cognoscitur, ut in illius perducat cognitionem. γ) *Propter quod unumquodque tale, illud magis.* Atqui propter speciem res cognoscitur secundum nos. Ergo... δ) Species, si datur, est in se intelligibilis, et aliunde praesentissima potentiae.

---

(1) Recole dicta in pag. 84.

(2) Cfr. Compend. volum. 2.um, num. 128, 133.

ε) Quidquid intra nos accidit, ad ordinem cognoscitivum spectans, potest per reflexionem conscientiae deprehendi. Atqui speciem nemo unquam in se deprehendit, secus enim nec moverentur lites circa ejus existentiam. Ergo...

Respond., *neg.* Major. Ad probat. α) *disting.* Major.: species sunt aliquid repraesentativum, etc., instar medii *in quo*, *neg.*; instar medii *quo*, *conc.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. **Ad probation** β), *disting* Major.: species est signum objecti instrumentale vel objectivum (1), *neg.*, formale, *transeat*, nam non una est de hac re sententia. Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq. **Ad probation.** γ), *disting.* similiter Minor.; propter speciem tamquam rationem objective in se prius cognoscendam cognoscitur objectum, *neg.*; tamquam formam potentiae inhaerentem eamque ad actum cognitionis determinantem, *conc.* (2). **Ad probat.** δ) respondeo, speciem non esse immediate per se cognoscibilem, sed tantum per discursum nec finis ejus est sui cognitionem ingerere, sed facere cognoscere objectum, cujus est vicaria **Ad probation.** ε) *dist.* Major. Quidquid intra nos accidit, etc., potest per solam reflexionem inmediate in se cognosci, *neg.*; per reflexionem adjuncto ratiocinio, quali usi sumus ad probandam necessitatem specierum, *conc.* Et *contradist.* Minor. Simili modo etiam cognoscimus habitus acquisitos, argumentando videlicet ex facilitate, qua quosdam elicimus actus.

Objc. 2.° Dicere potentiam cognoscitivam egere specie est dicere potentiam cognoscitivam aliunde accipere debere virtutem cognoscendi. Atqui hoc absurdum est, quia inducit potentiam cognoscitivam, quae virtute caret cognoscendi. Ergo...

Respond., *disting.* Major. Dicere potentiam egere specie est dicere potentiam debere aliunde accipere totam virtutem ad actum necessariam, *neg;* aliquam, nempe se tenentem ex parte objecti. cujus influxum necessarium esse ostendimus, *conc.* Et *contradist* Minore, *neg.* conseq. Sicut enim absurdum non est penicillum, quod pingendi instrumentum est, non posse pingere sine coloribus, ita non est absurdum potentiam vel virtutem cognoscitivam egere influxu objecti, ut ejus valeat quasi colores et lineamenta exprimere.

Objc. 3.° Multa cognoscimus, quorum species non habemus, puta Deum, entia spiritualia, materiales substantias, relationes, modos, entia rationis. Ergo species non sunt absolute necessariae.

Respond., *dist.* antec. Multa cognoscimus, quorum non habemus species proprias vel primario ac directe objecti repraesentatrices, *conc*; quorum nullas prorsus species habemus, sive proprias sive alienas, sive immediatas sive mediatas ac discursivas, *neg.* Et *neg.* conseq. Species propriae ac immediatae sunt illae, quae ad rem, prout est in se, repraesentandam primario diriguntur. Alienae sunt species alterius objecti propriae quae ob connexionem objectivam, analogiam et respectum ad aliud, juvant ad illud saltem confuse atque imperfecte cognoscendum. Hoc pacto species potentiae, sapientiae, bonitatis, etc., ex creaturis haustae, detracta limitatione, faciunt nos aliquem, licet imperfectum et analogicum, Dei conceptum efformare. Et immaterialia cognoscimus per analogiam et oppositionem ad materialia, vel etiam ex speciebus actuum et effectuum, entia rationis et carentias per species realium entium, modos per species rerum absolutarum aut etiam determinationum, quas tribuunt, etc. (3).

---

(1) Cfr. Compend. volum. 1.um, num. 45.

(2) Cfr. Compend. volum. 2.um, num. 442.

(3) Cfr. S. Thom., 1 p., quaest. 84, art. art. 7, ad 3.um. Cfr. Lossada, loc. cit., num. 43.

Objic. 4.° Species impressa, qualem nos probavimus, confunditur cum ipsa cognitione actuali seu specie expressa. Ergo frustra invehitur tamquam aliquid ab ea distinctum. **Prob. antec.** Species ista, quam impressam dicimus, α) est similitudo quaedam objecti et aliquid vitale; itemque β) rationem habet imaginis cujusdam ad praesentiam objecti productae, ita ut objectum sit velut exemplar, secundum quod illa fit. Atqui haec quadrant omnino in cognitionem. Ergo... (1).

Respond., *neg.* anteced. **Ad probat.** α) *dist.* assert.; species impressa est similitudo quaedam diversae rationis, ac cognitio, *trans.;* ejusdem rationis, *nego*. Ut enim omittam nunc, speciem impressam secundum probabiliorem multorum opinionem, non esse similitudinem formalem, sicut est cognitio, sed tantum virtualem; species impressa non est aliquid vitale, sed terminus actionis transeuntis; et praeterea est similitudo tantum per modum principii cognitionem efficientis, non per modum formae animam consciam reddentis objecti quod manifestat, quemadmodum est cognitio.

Ad probation. β) similis esto responsio.

Objic. 5.° Sola sensatio praesens in anima sufficit ad determinandum intellectum ad actum suum. Ergo saltem intelligibiles species respuendae sunt. **Prob. antec.** α) quia idem est subjectum sentiens et intelligens. β) Quia sicut se habet voluntas ad bonum, ita se habet intellectus ad verum vel intelligibile. Atqui voluntas ex praevia intellectus cognitione determinatur ad volendum, quin egeat ulla in se recepta motione diversa. Ergo etiam intellectus ex sola sensationis praesentia satis determinatus censeri debet. γ) Huc spectat illud Durandi argumentum. «In potentiis ordinatis objectum praesentatur posteriori potentiae per actum prioris, sicut appetitui repraesentatur suum objectum, videlicet bonum, per cognitionem praeviam.» Sed sensus et intellectus sunt in nobis potentiae ordinatae. Ergo... (2). δ) Ipse intellectus agens, docentibus Scholasticis, ad praesentiam phantasmatis determinatur ad abstrahendam speciem impressam. Cur ergo intellectus, qui dicitur possibilis, sine ulla specie non poterit determinari ad ipsum actum cognitionis ex sola phantasmatis praesentia? (3).

Respond., *disting.* antec.: sufficit sola sensatio, etc., ubi adsunt jam species olim acquisitae, ac in thesauro memoriae reconditae, *conc.;* secus, *neg.*

Ad probat. α) *disting.* assert.; idem est subjectum sentiens et intelligens, nempe idem suppositum, *conc.;* eadem potentia, *neg.* Nam singulae potentiae suas proprias vindicant determinationes.

Ad probat. β) *neg.* conseq., tum quia modus operandi est diversus in intellectu et voluntate, intellectus enim operatur efficiendo similitudinem intentionalem objecti, verbum, ad quam efficiendam non habet ex sua natura sufficientem virtutem, et quasi colores; tum quia ad actum voluntatis vere concurrit in genere causae finalis bonum in cognitione relucens; cui motioni voluntatis respondet praecise in intellectu objectivus influxus, qui fere per speciem exercetur.

---

(1) Cfr. cl. P. Palmieri, *Anthropologia*, thes. 25, *Demonstratio tertiae partis.*

(2) Durand. 1.° dist. 3, quaest. 5.

(3) Vide cl. P. Palmieri, loc. cit., ubi multa repetuntur jam a veteribus specierum osoribus objecta.

Ad probation. γ) *concedo* totum, sed *neg*. conseq. Non enim negamus objectum intellectui debere praesentari per phantasiam, sed quod sola praesentatio haec sufficiat, nisi addatur influxus aliquis receptus ex objecto in intellectu.

Ad probat. δ), disparitas est. Quia ex allatis argumentis ostenditur insuficientia virtutis potentiae intellectivae ad cognoscendum, nisi compleatur per influxum objectivum. Et propterea intellectus possibilis, donec accipiat speciem, determinari nequit ad actum, etiamsi adsit sensatio et phantasmata. Intellectus autem agens ideo ad solam praesentiam phantasmatis illico determinatur ad abstrahendam speciem, quia jam est ex se virtus completa ad hoc munus exercendum, nam talem ex natura sua esse probatur, ut inferius videbimus.

Caeterum in tota argumentatione adversarius supponere videtur, intellectum ad cognitionem,eliciendam solum egere determinatione *quoad exercitium actus:* resque non ita se habet. Nos enim ostendimus intellectum egere determinatione *quoad specificationem actus*, quae importat complementum virtutis necessarium. Indeterminatio ergo intellectus ad actum non procedit ex mera indifferentia vel libertate ad illud ponendum (nam est potentia necessaria, et proinde non habet hujusmodi indifferentiam), sed procedit ex insufficientia virtutis, quae non tolli potest nisi per complementum accedens ex influxu objecti.

Instabis 1.° Egeat sane complemento intellectus: illud praeberi poterit a phantasmate absque ullius praeterea speciei necessitate. Ergo gratis obstruduntur species. **Prob. antec**. Secundum ipsos Scholasticos specierum fautores phantasma simul cum intellectu agente concurrit ad speciem impressam producendam. Cur ergo non possit phantasma simul cum intellectu possibili concurrere ad ipsam intellectionem immediate absque specie? Nam α) phantasma non minus intime connexum est cum intellectu possibili, quam cum agente; nec β) ipsa intellectio videtur operatio magis spiritualis, quam intelligibilis speciei productio: nec γ) demum etiamsi detur, intellectum possibilem indigere complemento ad cognitionem eliciendam, non sequitur illud precise praebendum esse per formam intrinsecam potentiae inhaerentem, qualis est impressa species.

Respond., *neg* conseq. **Ad probation**. *neg*. parit., 1.° quia intellectio est actus ultimatus et specifice peculiaris intellectui; speciei autem impressae productio non est nisi actio praeliminaris et via ad intellectionem. Ergo quamvis intellectus agens non egeat ad productionem impressae speciei juvamine spiritualis alicujus virtutis, sed satis habeat cum instrumentali concursu phantasmastis, haud inepte requiritur amplius ad productionem intellectionis. 2.° Idque confirmatur exemplo voluntatis, quae pariter requirit ad actum suum omnia comprincipia ejusdem ordinis spiritualis; unde communissime negatur sufficere ad volitionis actum cognitionem praeviam sensitivam. 3.° Ex allatis probationibus satis eruitur, intellectum non constitui adaequatum intellectionis principium, nisi per formam aut virtutem sibi inhaerentem, tum quia de facto tales sunt species rememorativae, diversae omnino a phantasmate, utpote quae remanere possunt etiam in anima separata; tum quia species quoque sensibiles ipsam potentiam, quam complent, ac foecundant, actuare debent, quin sufficiat sola exterior sensatio, ut sensus interior sine propria sua specie actum elicere valeat: ex quo per analogiam idem de intellectu asserere licet. At profecto phantasma non est, nec potest esse forma intellectui inhaerens, quia est actus materialis et ordinis sensibilis.

Quare nihil evincunt probationes consequentis.

Instabis 2.° Si phantasma non sufficeret ad intellectum complendum ac determinandum, non intelligítur, cur intellectus semper dependeat a phantasmate in intelligendo. Nam positis speciebus, haberet quidquid sufficit ad actum intellectionis ponendum, ad quem, sicut ad actum cujuslibet potentiae necessariae, nihil requiritur praeter virtutem completam.—**Respond.**, *neg.* assert. Ad probation. *disting.* assert. Positis speciebus haberet quidquid sufficit, etc., ex parte virtutis necessariae, *conc.*; ex parte conditionum praerequisitarum *neg.* Itaque ad primam intellectionem de quovis objecto intellectus dependet a phantasmate propter species acquirendas; iis autem acquisitis, adhuc dependet a phantasmate tamquam a conditione propter statum animae in hac vita, prout superius explicatum reliquimus (num. 248).

Objic. 6.° Si dantur species impressae, vel conservantur in perpetuum, vel pereunt. *Atqui non pereunt*, nam nulla est ratio cur perire debeant. *Nec conservantur*, α) tum quia secus deberent versari in actuali exercitio, et sic deberemus semper actu cogitare de omnibus, quorum species habemus; γ) tum quia secus inexplicabile est phaenomenum oblivionis rerum multarum; δ) tum quia ad hanc oblivionem explicandam deberet statui, quasdam species sopitas esse posse, si autem sopitae sunt, quomodo postea excitantur?

Respond., *conc.* Major., tamen ut putem species sensibiles externi sensus illico perire, ut patet experientia, quia dantur ut objectum hic et nunc praesens cognoscant unde ab objecto pendent in fieri et conservari; species vero sensus interni posse diu conservari, prout apparet ex memoriae atque imaginationis actibus, et posse quoque perire, quia materiales sunt; intelligibiles demum ex communissima sententia perpetuo conservari. Verum haec inferius declarabuntur, ubi de proprietatibus specierum (1).

Nec vero rationes contrariae quidpiam evicunt. **Ad primam** α) *neg.* assertionem, tum quia id et impossibile est, et in magnum gravamem cederet, species autem dantur in bonum et commodum hominis; tum quia sicut intellectus nequit operari nisi simul operante phantasia, ita species intelligibiles, quamvis vere adsint in intellectu, non determinant ad actum, nisi correspondentes eidem objecto species memoriae aut imaginationis sint in actu. Cum ergo species imaginationis circa aliquod objectum perire possint, aut etiam hic et nunc sopitae esse; nec intelligibiles species ejusdem objecti, licet dentur, actu potentiam ad intellectionem movebunt.

---

(1) Vide num. 277, *Tertia proprietas...*

Ad probation. β) respondeo phaenomenum oblivionis intellectualis explicari per amissionem specierum imaginationis aut memoriae sensitivae, ut modo innuebam. Etenim connexio intellectus et phantasiae in operando quam experimur, quandium mortalem hanc vitam ducimus satis ostendit connexionem specierum utriusque memoriae, sensitivae atque intellectivae, adeo ut nulla excitetur in intellectu species, etiam ex imperio voluntatis, quin simul in memoria sensitiva evigilet species intelligibili correspondens, quae, si corrupta sit, eo ipso cognatam speciem intellectualem relinquet otiantem, ac tum plena oblivio rei continget, quasi nunquam alias cognita fuisset. Verum species illae hoc pacto sopitae, ac novis cognitionibus gignendis ex defectu conditionis inhabiles, separata anima a corpore, poterunt excitari, et cognitioni per totam aeternitatem inservire (1).

Ad probat. γ) Excitatio specierum, quae non est nisi nova determinatio specierum ad operandum, potest ex variis causis explicari. **Prima est** modificatio chimica vel excitatio functionis nerveae quae structuras elementorum cerebralium praedispositas attingit. «**Secunda causa** est affinitas aut connexio specierum inter se propter affinitatem, similitudinem aut connexionem objectorum, vel propter modum et ordinem, quo acquisitae fuerunt. Hinc ex adventu novae speciei evigilare solent aliae dudum consopitae, ut ad conspectum noxii hominis redit memoria malorum, quae olim intulit... **Tertia causa est** imperium voluntatis, quod, praelucente cognitione confusa de objecto antea cognito, v. g. de historia aliqua lecta vel audita, intellectum applicat, et consequenter phantasiam aut cogitativam materialem, ad resumendas species rerum et circumstantiarum in particulari. Hinc provenit conatus ille mentis et phantasiae, quo interdum species quasi amissas quaerimus, vel quasi remotas advocamus» (2). Quid porro istae aliaeve id genus causae in speciebus efficiant, ut eas excitent, longe obscurius est, ac nondum potuit certo deprehendi. Plura in alio opere (3).

---

(1) Lossada, loc. cit., num. 48.
(2) Lossada, loc. cit., num. 50.
(3) Volum. 5, num. 100 et 206.

ARTICULUS III

Utrum potentia vel virtus formaliter cognoscitiva sit passiva, an activa.

260. **Status quaestionis.** Agitur solum de virtute *formaliter cognoscitiva* seu cognitionem eliciente, quia in intellectu praeter hujusmodi virtutem adest alia prorsus activa, quae dicitur *intellectus agens*, et abstrahit species intelligibiles. In sensibus quoque nonnulli voluerunt obtrudere virtutem quamdam similem species producentem, de qua non est nobis nunc agendum. Ideoque controversia restringitur ad potentiam, quatenus cognitionem elicit. Porro potentia cognoscitiva spectari potest sive respectu objecti sive respectu actus. Respectu actus diceretur passiva, si non efficeret, sed tantum reciperet actum, activa vero dici potest, si vere cognitionem elicit ex interna virtute. Respectu autem objecti dicitur passiva potentia cognoscitiva, si patitur aut immutatur ab objecto; activa vero diceretur, si cognitionem eliceret agendo circa objectum et immutando illud, sicut potentia vegetativa exercet nutritionis actum.

Sententiae. Visivam potentiam activam esse sequitur in sententia Platonis et Empedoclis, qui putarunt visionem perfici per hoc, quod lumen exit ab oculo sicut ex lucerna (1). Passivam autem esse potentiam cognoscitivam respectu objecti, communis est vox Philosophorum. Respectu etiam objecti pure passivam volunt illi, qui cognitionem in mera speciei receptione reponunt, ut Democritus v. g. inter veteres, et illi materialistae qui cognitionem in mechanicis motibus et materialibus impressionibus ex objectorum actione in organo existentibus reponunt (2). Communis autem Scholasticorum, eaque vera, sententia docet cognoscitivas potentias ita esse passivas, ut vere tamen operentur, et active se habeant in cognoscendo, quia cognitio non consistit in mera speciei receptione, sed in mox consecuta vitali operatione ac quasi reactione.

261. Propositio. **Quamvis species debeat intrinsece afficere potentiam cognoscitivam, cognitio tamen non consistit in sola speciei receptione, sed in immanenti, quae mox consequitur, operatione. Unde potentia quidem cognoscitiva et activum et passivum praebet in cognoscendo concursum, simpliciter vero dicenda est potentia passiva.**

Prima pars: *Species debet intrinsece afficere potentiam*, probatur, quia species est accidens, quod proinde in potentia vel virtute, quam complet ac determinat ad actum, recipienda est. Potentiam vero intrinsece afficere debet, quia non sufficit mere physica praesentia speciei in potentia, qualis potest etiam dari in eo, qui dormit, aut lethargo laborat, ideoque sentire non valet, sed requiritur, ut species interius tangat, et excitet virtutem cognoscitivam. Et hoc est, quod nonnulli videntur significare, cum ad sensationem dicunt cum S. Thoma (3) necessariam esse immutationem inmaterialem vel spiritualem.

Secunda pars: *Cognitio non consistit in sola speciei receptione*, **probatur in primis de sensatione 1.°** Sensatio enim est operatio vitalis et immanens. Atqui non foret, si in sola speciei receptione consisteret. Ergo...

---

(1) Aristot., opusc. *de sensu et sensato*, cap. 4; S. Thom., ibid., lect. 3, paragr. *e* seqq.; et lec. 4, paragr. *d;* Conimbricens., *de anim.*, lib. 2, cap. 7, quaest. 5, art. 1.

(2) Vide opus fusius, volum. 5.°, num. 101.

(3) 1 p., quaest. 78, art. 3; *de potent.*, quaest. 5, art. 8; quaest. *de anim.*, art. 13.

Major constat ex communi sensu et conscientiae cujusque testimonio; omnes enim distinguunt sensationes ab operationibus transeuntibus extrinsecus receptis, illasque ut peculiari modo suas proprias habent. **Minor non minus manifesta** per se est.

Prob. 2.° Si sensatio consisteret in sola speciei receptione, α) denominationes *videntis*, *audientis*, *odorantis*, etc., active refundendae essent solum in ipsa objecta sensibilia, quae *videntur*, *audiuntur*, etc. Hoc autem et absonum et communi sensui repugnans videtur. In contraria sententia vel requiritur aliqua peculiaris activitas ad sentiendum, vel nulla. *Si aliqua*, ergo sensatio non consistit in sola speciei receptione, ad quam profecto non est necessaria activitas. *Si nulla;* ergo nec requiretur ad sentiendum anima vel forma sensitiva. Hinc vero logice sequitur automatismus cartesianus et materialismus, sensationem in solo motu fibrillarum aut in organica impressione extrinsecus impressa reponens: quos errores superius explosos reliquimus.

Probatur eadem secunda pars de intellectione 1.° ex testimonio conscientiae, quae multo luculentius ostendit propriam activitatem et conatum, praecipue in reflexione, in discursu, in cognitione abstractiva et universali, etc. Atqui in mera receptione speciei nulla necessaria est activitas, nullus proprius conatus.

Prob. 2.° Dantur in intellectu habitus, ut supponimus nunc ex communissimo consensu Philosophorum. Atqui habitus certissime non dantur nisi ad operandum, nec gignuntur nisi ex actuum multiplicatione (loquor de naturalibus). Ergo intellectio importat propriam intellectus operationem, non meram speciei receptionem (1).

Tertia pars: *Potentia cognoscitiva et activum et passivum praebet in cognitione concursum*, nempe activum in illa efficienda, passivum in illa recipienda et similiter in speciei impressae receptione.

Quarta pars: *Potentia cognoscitiva simpliciter dicenda est potentia passiva*, probatur 1.° quia magis patitur, vel recipit, quam agit, ut constat ex praecedenti parte. 2.° Quia denominationes accommodandae sunt pro subjecta materia. Ubi ergo sermo est de potentiis, quae activitatem aliquam important, quales sunt, ex dictis, omnes cognoscitivae, illae speciali modo merentur nomen passivarum, quae respectu propriorum objectorum se habent passive quae nimirum nihil agunt ad illa transmutanda, sed potius ab eis patiuntur (2). Atqui tales sunt potentiae cognoscitivae, quatenus exercent actum cognitionis. Ergo... (3).

Caeterum passio, a qua potentiae cognoscitivae denominantur, intelligenda est, non propria, sed impropria. Passio propria importat receptionem formae vel actus subjecto nocentis, non convenientis propter contrariam, qua gaudet, formam. Impropria passio est receptio actus vel formae non habentis contrarium, quod abjiciendum sit, in subjecto. Potentiae itaque cognoscitivae dicuntur passivae per passionem impropriam, quia nec species impressae nec actus cognitionis debent quidpiam corrumpere in subjecto, sed ei afferunt perfectionem non pugnantem cum aliis perfectionibus aut formis, quas habet. Id constat praesertim in intellectu; nam in sensu, quia materialis est, ex receptione speciei, quae et ipsa materialis est et per actionem materialem imprimitur, dari videtur etiam aliqua passio propria.

---

(1) Cfr. opus aliud, volum. 5.°, num. 102.

(2) Vide S. Thom., *de verit.*, quaest. 16, art. 1, ad 13.

(3) Vide S. Thom., *Contr. Gent.*, cap. 57, *Sed hoc esse non potest...*, 1 p., quaest. 78, art. 3; *de verit.*, loc. nup. cit.; quaest. *de anim.*, art. 19. Et lege Suarez, *de anim.*, lib. 3, cap. 7.

Quaedam objectiones levioris momenti videri possunt in opere fusiori ubi etiam mens Aristotelis et S. Thomae declaratur (1).

ARTICULUS IV

Quid et qualis sit species impressa.

262. Status quaestionis. Existentiam speciei probavimus titulo formae cujusdam *potentiam unientis cum objecto* et *determinantis, complentis* ac *foecundantis ad actum*, quae proinde sit *vicaria* objecti, utpote vices ejusdem gerens in praestando respectu potentiae munus illud, quod objectum per se praestaret, si posset eidem immediate uniri. Unde sequitur speciem tribuere potentiae auxilium *objectivum* se tenens ex parte objecti, non vero subjectivum seu pertinens ad ordinem ipsius virtutis cognoscitivae. Non enim potentiae addit virtutem praecise cognoscitivam vel illam expeditiorem reddit, sicut v. g. habitus, sed tribuit concursum quem objectum tribuere debet potentiae, quantumvis haec perfecta et completa et expedita *in ratione potentiae* supponatur, ab utroque enim notitia paritur, a potentia et objecto. Duplex ergo apprime distinguendum est adjumentum vel comprincipium in potentia cognoscitiva, alterum *subjectivum* seu se tenens ex parte potentiae, *objectivum* alterum seu se tenens ex parte objecti. In actibus supernaturalibus auxilium gratiae, v. g., vel habitus supernaturalis est comprincipium subjectivum, quia quantumvis potentia supponatur completa etiam per species, non est proportionata, ut eliciat sine tali auxilio actum supernaturalem, quamvis esset proportionata ad naturalem eliciendum. In visione beatifica similiter distinguunt Theologi utrumque istud comprincipium: *lumen gloriae* se tenet ex parte subjecti, confortans potentiam in ratione virtutis cognoscitivae ad tam praeclarum actum, et *ipsa divina essentia* intime unita potentiae est comprincipium objectivum, in quo ordine disputant Theologi, utrum sit possibilis species creata foecundans intellectum ad perfectam Dei visionem. Nunc ergo determinanda est natura speciei impressae.

I.—Natura speciei impressae.

263. Quidquid ad naturam speciei enucleandam spectat, sequens continet.

PROPOSITIO 1.ª **Species intentionalis est qualitas quaedam realis, potentiae inhaerens, similitudinem quamdam gerens rerum cognoscendarum, atque ita potentiam determinans et complens ad actum cognitionis, ut ex utraque integrum atque adaequatum principium coalescat: et intelligibilis quidem species spiritualis vel immaterialis est, materialis autem sensibilis; neutra vero est simpliciter objecto perfectior, sed e converso forma objecti perfectiori modo se habet absolute in se, quam in specie.**

Prima pars: *Species intentionalis est qualitas realis*, probatur, quia species reale quiddam est, ut patet ex ejus probationibus. Ergo vel substantia vel accidens. Non substantia, tum quia indicia, ex quibus ejus existentiam probavimus, non evincunt perfectionem substantialem; tum quia ut sit vicaria et instrumentum objecti ad perficiendam cognitionem, sufficit eam accidentali entitate donari, sicut et potentia, quae instrumentum est animae, accidens est; tum quia nulla inter Scholasticos cognoscitur naturalis causa talium substantiolarum productiva. Ergo est accidens. Inter accidentia vero non apparet, quodnam aliud esse possit nisi qualitas, et qualitas quidem esse potest, quia potentiam bene afficit et complet in ordine ad operandum.

---

(1) Vide volum. 5.um, num. 104.

264. **Unum probe nota**. Passim reperies apud veteres potissimum Thomistas distinctum duplex *esse* in specie: unum *entitativum*, alterum *repraesentativum* seu imaginis. Et secundum primam quidem considerationem docent illi auctores speciem esse qualitatem, secundum alteram vero praescindere ab hoc quod sit substantia vel accidens, sed posse utrumque esse pro natura rei, ad quam cognoscendam inducit, quandoquidem species repraesentative spectata dici quodammodo potest ipsum objectum, nempe species substantiae substantia, et accidentis accidens, etc. Unde etiam speciem, qua talem seu secundum esse repraesentativum contendunt peculiari aliqua ratione informare potentiam, ita ut ex potentia et specie resultet aliquid magis unum in *esse* intentionali ac repraesentativo, quam resultet in *esse* physico ex materia et forma (1).

Haec quae historice duntaxat hic referuntur, cum mica salis accipienda sunt. Fundamentum eorum est, ni fallor, in eo quod species sit similitudo quaedam vel repraesentatio objecti, quae dici quodammodo potest ipsum objectum, sicut superius explicuimus de verbo seu actu formali cognitionis. Et solum analogice ac secundum repraesentationem vera esse possunt praedicta Thomistarum asserta circa speciem impressam. Immo vera non sunt, nisi tribuatur impressae speciei similitudo formalis cum objecto: qua de re statim dicendum est (2).

265. **Secunda pars:** *Species potentiae cognoscitivae inhaeret*, probatur, quia qualitatis est inhaerere, cum sit accidens; illi autem inhaerere ceu subjecto debet, quod perficit et complet in ordine ad cognitionen, nempe potentiam. Caeterum per hanc speciei inhaesionem in potentia, huic uniri dicitur ipsum objectum, cujus illa est vicaria, fere sicut agens principale unitur (immediatione virtutis) (3) cum passo, in quod agit, per instrumentum, et movens cum mobili per impetum (4). Unde etiam intelliges, cur objectum ipsum interdum dicatur a S. Thoma perfectio potentiae cognoscitivae, videlicet ratione speciei, quae illam informat, et foecundat ad cognitionem (5).

Quare inter speciem et potentiam vere ac realiter non intercedit nisi unio accidentalis, Thomistae tamen cum cardin. Cajetano praedicant aliam unionem secundum *esse* repraesentativum multo intimiorem, identificantem potentiam cum specie: quam ad rem laudant, et amplectuntur celebre illud Averrois effatum: *Ex intellectu et intelligibili* (ratione speciei) *magis unum fit, quam ex materia et forma*, quia nempe per istam unionem materia non fit forma, sicut potentia fit unum idemque cum specie. Et in hoc sensu etiam forte scripserunt Aristoteles et S. Thomas (6) *sensum vel intellectum in*

---

(1) Non desunt tamen inter ipsos Thomistas, quibus haec asserta minus placeant, ut videre est apud *Collegium S. Thomae Complutense*, *de anim.*, lib. 2, quaest. 5, art. num 104, 111, 118.

(2) Cfr. opus aliud, volum. 5.^{um}, num. 107.

(3) Cfr. Compend. volum. 2.^{um}, num. 473.

(4) Cfr. Compend. volum. 3.^{um}, num. 216, prob. 3.°

(5) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 14, art. 5, ad 2.^{um}; dist. 35, quaest. 7, art. 1 ad 3.^{um}; *Contr Gent.*, lib. 1, cap. 48, *Praeterea*...

(6) Arist., *de anim.*, lib. 2, cap. 5, text. comm. 52; lib. 3, cap. 2,

actu (id est actuatum specie impressa) *esse ipsum sensibile vel intelligibile in actu*, id est speciem, per quam objectum fit actu ex proxime sensibile vel intelligibile (n. **113**). Dictum hoc S. Thomae atque Aristotelis nos superius interpretati sumus (n. **73**) de actuali cognitione seu specie expressa. Ut autem de impressa specie possit intelligi, videtur supponendum esse hanc esse objecti similitudinem *formalem;* solum enim ratione hujusmodi similitudinis et secundum *esse* repraesentativum, nullatenus autem secundum *esse* reale vel entitativum verificari potest, quod potentia identificetur cum specie, vel ratione speciei cum objecto. Itaque iterum moneo cum mica salis et in sensu duntaxat explicato accipiendas esse istas locutiones, quibus delectantur Thomistae; hic enim ante omnia oportet realitatem explicare, nec nimis insistere metaphoricis minusve propriis locutionibus (1).

266. Tertia pars: *Species est similitudo quaedam rerum cognoscendarum*, probata manet ex dictis superius (n. **254**, *Prob. 3.°)*, ubi existentiam speciei aut concursus objectivi conclusimus ex eo, quod formalis cognitio similitudinem et imaginem objecti prae se ferat, quae proinde in ipso principio vel efficiente causa cognitionis aliquo modo praesupponenda est, siquidem omne agens agit sibi simile (2). Atqui potentia cognoscitiva ex se non importat similitudinem cum objectis cognoscendis. Ergo eam ex ipso concursu objecti accipiat, necesse est, instar colorum, quibus imaginem illius depingat in actu cognitionis (3).

267. Difficultas autem est in declarando modo similitudinis ejusmodi Certum est speciem non esse debere similem objectis cognoscendis secundum *esse* naturale vel entitativum, sed solum secundum *esse* intentionale vel repraesentativum, sicut diximus alibi de ipso formali cognitionis actu (n. **73**). Hinc absurdissimus arguitur error Empedoclis et aliorum qui principium illud. *Simile simili cognoscitur*, de naturali similitudine interpretantes, animam, quia cognoscere materialia potest, ex iisdem constitutam voluere (4). In hoc ergo conveniunt omnes Scholastici cum S. Thoma, idque significasse videtur Philosophus, cum scripsit (5) objecta imprimere sensibus similitudinem suam sine materia, sicut sigillum aureum vel ferreum imprimit cerae suam formam sine auro vel ferro (6).

268. Verum controvertitur, *utrum praedicta similitudo debeat esse formalis, an vero sufficiat, ut sit tantum virtualis.* Formalis intelligitur illa, quae rem exprimit ac repraesentat per modum imaginis, formam ipsam ac lineamenta objecti prae se ferentis: quae

---

text. 139; et cap. 8, text. 37, 38; S. Thom., ibid., lib. 2, lect. 10, paragr. *b;* lect. 12, paragr. *g;* lect. 13 ab initio; et 1 p., quaest. 14, art. 2; quaest. 55, art. 1, ad 2.^{um}; quaest. 85, art. 2, ad 1.^{um}; quaes. 87, art. 1, ad. 3.^{um}.

(1) Vide opus fusius, volum. 5.°, num 112, 113.

(2) Cfr. Compend. volum. 2.^{um}, num. 453 et 441.

(3) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 78, art. 3; *de potent.*, quaest. 5, art. 8.

(4) Cfr. S. Thom., 1 p., quaest. 84, art. 1 et 2; *de verit.*, quaest. 2, art. 2.

(5) Vide Aristot., *de anim.*, lib. 2, text. 121. Cfr. ibid., S. Thom., lect. 24 initio.

(6) Vide S. Thom. (1 p., quest. 14, art. 1; *de verit.*, quaest. 2, art. 2, et art. 3, ad 9.^{um}, et art. 13, ad 1.^{um}, quaest. 8, art. 1 et 11, ad 3.^{um}; quaest 10, art. 4 corp. et ad 4.^{um}); Suarez *(de anim.*, lib. 3, cap. 2, num. 9 seqq.), cardin. Tolet. *(de anim.*, lib. 2, in comment. tet. 121, et quaest. 34, conclus. 2), Joann. a S. Thom. *(de anim.*, quaest. 6, art. 3, init.), etc., etc.

pacto effigies picta vel sculpta rei similis est, et cera formam sigilli sibi gerit impressam. Virtualis similitudo consistit in virtute atque efficacitate formalem similitudinem exprimendi: talem similitudinem habet semen respectu plantae mox evolvendae. Thomistae communissime censent formalem inesse speciei similitudinem objecti, licet concedant eam non tam claram, quae relucet in specie expressa vel in ipsa formali cognitione. Et huic opinioni non parum favere videntur Aristoteles et S. Thomas. Scotistae vero ac nostrates communius putant sufficere virtualem similitudinem, idque probabiliter sustineri posse fatentur plures graves Thomistae. Eligat prudens lector inter has opiniones illam, quae sibi magis placuerit; ego vero puto demonstrari non posse formalis similitudinis necessitatem absolutam in specie. Negari enim nequit virtualem sufficere, tum quia non major generatim requiritur in ulla causa efficiente ex praecisa ratione principii; tum quia nec apparet in specie ratio peculiaris ob quam ei asserenda sit formalis similitudo. Quare donec aliquis idoneam rationem attulerit, probabilius tenenda videtur virtualis (1).

269. **Quarta pars:** *Species ita potentiam determinat et complet, ut ex utraque unum integrum et adaequatum principium coalescat*, continet communem scriptorum (2) doctrinam, quamvis quidam nullam efficientem activitatem tribuerint impressae speciei, sed solam rationem purae conditionis determinantis vel excitantis potentiam (3); alii ex opposito totam activitatem cognoscitivam in specie reposuerint (4).

Probatur facile, quia in primis potentiam active concurrere negari nequit, cum sit virtus cognoscitiva. Quod vero species quoque active concurrit, constat ex probationibus, quibus illius existentiam ostendimus (n. 254, *Prob. 2.°* et *3.°*, n. 257); necessitatem enim objectivi concursus ad cognitionem derivavimus ex nativa insufficientia potentiae cognoscitivae, quae proinde complenda est per influxum, qui ab objecto praestetur vel inmediate, quod plerumque impossibile est, vel media specie (n. 258). Praeterea unum ex signis ad cognoscendam rei alicujus efficientem causalitatem in aliquem effectum, eamque discernendam a ratione purae conditionis, est quod illa res imprimat in effectum similitudinem suam. Atqui impressae speciei debetur quod in cognitione formali adsit objecti sui similitudo. Illud quoque rem hanc confirmat, quod quo perfectior et vividior est species, eo clarior et perfectior, caeteris partibus, esse soleat cognitio (5). Ergo species active et efficienter concurrit. Quare ex potentia et specie resultat adaequatum principium cognitionis.—Non convenit autem inter hujus doctrinae communissimae assertores,

270. **Quo pacto inter se comparentur potentia et species,** utrum instar duae causae partiales unam integrantes (6), quamvis potentia sit principalior, quemadmodum volunt Scotistae, consentientibus Capreolo, Cajetano et Soncinate, itemque nostri Suarez, Rubius, Conimbricenses, etc., an vero species se habeat potius ut principium *quo*, ut contendunt Ferrariensis, Bañez et Complutenses.

---

(1) Cfr. aliud opus, volum. 5.°, num. 110.

(2) Quos vide relatos in opere fusiori, volum. 5, num. 114.

(3) Ita sensisse videntur Henricus Gandavensis, Javellus, card. Toletus (*de anim.*, lib. 2, quaest. 12, concl. 2) et Franciscus Alphonsus Malpartidensis.

(4) Ita Alexander Aphrodisius, Albertus M. et Cajetanus, de quibus vide Suarez, *de anim.*, lib. 3, cap. 4, num. 4, et Martinez de Prado, *de anim.*, lib. 3, quaest. 11, num. 4.

(5) Vide S. Thom., *de verit.*, quaest. 8, art. 1.

(6) Cfr. Compend. volum. 2.^{um}, num. 445, *Tertio*.

Quamquam revera vocalis magis est haec lis, ut explicatum habes in alio opere (1).

Si autem quaeras, *utrum potentia et species reputandae sint ceu duae causae principales, an vero potius ceu instrumentales*, dicendum videtur potentiam specie informatam habere potius rationem instrumenti; potentia nempe instrumentum est animae, species vero est instrumentum objecti. Et ratio est, quia modus concurrendi causae principalis est, ut agat per virtutem propriam, modus vero agendi instrumenti est, ut virtus alterius (2). Atqui potentia operatur ut virtus animae, species ut virtus objecti. Ergo...—Caeterum actio potentiae atque speciei est una indivisibilis, ita ut nihil sola operetur potentia, solave species, sed totum sit opus utriusque indivisibiliter operantis.

271. **Si jam distinguere velis in hac indivisibiliter communi actione speciei ac potentiae** varias formalitates, v. g. vitalitatis et peculiaris repraesentationis atque imaginis objecti hujus vel illius, quae non re, sed ratione tantum diversificantur; prima influxui potentiae debetur, altera influxui speciei. Simili modo in intellectione spiritualitas in potentiam refundenda est (3).

272. **Quinta pars:** *Species intelligibilis est spiritualis; materialis vero sensibilis*, probatur 1.° ex communi omnium consensu. 2.° *intelligibilis est spiritualis*; quia est accidens potentiae spiritualis et complementum virtutis illius. Atqui accidens et complementum potentiae spiritualis non potest esse materialis. *Species autem sensibilis est materialis* ob similem rationem, quia si esset spiritualis, non posset recipi in subjecto materiali, quali est sensus (num. **128**), quin eo ipso dependeret in *esse* ab illo ut accidens ejusdem, ac proinde spiritualis esse desineret.

273. **Sexta pars:** *Species impressa non est simpliciter objecto perfectior, sed e converso forma objecti perfectiori modo se habet absolute in se, quam in specie*, probatur, tum quia species semper est accidens, objectum vero saepe substantia; tum quia species est vicaria objecti, ex quo proinde mensuratam habere debet suam perfectionem.

Per accidens autem et secundum quid dici potest species perfectior, et quia dantur species rerum immaterialium, nempe intelligibiles, quae spirituales sunt, ideoque ordinis altioris (4); et quia species ipsae sensibiles rerum materialium continere dicuntur formas earum sine materia, unde et penetrative recipiuntur plures species etiam contrariarum qualitatum in eodem subjecto, et sic habent modum quemdam essendi quodammodo immaterialem ac similem modo essendi spirituum. Ut omittam nunc, speciem pertinere ad ordinem intentionalem tamquam principium cognitionis, ordo autem intentionalis nobilior est ordine naturali rerum corporearum (5).

II.—Proprietates quaedam impressae speciei.

274. **Prima sit divisibilitas extensiva**, quae tamen valde controvertitur. Ne vero locus sit ambiguitatibus, **noto 1.°** sermonem esse de speciebus sensibilibus, nam spirituales propter indivisibilita-

---

(1) Volum. 5, num. 114, post relatas sententias.

(2) Cfr. Compend. volum. 2.^{um}, num. 455 seqq.

(3) Cfr. volum. 5.^{mu} fusioris operis, num. 114-118.

(4) Cfr. Compend volum. 2.^{um}, num. 337.

(5) Cfr. Suarez (*de anim.*, lib. 3, cap. 9, num. 4), Conimbricens, (ibid., lib. 2. cap. 6, quaest. 2, art. 2, ad 4.^{um}). Rubius (*de anim.*, lib. 2, tract. *de object.* et *specieb.*, quaest. 5), Lossada (*de anim.*.

tem et spiritualitatem subjecti prorsus indivisibiles habentur extensive, ita ut solum secundum intensionem gradus admittant. Quod vero ad sensibiles species spectat, **noto 2.º**, duplicem distingui posse divisibilitatem et indivisibilitatem: alteram *subjectivam* vel *entitativam*, alteram *objectivam* seu *repraesentativam*. Subjectiva divisibilitas consistit in multitudine partium extensivarum, quibus species in sua physica entitate coalescat, et e converso indivisibilitas in ejusmodi partium carentia. Objectiva divisibilitas in eo sita est, quod una pars speciei unam duntaxat objecti partem repraesentet, et alia aliam, et omnes simul totum objectum; objectiva vero indivisibilitas in eo, quod singulae partes speciei totum repraesentent objectum.

275. **Species sensibilis est procul dubio divisibilis entitative aut subjective; ac probabilius etiam objective seu repraesentative.**

Historiam quaestionis et argumenta scholasticorum antiquorum in alio opere, ubi etiam difficultates solutas reperies (1).

276. **Secunda speciei proprietas est extensio intensiva** (2), *seu capacitas intensionis et remisionis*. Haec probatur experientia, quia clarius percipiuntur objecta propinquiora, quam remotiora. Dantur praeterea diversi gradus perfectionis in percipiendo etiam res aeque distantes pro varietate medii, ut constat in visione atque auditione. Id autem ex sola specie pendere videtur, ubi sermo est de eadem physice potentia varie percipiente (3).

277. **Tertia proprietas speciei est corruptibilitas et incorruptibilitas**, nimirum intelligibilis est incorruptibilis, sensibilis vero corruptibilis ut jam superius dictum est (n. 259 in respons. ad *Objic. 6.º)*. Ratio, cur intelligibiles species sint incorruptibiles, est, quia nec contrarium habent, cujus actione corrumpantur, nec subjectum earum deficere potest, cum sit spirituale. Species sensuum externorum, deficiente aut recedente objecto, a quo producuntur, evanescunt, quia dantur solum ut praesens hic et nunc objectum repraesentent, a quo proinde in *fieri* et *conservari* pendent. Species autem sensuum interiorum durant diutius, ut patet in memoria et imaginatione: oblivio vero rerum probat illas deleri posse, ac porro deleri. Pereunt autem, non quia contrarium habeant, nam nec sensibiles species reapse videntur contrarium habere, siquidem possunt simul esse in eadem potentia species contrariarum qualitatum v. g. colorum et sonorum contrariorum. Corrumpi ergo videntur ex defectu et ex accidentali mutatione vel alteratione subjecti, nempe cerebri. Ex defectu quidem, quia si particulae cerebri, quibus inhaerent species, atterantur vel renoventur, aliis in earum locum succedentibus, species quoque simul cum illis peribunt; idemque accidere posse ex alteratione organi vel propter defectum debitae dispositionis, facile concipitur. Unde haud absurde conjicitur inesse cerebro a natura inditam qualitatem quamdam, cujus munus sit disponere illud ad recipiendas retinendasque species: ejusmodi qualitas alios in aliis individuis gradus habere poterit, itemque intendi vel remitti in eodem subjecto, et plus minus expeditam esse ratione aegritudinis, immo et destrui. Ex quo habes etiam explicatos varios gradus memoriae in diversis individuis, variasque affectiones augmenti, decrementi et amissionis ac restitutionis in eodem.

---

disp. 6, num. 61 et 73).

(1) Volum. 5, num. 120, 121.

(2) Cfr. Compend. volum. 2.$^{\text{um}}$, num. 365, ubi explicatur discrimen intentionis et extensionis.

(3) Quaedam alia in opere fusiori, volum. 5.º, num. 122.

ARTICULUS V

Causa efficiens intelligibilium specierum.

278. **Varia specierum genera distingui possunt:** nan ut omittam nunc experimentales vel reflexas, per quas intellectus cognoscit suos proprios actus in se reflectendo, has enim alii admittunt, aliis rejicientibus; ex directis quaedam sunt species *primariae* vel *immediatae,* quaedam *derivatae* vel *discursivae.* Priores serviunt ad primas et immediatas cognitiones objecta referentes sine discursu, analogia vel comparatione ad alia; posteriores serviunt ad mediatas ac discursivas et analogicas cognitiones: dari enim hujuscemodi quoque species eruitur ex eo, quod postquam res ex discursu cognoverimus, possimus recogitare recordando conclusionem independenter ab objecto, et consequenter a speciebus praemissarum vel medii termini. Et quamquam sunt etiam qui nolint admitere species derivatas (1), multi tamen probabilius illas admittunt (2) cum Sancto Thoma (3). Non inquirimus nunc causam specierum discursivarum aut derivatarum et reflexarum, si dentur, nam possunt hae produci ab intellectu possibili per ipsos actus ratiocinii ac per actus directos. Quaestio praesens investigat tantum causam specierum primarum et immediatarum, quae tandem sunt species objectorum materialium sensibilium, haec enim sola sine discursu et analogia vel comparatione ad alia cognoscuntur.

I.—Variae sententiae.

279. Veteres materialistae cum Democrito ac Stoici opinati sunt imagines objectorum ab ipsis corporibus diffluentes subire animum atque ad intellectionem determinare.

Alii species intelligibiles, quas *ideas* dixere, innatas vel animo concreatas posuerunt. Quam doctrinam Plato docuisse primus videtur, cum formas specificas rerum sensibilium finxit per se sine materia subsistentes (4), quae, sicut participatae a materia corporali constituunt corpora, ita participatae ab anima efficiunt cum ea cognitiones rerum (5). Hujusmodi formas innatas asseruit Plato animabus, quas ab initio sine corporibus creatas finxit, et in illarum perpetua contemplatione versari, donec in poenam nescio cujus peccati detrusae sunt in corpora, et sic oblitae quidquid ingenitarum illarum specierum beneficio noverant (6). Unde sequitur nos, cum scientias addiscimus, nihil *de novo addiscere*, sed solum *reminisci* quae olim noveramus (1). In hac ergo sententia Deus ipse foret auctor specierum intelligibilium, qui eas animo infunderet in creatione. Paulo aliter eamdem doctrinam tradidit Avicenna, qui cum videret formas rerum non posse per se subsistere, finxit illas immaterialiter existere in intelligentiis separatis, id est in spiritibus puris seu angelis, e quorum primo derivantur species intelligibiles in sequentem, *et sic de aliis usque ad infimum angelum, et quo effluunt species hujusmodi in animas nostras, et formae sensibiles in materiam corporalem* (2). En celebrem Avicennae sententiam *de intellectu agente separato*, uno pro omnibus, quam alii quoque arabes secuti sunt, ut Avempace atque Averroes.

---

(1) Ita v. g. Mastrius, *de anim.*, disp. 6, art. 2, num. 183.

(2) Vide v. g. Conimbricenses *(De anim.*, lib. 3, cap. 5, quaest, 5, art. 2), Complutenses (ibid., disp. 18, quaest. 6, num. 79 et 99; disp. 20, quaest. 2, num. 28), Joann. a S. Thoma (ibid., disp. 10, art. 1 in respons. ad 3.um argum., et art. 4, *Dico 3.º)*, Lossada (ibid., disp. 8, cap. 4, num. 4), etc.

(3) 1 p., quaest. 12, art. 9, ad 2.um. Cfr. quaest. 85, art. 2, ad. 3.um.

(4) Vide Compend. volum. 1.um, num. 395.

(5) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 84, art. 4, 5 et 6; quaest. 79, art. 3; *de anim.*, lib. 3, lect. 10; *de verit.*, quaest. 10, art. 6.

(6) S. Thom., 1 p., quaest. 84, art. 3.

Ideae innatae tribuuntur etiam Cartesio, qui triplicis generis distinxit ideas vel cognitiones, *adventitias*, *factitias* et *innatas* (3). Adventitiae sunt, quas usu sensuum mens acquirit; factitiae vel fictitiae, quae ab intellectu conflantur vel pro arbitrio, ut idea chimaerae aut sirenis, vel ope discursus ratiocinando circa objectum idearum adventitiarum et innatarum. Innatae demum sunt animo nostro concreatae, «quae innatae dicuntur, inquit cartesianus Le Grand, eo modo, quo dicimus *calculum* aut *podagram* quibusdam familiis naturalem esse, quando qui ex ipsis oriuntur, proximam ad illos morbos dispositionem secum afferunt» (4). Tales sunt v. g. ideae notionum transcendentalium et Dei. Caeterum Cartesius semel saltem diserte declaravit, se nomine idearum innatarum nunquam intellexisse *aliquid diversum a facultate cogitandi* (5). Quare innatae ideae Cartesii non videntur habere aliquid commune cum speciebus Scholasticorum, sed verisimilius sunt vel aliqua dispositio naturalis intellectus ad certas cognitiones habendas, vel actuales quaedam certorum objectorum cognitiones, quas perenniter eliciat.

Leibnitzius, Kant et Rosmini etiam habentur patroni idearum innatarum, quae sunt pariter distinctae a speciebus. Leibnitzius enim ea voce intellexit actuales quasdam cognitiones mundanorum objectorum animo in creatione insertas, quae quidem initio sint obscurae, postea vero successu temporis distinctiores fiant: quare eatenus videntur innatae dici, quatenus supponunt in anima *virtualitatem* vel *dispositionem* quamdam, ut nonnullae hujusmodi cognitiones confusae, accedente sensatione, distinctiores fiant. Kantius dici non potest idearum innatarum assertor nisi ratione formarum cognitionis, sive sensibilis sive intelligibilis, quas subjectivas et *aprioristicas* esse voluit (6). Denique Rosminius unam solam ideam entis *possibilis* et *indeterminati* innatam dixit. Quare nec Cartesii nec Leibnitzii nec Kantii nec Rosminii doctrina in trutinam revocabitur in hac quaestione de origine vel causa efficiente specierum intelligibilium.

---

(1) S. Thom., ibid., art. 4 et 6. Cfr. Compend. volum. 1.um, num. 475.

(2) S. Thom., 1 p., quaest. 84, art. 4; 1 p., quaest. 79, art. 4 et 5; *De spirit. creat.*, art. 10; quaest. *de anim.*, art. 5; *de verit.*, quaestio 10, art. 6; *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 76.

(3) Des Cartes, in 3.a *Meditatione*, non procul ab initio.

(4) Le Grand, *Philosophia secundum principia D. Renati Descartes*, pars. 9.a, art. 4, num. 1. Et idem prius docuerat ipse Cartesius, *Lettre 38.e*, edit. Garnier, IV, 85.

(5) Cartesius, in loc. nuper citat.

(6) Hujus viri systema inferius integrum describetur.

Denique Scholasticorum opinio communis ea fuit, intelligibiles species produci a virtute quadam activa ejusdem intellectus, quam *intellectum agentem* vocant, qui proinde non est extra animam nostram, ut intellectus agens Avicennae, sed est accidens ipsius animae.

280. **Sententia veterum materialistarum specialem refutationem non meretur**, quia objecta sensibilia sunt materialia, species vero intelligibiles immateriales. Atqui ens materiale non potest esse causa adaequata immaterialis vel spiritualis entitatis. Accedit, quod, si objecta sensibilia directe ac per se intelligibiles species causarent, possent illas causare etiam, quin mediaret sensatio. Atqui certum est atque compertum, nullam dari speciem propriam et directam eorum sensibilium, quorum nulla praecessit cognitio sensitiva. Ergo...

II.—Excluduntur ideae vel species innatae.

281. PROPOSITIO I.ª **Nullae sunt in humano intellectu innatae species.**

Prob. 1.° Si nullae reapse darentur species animo concreatae, sed omnes essent paulisper acquirendae, non aliter nos haberemus in comparandis scientiis, ac nos habemus nunc. Ergo nullae sunt ideae vel species innatae.

Prob. conseq., quia qui ab ineunte aetate paratas habet species ad rerum cognitionem necessarias, nequit se habere, sicut qui eas proprio marte pedetentim sibi comparare cogitur.

Prob. antec. Hoc enim omnes experimur, et recordamur, nos initio nullis gaudere cognitionibus, et in earum assecutione ab imperfectiori ad perfectius gradum facere. Unde Aristoteles scripsit experientia edoctus, intellectum nostrum initio se habere tamquam tabulam rasam, in qua nihil est scriptum (1).

Prob. 2.° Si essent in intellectu species innatae, non posset explicari id, quod omnes experimur, nempe multa nos non posse cognoscere, nec semper cognoscere quaecumque volumus. Ergo... **Antecedens patet**, quia oblivio rerum orta ex unione animae cum corpore, quam ponunt Platonici, et arbitraria est, et insufficiens ad rem explicandam, tum quia nunquam obliviscimur ea, quae quasi naturaliter intelligimus, ut prima principia et veritates immediate evidentes, quales profecto forent omnes illae, quarum species animus concreatas possideret; tum quia si vera foret haec Platonis hypothesis, unio animae cum corpore foret in malum illius, quod dici nequit de unione naturali (2).

Prob. 3.° Cum adsunt species rerum quamvis consopitae, sufficit una sensatio, quae vel unius proprietatis speciem excitet, ut illico possimus etiam substantiam cogitare: sic si vel solam vocem hominis tibi notissimi audias, statim poteris totum hominem repraesentare. Atqui nihil hujusmodi experimur, cum res prima vice cognovimus. Ergo id evidenti signo esse debet, quod non sint nobis innatae species, sed debeamus illas succesive comparare.

---

(1) Aristot., *de anim.*, lib. 3, cap. 4, text. 15. Cfr. S. Thom., ibid., lect. 9, paragr. *c.*

(2) Cfr. instantia soluta in volum. 5, num. 132. *Prob. 2.°*, *Dices...*

Prob. 4.° Praeterea *deficiente aliquo sensu, deficit scientia eorum, quae apprehenduntur secundum illum sensum; sicut caecus natus nullam potest habere notitiam de coloribus. Quod non esset, si intellectui animae essent naturaliter inditae omnium intelligibilium rationes. Et ideo dicendum est, quod anima non cognoscit corporalia per species naturaliter inditas* (1).

Prob. 5.° Si species rerum innatas haberemus α) non tam operosa foret scientiarum assecutio, quantum modo experimur; non enim valde arduum est in memoriam revocare, quae quis bene novit. β) Item cognosceremus res etiam divinas et spirituales et corporum essentias conceptibus propriis, ope videlicet specierum ad eas repraesentandas naturaliter inditarum. Atqui hoc experientiae repugnat.

282. **Objic. 1.°** Testante S. Gregorio et communi Theologorum sensu, *homo habet commune cum angelis intelligere* (2). Sed angeli omnia intelligunt per formas intelligibiles naturaliter inditas. Ergo.—**Respond**.; *dist.* Ita est commune homini cum angelis intelligere, ut eodem etiam modo intelligat, ac illi, *neg.*; ut aliter intelligat, *conc.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq. Quo pacto angeli intelligant, docebunt Theologi. Quidquid vero de illis sit, certum est ex probatis nos speciebus innatis non uti.

Objic. 2.° Nisi essent nobis innatae species, ministerio sensuum acquirerentur. Atqui nequeunt acquiri. Nam α) sunt in mente ideae universales. Atqui hae a sensibus proficisci non potuerunt, siquidem hi circa singularia essentialiter versantur. β) Idem dicatur de ideis veritatis, justitiae, sapientiae, etc., etc., quae per sensus hauriri non potuerunt, ac proinde species, animo congenitas requirunt. γ) Si mens acciperet a sensibus species, dependeret a corpore in sua praecipua operatione, ac consequenter in *esse*, nec posset essc spiritualis

Respond., *neg.* Minor. **Ad probat.** α) *disting.* Minor. Ideae universales a sensibus immediate proficisci nequeunt, *conc.*, mediate, *neg.* Resque bifariam explicari potest: **primo**, si cum Thomistis dicatur virtutem animae specierum productricem, praesente phantasmate rei materialis et singularis, abstrahere speciem tantum repraesentatem naturam rei universalem, neglectis notis individuantibus. **Secundo**, in contraria sententia volente intellectum agentem abstrahere speciem primo repraesentantem naturam cum suis notis individuantibus: nan intellectus post primo cognitas res in individuo, potest inductione ac comparatione illorum id, quod commune est pluribus singularibus, et quod peculiare, advertere, ac mox naturas repraesentare secundum communes notas, praecisis differentiis.

Respond. ad probation. β) eodem modo. Istae nempe et aliae id genus rationes non immediate hauriuntur ex sensibus, sed intellectus, posita rerum sensibilium cognitione et speciebus, postea per reflexionem, comparationem et analogiam ac ratiocinationem caeterarum rationum species et cognitiones assequitur.

Respond ad probation. γ) *dist.* assert. Dependeret extrinsece et objective (n. 242), *conc.*; intrinsece ac tamquam ab organo, *nego.* Quare non dependeret in *esse* (3).

---

(1) S. Thom., 1 p., quaest. 84, art. 3.

(2) Homil. 29 in Evang., parum a princip.

(3) Cfr. S. Thom., 1 p., quaest. 75, art. 2, ad 3.um.

Objic. 3.° Nemo potest amare quod nescit. Sed aliquis amat scientiam, antequam illam addiscat et noverit. Ergo priusquam addiscat scientiam, habet illam in se, per species videlicet innatas.

Respond. *conc.* Major et Minor., *disting.* conseq. Priusquam addiscat scientiam, possidet illam in quadam cognitione universali et quasi extrinseca, *conc.;* secundum proprias rationes illius, *neg.* Sane videntes nos sapientes loqui vel scribere vel operum extructionem dirigere, aut etiam audientes laudem sapientiae, satis excitari possumus ad eam exquirendam.

Objic. 4.° Ad ipsam hominis naturam pertinet ineluctabile felicitatis desiderium. Atqui desiderari nequit quod aliquo modo non cognoscitur. Ergo saltem cognitio felicitatis naturalis et ingenita esse debet per speciem aliquam innatam.

Respond., *dist.* Major. Ad ipsam hominis naturam, etc., felicitatis desiderium id est, innatus quidam appetitus, *conc.;* id est appetitus elicitus, *nego*, donec probetur; nam tale desiderium non datur, donec felicitas cognoscatur, quae profecto non cognoscitur, nisi praeeunte experientia.

Objic. 5.° Quod omnes omnium aetatum homines sine ullo magisterio statim intelligunt, anticipata quadam ratione inscriptum sit, oportet, in omnium mentibus. Atqui prima moralitatis principia ita intelligunt omnes homines. Ergo...—**Respond.**, *disting.* Major. Anticipata quadam ratione inscriptum est in omnium mentibus, quatenus inest illis naturalis vis, qua facillime post sensilem cognitionem veniant in illius cognitionem *conc.*, quatenus ab initio latitarent species infusae ad illud cognoscendum, *neg.* Et *concessa* Minore, *disting.* pari modo conseq.

Objic. 6.° Idea saltem Dei est innata, tum α) quia sic docent plures Patres; tum β) quia idea entis summe perfecti oriri non potest a rebus imperfectis, quales sunt omnes creatae; tum γ) quia major est distantia inter creaturas et Deum, quam inter sonos et colores; ex colorum autem visione nemo potest in sonorum cognitionem venire.

Respond. *neg.* assert. **Ad probation.** α) *disting.* Et sancti Patres quibusdam modis loquendi significarunt inesse homini facultatem cognoscendi Deum facili quadam ratiocinatione, vel etiam ex traditione populorum, *conc.*; significarunt dari species innatas Dei, *subdist.*: forte aliqui Patres id significarunt, contrarium multo pluribus sentientibus, *trans.*; aliter, *nego*.

Ad probation. β) *dist.* assert.: idea entis summe perfecti cogniti, prout est in se, non potest oriri ex rebus imperfectis, *conc.*; idea entis summe perfecti, qualis de facto habetur a nobis in hac vita, *nego*.

Ad probat. γ) *dist.* Major.: major est distantia entitativa, *conc.*; distantia intentionalis, seu improportio ad rem manifestandam, *neg.* Et *transmissa* Minore *neg* conseq. Nam res creatae sunt effectus Dei et similitudines quaedam illius utcumque deficientes: quare nos ducere possunt ad cognoscendam existentiam Dei et aliquorum attributorum, saltem cognitione analogica, ut suo loco declarabitur. Colores vero nec sunt causae sonorum nec similes illis. Ideoque nulla est paritas in argumentatione.

Objic. 7.° S. Thomas α) vocat prima principia *naturaliter nota* (1); β) deinde non uno in loco videtur innuere habitum primorum principiorum esse in ipsa creatione animae intellectui inditum (2): γ) docet Deum humano intellectui notitiam primorum principiorum impressise, quae sunt quasi seminaria scientiarum, sicut et aliis rebus impressit seminales rationes effectuum producendorum (1). Ergo...

---

(1) 1 p., quaest. 84, art. 3.
(2) 1 p., quaest. 79, art. 12, etc.

Respond. ad α) *disting.* Prima principia dicuntur a S. Thoma naturaliter nota, quasi sit innata eorum cognitio et non acquisita ex sensibilibus, *neg.*; quia eorum notitia facillima est ex primis ideis independenter a studio et educatione, *conc.* Ita enim ipsemet S. Doctor diserte scribit terminos primorum principiorum non posse cognosci nisi *per species intelligibiles a phantasmatibus acceptas* (2).

Ad β) *disting.* assert. S. Thomas scribit habitum primorum principiorum animae in ipsa creatione inditum esse virtualiter et radicaliter vel secundum inchoationem, videlicet quia lumen naturale sponte ac facillime cognoscens hujusmodi principia nullo negotio acquirit habitum illorum, *conc.*; actualiter, totaliter et secundum consummationem, *nego* (3).

Ad γ) eadem esto responsio, mens enim Aquinatis tantum est Deum virtualiter et secundum quamdam inchoationem impressisse menti prima principia. Species enim innatas data opera multis rejecit sanctus Thomas (4).—Quaedam alia et haec ipsa enucleatius exposita habes in opere fusiori (5).

III.—Statuitur necessitas intellectus agentis.

283. Propositio 2.ª **Efficiens specierum intelligibilium causa non est intelligentia aliqua separata, sed virtus quaedam spiritualis animae, quae nomen obtinuit** *intellectus agentis.*

Prima pars est contra Avicennam (num. 279), probatur autem, quia illa intelligentia vel esset ipse Deus vel angelus. Atqui neutrum dici potest. *Non est Deus*, quia recursus ad Deum Philosopho vitandus est, quamdiu res per naturales causas explicari potest; Deus enim ordinarie ponit in ipsis rebus creatis virtutes consentaneas, quibus ad suas naturales actiones prodeant. *Non est angelus,* tum quia ex Theologorum doctrina non possunt angeli praeter motum localem producere ullam physicam qualitatem in inferiori natura (6); tum quia si angelus infunderet species animae, non esset ratio sufficiens, cur haec corpori uniretur. Non enim dici potest eam uniri propter bonum tantum corporis, siquidem nec forma est proter materiam, nec motor propter mobile, sed potius e converso; nec aliunde uniretur propter bonum suum, quia nullum ex unione percipit bonum, si non accipiat species a sensibilibus, sed ex influentia intellectus angelici separati (7).

Secunda pars est communis inter Scholasticos, et probatur 1.º quia nulla alia idonea causa potest assignari, haec autem nullatenus repugnat. Ergo valde probabilis est hypothesis Scholasticorum, supponentium in anima virtutem quamdam spiritualem productricem specierum intelligibilium.

Prob. antec. per partes: α) *Nulla alia causa idonea potest assignari.* Nam aliae causae forent vel Deus, vel angeli, vel objecta ipsa, vel sensus aut sensationes interiores, ac nominatim phantasmata imaginationis. Atqui primae duae causae modo rejectae sunt, reliquae ob earum materialitatem non possunt esse principium saltem adaequatum entitatis spiritualis. *Quod vero intellectus agens non repugnet*, necesse non est probari, ac magis patebit ex difficultatum solutione.

---

(1) *De verit.*, quaest. 11, art. 3.

(2) S. Thom., 1. 2.ae, quaest. 51, art. 1.

(3) Vide Compend. volum, 1.um, num. 452; et opus fusius volum. 1.º, num. 203 et 204; volum. 5.º, num. 133, in respons. ad *Objic. 12.º*

(4) 1 p., quaest. 84, art. 3.

(5) Volum. 5.º, num. 133. Cfr. S. Thom., 1 p., quaest. 84, art. 3.

(6) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 110 et 111; *Quodlib.* 9, art. 10; Suarez, *Metaphys.* disp. 35, sect. 6; *de angelis*, lib. 4, cap. 25, 26.

(7) Vide S. Thom., 1., quaest. 84, art. 4.

Prob. 2.° Omne agens naturale instructum est virtutibus propriis, ad operationes sibi consentaneas necessariis. Atqui operatio consentanea animae est intellectio, ad quam requiruntur species; hae vero non possunt a causis externis produci, ut modo probatum est, nec modum productionis postulant superiorem virtuti naturali, qualis esset creatio. Ergo oportet, ut insit animae virtus propria et intrinseca species intelligibilis abstrahendi vel producendi (1).

284. Objic. 1.° Ejus solius est dimensiones a re dimensionata abstrahere, cujus est dimensiones corporibus dare, nempe solius Dei. Atqui specierum productio importat abstractionem dimensionum quantitativarum ac materialitatis a rebus. Ergo haec non spectat ad ullam virtutem animae, sed ad solum Deum.—**Respond.**, *disting.* Minor. Specierum productio importat abstractionem materialem et entitativam dimensionum, *neg.*; solam intentionalem, id est, productionem speciei spiritualis, quae dimensionibus ac materialitate caret, *conc.* Et *neg.* conseq. (2).

Objic. 2.° Si datur intellectus agens, necesse erit ponere in homine duplicem intellectum. Atqui unus sufficit, tum α) quia sufficit etiam unus sensus pro quovis genere sensibilium, quin sit necessarius sensus agens; tum β) quia sicut per externam sensationem movetur imaginatio ad suum actum, ita per actum imaginationis determinari potest intellectus ad intelligendum, vel certe ad abstrahendas species intelligibiles.

Respond., dist. Major., necesse erit ponere duplicem intellectum id est, duplicem virtutem cognoscitivam, *neg.*; id est alteram virtutem cognoscitivam et alteram speciei productivam *trans.* Et *contradist.* Minor., *neg* conseq.

Ad probation α) *neg.* paritat., ob disparem rationem quam supra dedimus (num 136, *Secunda pars*).

Ad probation. β) *neg.* assert. quoad utramque partem; imaginationis actus nequit, movere ad intelligendum, ubi nondum dantur species, neque ad abstrahendas species quia virtus intellectiva, *qua talis*, non est productiva nisi actus intellectionis.

Objic. 3.° Praecipua functio intellectui agenti attributa est abstractio «ideae universalis a notis materialibus individuantibus. Atqui... abstractio est operatio intellectus cognoscitivi...» (3). Praeterea abstractio ista in hoc consistit ut essentia rei quae est in phantasmate, fiat intelligibilis per virtutem intellectus agentis, et ita facta intelligibilis, informet intellectum possibilem. Atqui operatio ejusmodi impossibilis est, quia importat immutationem phantasmatis et actus vitalis in se ipso (4).

Respond. ad primum, *dist.* Major. Praecipua functio intellectus agentis est abstractio ideae universalis, id est, cognitio praecisiva naturae, *neg.*; abstractio speciei, qua intellectus possibilis seu virtus formaliter cognoscitiva completur, ac determinatur ad actualem intellectionem, *conc.* Et *contradist.* Minor., neg. conseq.

---

(1) Vide S. Thom., quaest. *de anim.*, art. 5; et 1 p., quaest. 79, art. 4.

(2) Cfr. S. Thom., *Quodlib.* 8, art. 3, ad 2.um

(3) Ita cl. Palmieri, *Antropolog.*, thes. 25, 3.ª pars, pag. 475.

(4) Cfr. idem, ibid. pag. 476, 477.

Respond. ad alterum *dist.* Major. Abstractio in hoc consistit, ut essentia rei, quae est in phantasmate, *entitative* ac prout in se *considerata* reddatur intelligibilis, et informet intellectum possibilem, *neg.* Abstractio in hoc consistit, ut ad praesentiam phantasmatis producatur qualitas spiritualis (species), quae objectum ipsum in phantasmate relucens repraesentet, et informet intellectum possibilem, *conc.* Et *contradist.* Minore, pari modo *disting.* rationem abjectam. Tum *nego* conseq.

Objic. 4.° Intellectus ipse qui dicitur agens, determinari debet aliunde ad agendum circa phantasma speciemque abstrahendam. Ergo et ipse est in potentia, sicut intellectus possibilis, ideoque novus alius intellectus addendus erit, a quo prior determinetur, et ita porro (1).

Respond., *disting.* anteced. Intellectus agens determinari debet per aliquam virtutem, qua compleatur et foecundetur ad suum actum, *neg.;* eo pacto quo potentiae inter se ordinatae determinantur aliae per actum alterius, *conc. Disting.* conseq. Intellectus agens est in potentia, sicut ipse possibilis, id est, uterque in hoc convenit, quod non sit perpetuo in actu, *conc* ; id est, eodem modo uterque est in actu, *neg.* Nam intellectui possibilis, cum ex se non sit adaequata virtus ad actum suum (num. 254, 255, 332) compleri debet per concursum objectivum media specie; intellectus vero agens non indiget ejusmodi complemento in se recepto, sed tantum praesentiam phantasmatis determinatur ad exercitium actus sui; determinatur autem per quamdam naturalem potentiarum sympathiam. Cum enim intellectus agentis munus sit species producere rerum in phantasmate relucentium, non potest operari, donec adsit phantasma, eo autem praesente debet pro natura sua suum officium exercere: ideoque recta ordinatio postulat, ut intellectus sola praesentia phantasmatis determinetur ad abstrahendum ex ipso speciem.

Addi posset objicienti 3.° et 4.° illa animadversio: sicut in sensu non quamlibet excitationem esse sufficientem sed cum debitam habet intensitatem, sic in intellectu requiri aptam excitationem ut actus intellectionis habeatur; et illa aptitudo excitationis non est praecise intensitas imaginis sed imaginis abstractio, non solum fundamentalis speciei impressae, sed etiam quam obiciens opponit; nimirum abstractio individuationis materialis: quia pueri non habent exercitium intelligentiae phantasiandi exercitio parallelum sed valde interruptum. Jam vero hoc factum optime explicatur si dicis intellectum agentem ex quolibet phantasmate determinari ad hauriendam speciem impressam. Tamen non ex quolibet phantasmate hauriri posse speciem impressam sufficienter abstractam, quia abstractio notae universalis ex notis materialibus individuantibus requirit phantasma multiplex, seu associatum quo pueri carent. Ideo species impressa saepe, ex defectu sufficientis abstractionis non determinat intellectum possibilem, quamvis determinet intellectum agentem quodlibet phantasma.

Quod est signum non sufficere phantasma sed requiri speciem impressam ad cognitionem intellectualem.

Quod quidem alio capite confirmari quoque valet ex Psychologia experimentali: siquidem valde verosimile est nos percipere relationes inter imagines antequam hae imagines sint clarae et distinctae in conscientia; quod arguit non proxime ex phantasmatibus sed speciebus impressis determinari intellectum possibilem (2).

Quaedam alia in opere fusiori (3).

---

(1) Cfr. cl. P. Palmieri, loc. cit.

(2) Lindworsky. *Psicologia Experimental.* (trad. Bilbao, 1923), pag. 238.

(3) Volum. 5.°, num. 135.

IV.—Quo pacto concurrat phantasma ad intelligibilis speciei productionem.

285. **Status quaestionis.** Quaeritur, utrum intellectus sit adaequata causa speciei producendae, an vero phantasma non solum determinet illum ad actum suum, sed insuper adjumentum aliquod praebeat. Porro nomine phantasmatis quidam hic intillegunt actum sensus interioris, sive imaginationis, sive memoriae sive cogitativae (quae in homine respondet animalium aestimativae), solo excepto sensu communi (1); alii videntur solum actum cogitativae intelligere, alii actum phantasiae. Cum hisce postremis reapse sentiunt illi, qui quamvis omnes sensus interiores re identificent, phantasma tamen intelligi volunt actum sensus interioris, prout munus exercet imaginationis vel phantasiae: quae videtur forte probabilior ratio loquendi.

Sententiae variae. Conveniunt omnes in eo, quod phantasma concurrat aliquo modo ad intelligibilis speciei productionem. Certum pariter est phantasma non esse causam adaequatam, quia est actus materialis, et ideo statuitur necessarius intellectus agens; verum, annon concurrit phantasma active ceu causa partialis simul cum intellectu agente? Quidam negant omnem activam efficientiam phantasmati: in quibus numerantur Scotus (2) Suarez (3) et pauci Thomistae paucique alii nostrates, ut Compton, Tellez et Silvester Mauri (4), qui solam concedunt phantasmati causalitatem materialem, non quod phantasma sit materia, *ex quá* species educatur, sive *circa quam* operetur intellectus agens, sed quod praebeat *veluti materiam* et *quasi* exemplar intellectui agenti ad efficiendam speciem intelligibilem. Cum enim primum cognoscit anima rem aliquam phantasiando, per intellectum agentem quasi depingit rem eamdem in intellectu possibili, videlicet imprimendo speciem (5). Hanc ipsam re vera sententiam videtur nostris diebus tenere cl. P. Van der Aa (6), qui, quamvis neget phantasma concurrere ut meram causam materialem vel exemplarem propriedictam, eripit pariter eidem omnem concursum activum etiam instrumentalem, et solam tribuit modificationem aliquam *directivam*, qua intellectus speciem efficit notas exhibentem non cujuslibet indiscriminatim objecti, sed tantum in phantasmate relucentis.

Nimirum sicut causa finalis in vegetalibus influit quin cognoscatur, causa exemplaris quoque potest esse materialiter exemplaris. Nimirum ut sit exemplar debet esse actus cognoscitivus, ut vero causet non requiritur ut cognoscatur a potentia exsequente exemplatum. Sic verbum mentis est exemplar cui accommodatur imago phantasiae ad locutionem et tamen non cognoscitur a phantasia. Sic quoque facultas verbum externum proferens producit, loquelam secundum verbum imaginatum, quamvis actum imaginationis quo dirigitur non cognoscat.

---

(1) S. Thom., *de verit.*, quaest. 18, art. 8; *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 60 initio.

(2) Scotus et ejus annotator, t. 3, p. 579, 583-585.

(3) *De anim.*, lib. 4, cap. 2, num, 7.

(4) *Quaestion. philosoph.*, *Quaestiones physico-metaphys.*, quaest. 4, *Dico 6.°*

(5) Suarez, loc cit., num, 10, 12. Vide, si lubet, in alio opere quasdam alias declarationes concursus hujusce materialis datas a P. Rubio et aliis.

(6) *Psycholog.*, propos. 53.

Doctrina vero effectivum phantasmati concursum simul cum intellectu agente asserens communis est inter Thomistas, Scotistas et nostrates cum S. Thoma (1); eamdemque videtur, mutata sententia, senior factus tenuisse ipsemet Doctor Eximius (2). Inter assertores vero efficientis concursus est postea dissensio, quibusdam phantasmati rationem concausae partialis, licet minus principalis, tribuentibus, caeteris communius causalitatem instrumentalem.

286. Propositio 3.ª **Phantasma ad productionem speciei cum intellectu agente concurrit efficienter tamquam instrumentum**.

Prima pars: *Phantasma concurrit efficienter*, probatur. Duplex adest ad dicernendum concursum effectivum valde probabile indicium: α) ut effectus similitudinem referat rei, quae ad illius effectionem concurrit: β) quod effectus perfectio, caeteris paribus, proportionem servet cum illa. Atqui species impressa α) similitudinem refert phantasmatis, nec apparet, ex qua re alia mutuari queat vim objecti repraesentatricem: β) et praeterea quo vividius et perfectius est phantasma, eo perfectior producitur ab intellectu agente species. Ergo phantasma videtur effective concurrere.

Dices. Sola praesentia phantasmatis sufficiet, ut intellectus agens determinetur ad hujus prae alio objecti repraesentatricem speciem eliciendam, quia phantasma se habet instar exemplaris, quod intellectus agens imitetur, et exprimat.—**Respond.**, *dist.* assert. Sola praesentia phantasmatis sufficit ad determinandum intellectum agentem quoad exercitium actus, *trans.*; quoad specificationem, *nego*, ob indicata in probatione indicia verae causalitatis. Nec potest phantasma in contraria sententia veri exemplaris locum habere, quia intellectus agens non est virtus cognoscitiva. Ergo nequit imitatione exprimere phantasma, quod proinde non est exemplar, adestque praesens quasi non adesset, quantum attinet ad specificationem actus intellectus agentis.

Confirmatur 1.º quia nisi phantasma efficienter concurrat, in nullo vero sensu dici poterit *ab objecto et potentia gigni notitiam* intellectualem. 2.º Si possibilis intellectus non habet in se virtutem adaequatam cognoscendi, nisi compleatur specie; quo jure tantae virtutis fingitur intellectus agens, ut possit sine ullo concursu effectivo alterius causae species objectorum in tanta varietate producere? Cessat vero difficultas in nostra sententia, cum praesto adsit in phantasmate idonea concausa rem egregie declarans.

Secunda pars: *Phantasma concurrit ut instrumentum*. Nam haec est tessera instrumentum a causa principaliori, licet partiali, distinguens, quod instrumentum sit ordinis et conditionis inferioris, ac alia concausa et effectus ipse producendus. Atqui phantasma, utpote materialis qualitas est ordinis inferioris, ac intellectus agens et species abstrahenda. Ergo non obtinet dignitatem causae principalis, sed est tantum instrumentum.

---

(1) *De verit.*, quaest. 10, art. 6, ad 7.um; *Quodlib.*, 8, art. 3; 3 p., quaest. 9, art. 4, ad 2.um; *Contr. Gent*, lib. 2.º, cap. 77.

(2) *Metaphys.* disp. 21, sect. 3, num. 7. Tamen nondum postremo suam mentem declaravit ut constat ex tractatu de Angelis, l. 2, c. 6, num. 24.

Corollarium. Hinc intelliges, cur a S. Thoma phantasma comparetur objecto et coloribus (n. 242); quia sicut objectum et colores coram propositi speciem sensibilem imprimunt in potentia sensitiva, sic phantasma, ab intellectu agente elevatum, intelligibilem speciem ceu instrumentum ejus producit, et imprimit in intellectu possibili, ut intelligi valeat ratio vel natura in tali phantasmate relucens (1).

287. **Objic. 1.°** Ens inferioris ordinis nequit naturaliter attingere superioris ordinis effectum. Ergo phantasma nequit esse causa etiam instrumentalis speciei. Hinc non pauci Theologi putant impossibile, vel de potentia Dei absoluta, quod corpus agat in spiritum, et magna premuntur difficultate in ostendendo, quo pacto ignis torquere valeat animas in inferis. Unde nihil mirum, si Divus Augustinus scripserit: *Non est putandum aliquid agere corpus in spiritum, tamquam spiritus corpori facienti materiae vice subdatur* (2). Et S. Thomas: *Non potest*, inquit, *dici, quod sensibilis cognitio sit totalis et perfecta causa intellectualis cognitionis, sed magis quodammodo materia causae* (3).

Respond., *dist.* antec. Ens inferioris ordinis nequit naturaliter attingere superioris ordinis effectum, nisi accedat altior alia causa, *conc.;* si altior causa accedat, *subdist.*: ut causa principalis *conc.*; ut instrumentalis ab altiori elevata, *neg.*; nam id proprium est omnis instrumenti (4).

Illud vero quod addebatur de inferorum igne, varie explicant Theologi. Suaresii et multorum aliorum haec est explicatio, ignem corporeum elevatum a Deo, tamquam instrumentum producere in daemonis et animae substantia qualitatem quamdam spiritualem, dolorem pariter spiritualem inferentem (5). Quod vero ignis inferorum supernaturaliter praestat, naturaliter praestare posse phantasma facilius intelligitur ob naturalem subordinationem, quo potentiae sensitivae subjiciuntur intellectui, ut eum in suis operationibus juvent. S. Augustinus vero videtur agere de corporibus externis, ut patet ex contextu. Si autem verba volueris extendere ad phantasma, interpretanda sunt, quatenus voluerit phantasma non posse esse adaequatam causam specierum. S. Thomas etiam hoc ipsum aperte docet in loco ipso objecto. Quod autem non materialem, sed instrumentalem phantasmati asseruerit causalitatem, constat ex perspicuis aliis locis (6).

Objic. 2.° Si phantasma est instrumentum ab intellectu agente elevatum et in hujus virtute operans, vel accipit aliquid in hac elevatione, vel nihil. Si nihil, phantasma remanebit tam inhabile ad speciem producendam, ac si elevatum non fuisset. Si vero aliquid accipit, aut est spirituale, aut materiale. *Non spirituale*, quia spirituale accidens recipi non potest in subjecto materiali: *non materiale*, quia nihil posset ex eo lucrari phantasma, ut active concurreret ad speciei productionem.

Respond., *conc.* Major., et eligo alterum membrum, quia necesse non est, ut instrumentum in se ipso recipiat praecise motum ac virtutem causae principalis, in qua agat (1). Ad cujus improbationem. *disting.*, primum membrum Minoris. Si nihil accipit in se, nec cum ipso conjungitur alia virtus altior, *conc.*; si quamvis nihil praecise in se accipiat, conjungitur tamen cum ipso altior virtus, *neg.* Et haec quidem secundum nostram de instrumentali causa opinionem. Thomistae vero respondent, phantasma recipere ab intellectu agente virtutem quamdam *incomplete spiritualem* ac *per modum motionis transeuntis*, quo pacto arbitrantur non repugnare, ut accidens spirituale recipiatur in subjecto materiali (2).

---

(1) Vide S. Thom., *de verit.*, quaest. 10, art. 6, ad 8.^{um}, etc.

(2) *De Genesi ad litter.*, lib. 12, cap. 16.

(3) 1 p., quaest. 84, art. 6 fin corp.

(4) Cfr. Compend., volum. 2.^{um}, num. 455, 460.

(5) Vide Suarez, *de angelis*, lib. 8, cap. 13 et 14; cardin, Mazzella, *De Deo creante*, disp. 6, art. 6.

(6) Vide v. g., *de verit.*, quaest. 10, art. 6, ad 7.^{um}

Objic. 3.° Intellectus agens, ut nos ipsi fatemur, est principium de se inadaequatum ad speciem producendam. Atqui phantasma, utpote materiale, nequit complere insufficientiam virtutis spiritualis ad effectum pariter spiritualem. Ergo...

Respond., *disting.* Major.: intellectus agens est principium inadaequatum in ratione virtutis spiritualis, *neg.*; in ratione continentis objecti similitudinem et quasi lineamenta, *conc.* Et *contradistincta* Minore, *nego* conseq.

Objic. 4.° Phantasma si active concurrit, potius debet causa partialis dici, nam sibi assimilat effectum, nempe speciem, causa vero instrumentalis non sibi, sed causae principali, assimilat effectum.

Respond., *neg.* assert., et Minorem probationis universaliter sumptam, quia non repugnat, ut in effectu reluceat aliqua similitudo etiam instrumenti.—Quaedam alia in opere fusiori (3).

288. Utrum autem species intelligibilis ita producta repraesentet (utique virtualiter (n. 268), non formaliter) non solum qualitates sensibiles, sed ipsam quoque essentiam rei sensibilis, itemque utrum repraesentet solam naturam, an vero etiam notas individuantes in prima et directa cognitione, sunt quaestiones quae solent interdum hic permisceri, sed melius ad opportuniorem locum amandantur, ut videbimus.

ARTICULUS VI

Natura et munera intellectus agentis magis declarantur.

289. **Duplex intellectus, possibilis et agens.** Si vera sunt, quae hactenus disputavimus, duplex, re vel ratione, distinguitur intellectus, vel, si mavis, virtus ejusdem, intellectus *possibilis* et intellectus *agens*. Possibilis est virtus formaliter cognoscitiva spiritualis, nempe idipsum quod vulgo vocatur intellectus. Dicitur *possibilis*, non quod desinat esse realis et actualis potentia, sed quia de se est *in pura potentia* ad omnes actus intelligendi, quos elicere potest, et ad omnes species intelligibiles, quas potest recipere, quia initio est tamquam *tabula rasa*, *in qua nihil est scriptum* (4). Et quoniam intellectus et anima *intentionaliter* fit ea quae cognoscit, et aliunde potest quodammodo cognoscere omnia, ut dicemus, ideo intellectus hujusmodi ex se est *possibilis fieri omnia*. Unde habes rationem appellationis; et ob similem rationem etiam vocatur intellectus *patiens*, quia patitur, impropria utique passione (n. **261**), recipiendo speciem, sive impressam sive expressam.

Intellectus agens est virtus spiritualis efficiens species impressas intelligibiles, abstrahendo eas a phantasmatibus, *non quod aliqua eadem numero forma, quae prius fuit in phantasmatibus, postmodum fiat in intellectu possibili, ad modum quo corpus accipitur ab uno loco, et transfertur in alium* (1), sed quod intellectus agens producit cum concursu phantasmatum species repraesentatrices objectorum in illis relucentium, spoliatas tamen materialitate, quam imagines phantasiae habent. Et quia ratione etiam speciei impressae dici potest anima *fieri quodammodo*, id est intentionaliter id cujus speciem vel similitudinem accipit; ideo intellectus agens dicitur facere *animam omnia*, nempe tribuendo ei similitudinem omnium; quia quamvis intellectus agens directe et immediate solas primas species sensibilium **(252, 278, 321)** producit, remote, indirecte et consequenter haberi valet etiam ut causa reliquarum omnium specierum derivatarum (2). Hinc

---

(1) Cfr. Compend., volum. 2.^{um}, num. 460.

(2) Vide Collegium Complutense S. Thomae, *de anim.*, disp. 3, quaest. 10, art. 2, num. 40; et Complutenses Carmelitanos, *Physic.*, disp. 12, quaest. 1, num. 21, 22.

(3) Vol. 5.°, num 139, 140.

(4) Arist., *de anim.*, lib. 3, cap. 4, text. 15.

Intellectus agens comparatur ad possibilem, teste S. Thoma et Aristoteles sicut ars vel artifex ad materiam; sicut enim ars vel artifex per suam artem imprimit materiae formam, ita intellectus agens scribit in possibili formas intelligibiles vel species (3). Respectu autem objectorum se habet intellectus agens sicut lumen respectu colorum; nam sicut colores lumine redduntur visibiles, ita objecta, quae sine specie non sunt proxime et actu intelligibilia, sed tantum remote ac potentia (n. **258**) per intellectum agentem, producta specie, fiunt actu intelligibilia (4).

290. **Intellectus agens distinguitur ab habitu primorum principiorum**, cum quo perperam quidam confuderunt; quia intellectus agens est virtus vel potentia naturalis, secus vero habitus, qui exercitio acquiritur (5). Item est accidens physicum et proprietas simul animae realiter distincta, sicut ipse intellectus possibilis, ut constat ex dictis generatim de distinctione potentiarum animae in Cosmologia (num. **361**) (6).—Caeterum

291. Intellectus agens dicitur semper esse in actu, non quod semper versetur in actuali exercitio abstrahendi species, sed quod non eget sicut possibilis, aliquid in se recipere, ut exeat in actum, et quantum est de se, paratus semper est ad abstrahendam speciem, ubicumque coram adest phantasma (7).

I.—Utrum intellectus agens et possibilis re distinguantur, et uter sit perfectior.

292. Affirmant Thomistae communiter cum S. Thoma, quibus adhaerent card. Toletus, Conimbricenses (8). Valentia. Rubius, Silvester Mauri aliique, ac nostris diebus cl. P. Van der Aa (9). Negant intellectum agentem et possibilem esse virtutes realiter distinctas

---

(1) S. Tom., 1 p., quaest. 85, art. 1, ad 3.um.

(2) Cfr. S. Thom., *de verit.*, quaest. 20, art. 6, ad 2.am.

(3) Vide Aristot., *de anim.*, lib. 3, cap. 5, text. 17; et S. Thom., ib., lect. 10, initio; et *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 77; quaest. *de anim.*, art. 4, ad 6.um; art. 5, ad 8.um. Cfr. 1 p., quaest. 14, art. 2, ad 3.um.

(4) Vide Arist. et S. Thom., locis modo citatis; et praeterea S. Thom., quaest, *de spirit. creat.*, art. 10; *Compend. Theolog.*, cap. 89.

(5) Vide Compend. volum. 1.um, num. 450-453.

(6) Cfr. opus fusius, volum. 5.um, num. 142.

(7) Cfr. aliud opus, volum. 5.um, num. 146.

(8) *De anim.*, lib. 3, cap. 4 et 5, quaest. 1, art. 2.

(9) *Psycholog.*, prop. 55.

Scotistae (1), et e nostris Suarez (2), Vazquez, Rhodes, Arriaga, Lossada (3) et alii. Res est valde dubia, et neutra opinio valde urgentibus premitur argumentis.

293. **Asseritur probabilior affirmativa sententia 1.°** quia potentiae habentes non solum diversos actus, sed etiam diversa objecta formalia realiter distingui debent, nam per ordinem ad ejusmodi objecta specificantur potentiae. Atqui intellectus agens et patiens non solum habent actus diversos, sed etiam objecta formalia. Ergo...

Minor patet de actibus; de objectis vero probatur. Etenim objectum intellectus agentis est intelligibile, quatenus ex intelligibili in potentia faciendum est intelligibile in actu; at objectum intellectus possibilis est intelligibile jam per species factum intelligibile in actu (4).

Prob. 2.° Non possunt uni eidemque realiter potentiae convenire diversi actus, nisi sub aliqua communi ratione conveniant, ut eruitur ex doctrina de potentiarum specificatione. Atqui actus intellectus agentis et possibilis non conveniunt sub una ratione communi. Nam efficere species sine cognitione, ac cognoscere sunt actus qui non revocantur ad eamdem rationem, cum et sint diversi et diversum habeant modum tendendi (5).

294. **Objic. 1.°** Potest intellectus possibilis, secundum nos (n. 278), per suos actus species quasdam formare, videlicet discursivas et derivatas. Ergo non est aliena ab intellectu possibili virtus specierum productiva, atque adeo poterit omnes producere.—**Respondeo** *neg.* conseq. Etenim intellectus possibilis non producit ejusmodi species nisi mediis suis actibus cognitionis, ac proinde respectu istarum specierum intellectus non est intellectus possibilis simpliciter in potentia, sicut respectu specierum primarum et directarum, sed in actu. Quare nulla est paritas nec ratio ut inconsequentiae arguamur.

Objic. 2.° Intellectus noster possibilis est medius inter angelicum intellectum et sensum. Ergo poterit ipse species gignere. Nam hoc pacto reapse medius est inter angelicum intellectum, qui species a Deo innatas accipit, et sensum, cui ab ipsis objectis imprimuntur species.

Respond., *conc.* anteced., et *neg.* conseq. et etiam consequentiam probationis. Quia et aliis modis explicatur, quomodo sit medius inter sensum et intellectum angelicum, nimirum quia nec accipit a Deo species, sicut angelicus, nec ab objectis, sicut sensus, sed producit eas virtute peculiari sibi assistente. Item quia intellectus angelicus est penitus a materia separatus, sensus organicus et penitus in materia immersus, intellectus humanus nec immersus in materia, quia inorganicus, nec penitus separatus a materia, quia est facultas animae, quae forma est corporis.

Objic. 3.° Si intellectus agens re differt a possibili, post hanc vitam carebit actione propria in anima separata, in qua cum non sint phantasmata, nec possunt abstrahi species intelligibiles; ac proinde otiosus et frustraneus erit.—**Respond.**, *neg.* ultimum membrum asserti, tum quia intellectus agens in anima separata manebit ad ornamentum; tum quia proprietates naturales non debent dici frustraneae, solum quia in aliquo statu carent usu et exercitio, sicut non dicent adversarii frustraneas potentias vegetativas in corpore glorioso; tum quia post statum separationis anima iterum corpori unietur, ac tum poterit iterum intellectus agens se exercere in sui functione (1). Si jam quaeras

---

(1) Scotus t. 3.° pag. 546.

(2) *De anim.*, lib. 4, cap. 8, num. 13. In *metaphy.*, disp. 43, sec. 2, num. 1, et 13, 14 videtur potius distinctionem realem admittere. Sententia ejus definitiva non constat, quia non potuit conficere opus inceptum *De anima*. Cfr. De Angelis l. 2, c. 1, num. 15.

(3) *De anim.*, disp. 7, cap. 2, num. 34 seqq.

(4) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 79, art. 7 et 10; 2.° dist. 17, q. 2, art. 1.

(5) Plura in volum. 5.°, num. 143.

295. **Uter sit perfectior, intellectusne agens, an possibilis,** S. Thomas aliquando simpliciter scripsit agentem nobiliorem esse (2), et Aristoteles etiam generatim docet agens patiente praestabilius esse (3), idemque opinantur quidam auctores; probabilius vero alii dicunt agentem esse tantum secundum quid perfectiorem, quatenus nempe agit in possibilem imprimendo illi species, at simpliciter et absolute praestantiorem esse possibilem, quia ejus actus est actu intellectus agentis excellentior, ut multis probat Eximius Doctor (4). Unde S. Thomas alibi dixit, *quod agens est nobilius patiente, si ad idem actio et passio referantur,* **non autem semper si ad diversa** (5). Et Aristoteles beatitudinem dixit in *optima operatione sitam esse, qualis est veritatis speculatio et contemplatio* (6).

III.—Munera et functiones intellectus agentis.

296. Varia recensentur ex mente S. Thomae munera et functiones intellectus agentis, nempe: α) *illustrare phantasmata*, β) *abstrahere speciem a phantasmatibus*, γ) *facere intelligibilia in actu*, δ) *facere evidentiam principiorum*, et ε) *confortare intellectum possibilem*. Quae ne perperam intelligantur, brevissime declarare oportet.

α) **Intellectus agens illustrat, vel illuminat phantasma.** Si autem quaeras, quo pacto fiat haec illustratio, multi Thomistae, ut v. g. Collegium Complutense S. Thomae, tuentur illuminationem *formalem*, in eo sitam, quod intellectus agens imprimat phantasmatis formam vel lumen aliquod ipsis inhaerens, quo habilia reddantur ad gignendam speciem. Alii cum Cajetano malunt illuminationem *objectivam*, qua objectum in phantasmate relucens, quin ulla huic imprimatur forma, manifestius appareat per extrinsecam assistentiam luminis intellectus agentis. Alii cum Capreolo solam illustrationem *radicalem* admittunt, quae consistit in eo quod phantasia, quia radicatur in eadem anima spirituali, ac intellectus agens, phantasmata producit virtuosiora et illuminata, quae non potest phantasia brutorum producere. Alii demum, rejectis hisce illuminationibus, *effectivam* duntaxat propugnant in eo sitam, quod itellectus agens phantasmate utens tamquam instrumento ad productionem speciei reddit intelligibile in actu objectum, quod in phantasmate solum erat intelligibile in potentia: quod profecto illuminationem quamdam et manifestationem importat. Hanc prostremam explicationem, quam quidam nobiles Thomistae ac nostrates communissime amplectuntur, probatam vide, si lubet in opere fusiori (7).

---

(1) Quaedam alia in opere fusiori, volum. 5.°, num. 144.

(2) Quaest. *de anim.*, art. 5, ad 10.^{um}; et 2.° dist. 20, quaest. 2, art. 2, ad 2.^{um}.

(3) *De anim.*, lib. 3, cap. 5, text. 18.

(4) *De anim.*, lib. 4, cap. 8.

(5) 1 p., quaest. 79, art. 2, ad 3.^{um}.

(6) *Ethicor.* lib. 10, cap. 8, 9, 10; S. Thom., ib., lect. 9, 10, 11.

(7) Volum. 5.°, num. 148. Cf. num. 147.

297 β) **Intellectus agens abstrahit speciem a phantasmate,** non materialiter, aliquid abscindendo ex phantasmatum entitate, sicut succus v. g. extrahitur ex herbis, sed intentionaliter, efficiendo cum concursu eorumdem species spirituales seu depuratas materialitate saltem *entitativa* vel *subjectiva*, et etiam *objectiva* seu *repraesentativa*, secundum Thomistas, quia species per intellectum agentem effectae solam cognoscere faciunt primo et directe naturam sine notis individuantibus. Verum de hoc postremo nunc nihil prorsus dicendum est.

298. γ) **Intellectus agens facit intelligibilia in actu,** videlicet producendo speciem, ut jam supra dictum est (n. 258).

299. δ) **Intellectus agens facit evidentiam principiorum,** quia evidentia principiorum adest ex ipsa terminorum apprehensione. Atqui termini principiorum absque ulla inquisitione ac discursu statim apprehenduntur, ut primum ope intellectus agentis species ex phantasmatibus sensibilibus abstrahuntur. Ergo ad intellectum agentem spectat facere evidentiam principiorum.

300. ε) **Intellectus agens confortat intellectum possibilem,** imprimendo species, quibus hic completur, et foecundatur ad intelligendum.—Quod si quaeras,

301. **Utrum ista intellectus agentis munera multiplicem operationem importet**, an unam solam; multiplicem importare arbitrantur quidam Thomistae, unam vero solam contendunt plures alii, consentientibus Scotistis et nostratibus, quia sola productio speciei sufficit ad rationem reddendam omnium praedictorum munerum, ut jam vidimus.

CAPUT II

DE OBJECTO INTELLECTUS

302. Objectum intellectus generatim est totum id, quod haec potentia cognoscere aliquo modo potest. Verum sicut visu et auditu non omnia propter distantiam attingi bene possunt, idipsum in intellectu evenit propter improportionem atque intentionalem distantiam quarumdam rerum. Hinc objectum intellectus duplex distingui solet alterum *adaequatum* vel *terminativum*, vel *extensionis* vel *adaequatum extensive*, alterum *proportionatum* aut *proprium* vel *connaturale*, vel objectum *proportionis* et *primitatis*. Adaequatum, prout hic sumitur, vel terminativum est totum id, ad quod terminari utcumque potest intellectus, cognoscendo illud saltem aliquo modo, sive directe sive indirecte, sive naturaliter sive supernaturaliter, sive per species proprias sive per alienas, sive prout est in se, sive per ordinem duntaxat et comparationem ad alia. Proportionatum et proprium objectum est id, quod primo et per se cognoscitur ab intellectu, non quomodocumque repraesentando illud, sed prout est in se ac quasi cum propriis coloribus et lineamentis.

ARTICULUS I

Quodnam sit objectum adaequatum vel terminativum intellectus.

303. Positivistae atque empiristae negant posse a nobis quidpiam cognosci quod experientiam transcendat: quorum sententiam alibi profligavimus (1). Communem vero antiquorum sententiam exprimit sequens

Propositio. **Objectum intellectus nostri adaequatum vel terminativum est ens in tota sua latitudine spectatum vel**, **ut alii malunt dicere,** *verum.*

Probaur. Quidquid habet rationem entis, cognosci a nobis aliquo modo potest. Ergo ens est objectum adaequatum intellectus nostri, ut patet ex hujus objecti definitione (n. 302).

Antecedens liquet experientia et inductione, nam habemus aliquam notitiam *Dei*, *substantiae*, *accidentis*, *materiae*, *spiritus*, *existentium*, *possibilium*, *entium realium* et *rationis*, *negationum*, etc., siquidem de his omnibus judicia efformamus. Verbo, quidquid spectat ad decem praedicamenta, cognoscimus aliquo modo. Item, sicut qui cognoscit animal, eo ipso cognoscit, saltem sub hac ratione generali, quidquid participat naturam animalis, ita qui cognoscit ens, cognoscere potest quidquid rationem habet entis, id est, omne reale.

Idem significatur ab iis qui dicunt objectum intellectus nostri esse *verum* (2). Id enim intelligitur de vero transcendentali, eoque non formaliter, sed solum fundamentaliter sumpto; non enim sensus est, quod intelectus in omni actu suo apprehendat ipsam rationem formalem intelligibilitatis aut veritatis (3), sed quod actus ejus terminari atque extendi possit ad omne id, quod susceptivum est hujusmodi rationis formalis. Quod reapse perinde est, ac dicere intellectum terminari posse ad omne ens; nam nihil tandem est intelligibile ac verum nisi ens (4).

Caeterum entia rationis (5), cum non habeant entitatem, non possunt per se ac ratione sui cognosci, sed per ordinem ad ens reale, nempe negationes ac privationes (6) per oppositionem ad formam vel habitum, cujus carentiam important, reliqua vero rationis entia per analogiam et species realium entium. Quo autem pacto diversa entia realia cognoscantur, in sequentibus declarandum erit.

---

(1) Vide Compend. volum. 2.^{um}, num. 3, 4 seqq.

(2) S. Thom., 1 p., quaest. 54, art. 2; quaest. 55, art. 1 et saepissime alias; item Rhodes, Goudin, Philipp. a Sma. Trinitate, etc. Scotus, t. 3, pag. 600, 607.

(3) Cfr. Compend. volum. 2.^{um}, num. 128.

(4) Cfr. Compend. ibid., num. 133.

(5) Compend., volum. 2.^{um}, num. 35, 36.

(6) Compend., volum. 2.°, num. 33.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

304. **Objic.** 1.° Si objectum intellectus nostri foret ens in tota sua latitudine, nihil superaret captum nostrum. Atqui hoc et falsum est, et inducit in rationalismum (1). Ergo...

Respond., *dist.* Major.: si foret objectum proportionatum et connaturale, *trans.;* si est solum adaequatum ac pure terminativum, *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 2.° Ens est objectum etiam intellectus angelici, immo et divini. Ergo non humani, quia secus intellectus humanus et angelicus essent ejusdem speciei, siquidem potentiae specificantur tandem ex objecto.

Respond., *neg.* conseq. et probation. Nam potentiae non specificantur ex objecto pure terminativo, sed ex proprio duntaxat et proportionato, quale est objectum formale (2). Quod vero terminativum objectum intellectus angelici et humani sit ens, solum probat hos intellectus genere convenire.

Objic. 3.° *Ens* est etiam objectum Metaphysices. Ergo nequit esse intellectus: secus enim identificaretur objectum potentiae atque habitus peculiaris ejusdem.—**Respond.**, *dist.*, antec.: ens est objectum Metaphysices sub eadem ratione, *neg.;* sub diversa ratione, *conc.* Et similiter *dist.* conseq. Videlicet ens est objectum Metaphysices, prout abstractum a materia vel praescindens a rationibus materialibus; est autem objectum intellectus, prout comprehendens omnia.

Objic. 4.° Sub entis latitudine comprehenditur ens tum naturale, tum supernaturale. Atqui nequit utrumque hoc esse objectum ejusdem potentiae; siquidem objectum naturale attingitur a potentia naturali, et supernaturale a supernaturali.

Respond., *conc.* Major., *neg.* Minor., et probation. *dist.* Objectum naturale ita apprehendit potentia naturalis, ut nequeat attingere supernaturale etiam cum auxilio supernaturali, nec etiam conceptu abstractivo et communi, *neg.*; ut nequeat attingere sine auxilio supernaturali, et conceptu proprio et quidditativo, *conc.* (3).

ARTICULUS II

Quomodo cognoscat intellectus noster substantias spirituales.

305. **Praenotanda.** Substantiae spirituales triplicis ordinis sunt, Deus O. M., qui nullo rerum genere continetur, ut probabitur in Theodicea, angelus, qui est forma separata (4), et anima rationalis, quae forma est informans. Existentiam Dei a nobis naturaliter cognosci certo posse, compertum est, et in Theodicea demonstrabitur, angelorum quoque vel separatarum substantiarum existentiam pro-

---

(1) Cfr. Compend. volum. 1.^{um}, num. 516 seqq.

(2) Cfr. Compend. volum. 1.^{um}, num. 527; volum. 2.^{um}, num. 280.

(3) Quaedam alia in opere fusiori, volum. 5.°, num. 228.

(4) Cfr. Compend. volum. 3.^{um}, num. 244.

babiliter saltem probat ratio (1), et catholica veritas docet; demum inesse nobis animam rationalem nemo sanus dubitare potest, patebitque ex dicendis. Supposita ergo reali existentia istarum substantiarum, quaeritur nunc, quid de earum essentia nosse valeamus, et quomodo.

I.—Dei cognitio in hac vita qualis.

306. Propositio 1.ª **Licet aliquo modo cognoscere naturaliter possimus in hac vita quidditatem vel essentiam Dei, non tamen quidditative ac perfecte, sed confuse et valde imperfecte.**

Prima pars: *Aliquo modo cognoscimus in hac vita essentiam Dei,* patet. Nam novimus id, quod maxime proprium et essentiale Dei est, nempe illum esse ipsum *esse* per se subsistens vel ipsum *esse* per essentiam. Item cognoscimus, et Theodicea demonstrat, plura attributa, quae licet creaturis analogice communia, non desinunt esse Deo essentialia, ut illum esse ens, substantiam, spiritum, sapientem, justum, etc. Quos conceptus ut Deo magis appropriemus, addimus interdum differentias ipsi exclusive convenientes, ut Deum esse ens a se, per essentiam, actum purum, sapientiam infinitam, etc. Ergo aliquo modo cognoscimus quidditatem Dei.

Secunda pars: *Deum in hac vita non cognoscimus quidditative, sed valde imperfecte* (n. **87**), probatur 1.° Quia cognitio quidditativa est ea, quae conceptu claro, proprio et positivo distincte refert omnia praedicata rei essentialia usque ad ultimam differentiam vel quasi differentiam (n. **88**). Atqui profecto quisque novit ex conscientiae testimonio se non sic Deum cognoscere. Ergo...

Probatur 2.° Deum nemo in hac vita intuetur, quidquid effutiant Ontologi, ut mox videbimus. Nec habemus, ut scimus ex propria experientia nisi triplicem modum cognitionis divinae α) *per viam negationis aut remotionis*, id est, removendo imperfectiones; β) *per demonstrationem via affirmationis*, nempe asserendo Deo positivas perfectiones; γ) *per analogiam et excessum*, nimirum tribuendo illi quidquid perfectionis in creaturis relucet, sed longe nobilius et in gradu infinito. Atqui per nullam hujuscemodi rationem, nec per omnes simul assequimur quidditativam Dei cognitionem.

α) *Non per viam negationis*, ut cum novimus Deum esse *im*mortalem. *in*corporeum. Hujusmodi enim conceptus non tam exprimunt, quid Deus *sit*, quam quid *non sit*, ideoque essentialiter confusi sunt.

β) *Non per viam affirmationis.* Praecisa revelatione ac praecisa intuitiva visione, nulla est posibilis nobis naturaliter cognitio Dei nisi per demonstrationem ex creaturis, quae omnes sunt effectus illius, unde concludimus eum existere ac possidere perfectiones omnes creaturarum. Atqui essentia Dei infinite distat ab essentia omni creata, ut ipse intellectus noster demonstrat. Ergo impossibile est ut ex rerum creaturum speciebus argumentando, quamtumvis cognoscamus multa Dei attributa essentialia, nos possimus illa attingere secundum modum proprium, quo eidem competunt.

---

(1) Vide Suarez, *de anim.*, lib. 4, cap. 6, num. 5; *Metaphys.* disp. 35, sect. 1; *de angelis*, lib. 1, cap. 2.

γ) *Non per viam analogiae et excessus.* Nam cognitio analogica in primis essentialiter confusa est, nec rem exhibet secundum proprias ejus rationes, sed solum per quamdam similitudinem remotiorem ad alia. Excessus etiam, quem divinis attributis tribuimus supra similia analogice praedicata, dicendo v. g. Deum esse *summum* bonum, *infinitam* sapientiam, etc., non *manifestat* nobis, quid sit illa *summitas* vel *infinitas*, etc.

Denique quamvis per triplicem istam viam conflemus in unum perfectiones omnes possibiles, vel efformemus conceptum unius ineffabilis sine ulla imperfectione; conceptus hic soli quidem Deo convenit, et sic proprius ejus est aliquo modo, sed tamen nondum patefacit nobis incomprehensibilem modum essendi Dei (1)

II.—Qualis cognitio angelorum.

307. Multo pauciora nobis suppetunt media cognoscendi angelos, quia cum nec immediate videri a nobis valeant in hac vita, nec ex operibus aut effectibus innotescant, quantumvis servent cum nostro intellectu longe majorem, quam divina natura, proportionem, multo pauciora possumus de illis cognoscere (2).

Propositio 2.ª **Quidditas substantiarum separatarum vel angelorum cognosci a nobis nequit perfecte, sed solum quoad communia praedicata.**

Prob. 1.° experientia cujusque. Nam nescimus, quid vel quales sint in se ipsis angeli; et de ipsorum essentia vix quidpiam aliud assequimur, quam quod sint substantiae quaedam spirituales ac formae separatae perfecteque intelligentes. Nec, vel ipsa revelatione supposita, differentias alias, sive specificas sive individuales, attingimus praeter accidentales et ex aliquo opere ad extra desumptas, ut cum S. Gabrielem novimus nuntium Incarnationis, S. Michaelem ducem coelestis militiae contra Luciferum, et hierarchias et choros ex variis muneribus distinguimus.

Prob. 2.° Si dari posset in nobis perfecta angelorum notitia, hauriretur vel ex immediata intuitione ac per speciem propriam, vel ex discursu, vel ex analogia. Atqui *non ex immediata intuitione*, nec per propriam speciem, qua prorsus caremus, ut experientia notum est. *Non ex discursu,* quia discursus petendus esset ex effectibus potissimum sensibilibus, angelorum ope patratis; at hi et pauci noscuntur, et non sufficiunt ad eorum naturam patefaciendam, siquidem nullus univoce convenit cum illa (1). *Non ex analogia* sive cum rebus materialibus sive cum anima nostra, tum quia generatim analogica cognitio essentialiter imperfecta est (num. **306**, *Secunda pars, Prob. 2.*° γ) (2); tum quia res materiales nimis distant ab angelica perfectione (3); tum quia nec ipsam animam nostram perfecte novimus, et quamvis nossemus, non posset ex illius notitia perfecte cognosci angelus, quippe qui specie saltem differt ab illa (4). Totum hoc argumentum egregie evolvit Eximius Doctor (5). Objectiones contra haec solutas habes in opere fusiore (6).

---

(1) Vide volum. 5.$^{\text{um}}$, num. 230, ubi num. 231 habes quasdam difficultates, solutas. Verum haec omnia declaranda fusius erunt in Theodicea.

(2) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 35, sect. 2, num. 4; *de anim.*, lib. 4, cap. 6, num. 6.

III.—Quomodo cognoscat anima se ipsam, et quae in ea sunt.

308. Duo quaeruntur, cognitio quam habet anima sui ipsius, et cognitio potentiarum animae, actuum, specierum habituumque ipsi inhaerentium. Et quod primum attinet dubitatur, utrum anima se *per suam essentiam* intelligat, nempe utrum essentia ipsa sit medium, quo se cognoscit anima (7), nam quod se aliquo modo cognoscat, dubitari non potest, at per essentiam se cognoscere docuerunt quidam veteres (8) ac postea Cartesiani, perennem animae notitiam sui ipsius largientes.

309. Propositio 3.ª **Licet anima cognoscat se ipsam cum suis potentiis, non tamen per suam essentiam sed per suos actus, atque adeo per alienas species a sensibilibus abstractas.**

Prima pars: *Anima se cum suis potentiis cognoscit,* non eget probatione; nam tota haec tractatio, quam prae manibus habemus, de anima est, deque illius potentiis, actibus et proprietatibus (9).

Secunda pars: *Non cognoscit se per suam essentiam*, probatur 1.° Secus enim anima semper actu cognosceret se ipsam, quia semper in promptu haberet id, quo ad sui cognitionem determinaretur. Atqui certissime non se actu semper cognoscit, ut constat experientia. Ergo...

---

(1) Cfr. S. Thom., 1 p., quaest. 12. Cfr. *Metaphys*, lib. 9, lect. 1, post. med.

(2) S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 3, cap. 31, *Item si etiam ponamus...*

(3) S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 3, cap. 41, *Cum enim intellectum*, et lib., *Praeterea... Non est*, et per tot. cap.; quaest. *de anim.*, art. 16; 1 p., quaest. 88, cap. 2.

(4) S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 3, cap. 46 sub fin.; 1 p., quaest. 88, art. 1, ad 1.um; quaest. 94, art. 2; quaest, *de anim.*, art. 16.

(5) *Metaphys*. disp. 35, sect. 2, num. 3 seqq.

(6) Volum. 5.°, num. 233.

(7) Cfr. S. Thom., quaest. 10 *de verit.*, art. 8.

(8) Apud Suarez *(de anim.*, lib. 4, cap. 5, num. 1) et Tolet. *(de anim.*, lib. 3, quaest. 11).

(9) Vide S. August. *(de Trinit.*, lib. 10, cap. 9), S. Thom. (1 p., quaest. 87, art. 1 fin; *de verit.*, quaest. 10, art. 8), etc.

Prob. 2.° *Si anima per se ipsam cognoscit de se quid est, omnis autem homo habet animam; omnis igitur homo cognoscit de anima, quid est quod patet esse falsum* (1).

Prob. 3.° Si anima cognosceret se per suam essentiam, immediate se cognosceret, prout est in se ac perfectissime, nam ipsa essentia esset instar speciei se ad cognitionem determinantis. Atqui quisque novit se nec perfecte nec immediate nosse suam animam, prout est in se. Ergo... (2).

Tertia pars. *Anima cognoscit* se *per suos actus*, probatur 1.° experientia; quia reapse omnis cognitio, quam habemus propriae animae, si bene consideretur, procedit ex cognitione actuum; nam nunquam se actu existentem animadvertit anima, nisi prout hic et nunc operantem; qualis autem sit ipsa, infert arguendo ex varietate ac conditione actuum. 2.° Ratio vero idem persuadet, quia quae non sunt objectum immediatae intuitionis, non possunt satis cognosci a nobis in hac vita nisi per effectus ac proprietates, ut constat inductione

310. **Duo itaque de anima cognosci queunt**, *an est*, et *quid est.* Primum nullius est negotii, ad alterum vero *requiritur diligens et subtilis inquisitio* (3). Primum quidem nullius esto negotii, quia cum anima reflexe cognoscat suos proprios actus, sive ordinis sensitivi sive ordinis intellectivi, illos reperit in seipsa, et sic dum se operantem invenit, non potest non existentem nosse: et hoc pacto anima se *actualiter* cognoscit (4). Dici quoque potest anima se quodammodo *habitualiter* cognoscere tum, cum non se actualiter cognoscit, quia semper *ipsa sibi praesens est*, et semper capax est operandi, ad proinde, se per actus cognoscendi (5). Quid autem sit anima, cognosci non potest sine attenta et diuturna consideratione actuum ejus, ex quibus innotescit multitudo et varietas potentiarum, et ex his velut ex totidem proprietatibus tandem paratur via ad rimandam naturam (6), prout S. Thomas non uno in loco declarat. Quae cum ita sint, patet,

Cur dicatur anima se cognoscere per alienas species, easque a sensibilibus abstractas (7); quia nempe species objectorum materialium ex phantasmatis abstractae, praeterquam quod causent directam et immediatam talium objectorum cognitionem, sunt etiam in causa, ut intellectus per reflexionem in suos actus et discursus tandem deveniat in cognitionem naturae suae modo explicato.

---

(1) S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 3, cap. 46.
(2) Vide S. Thom., loc. nuper cit.
(3) S. Thom., 1 p., quaest. 9, art. 1. Scotus, t. 4, pag. 547-566.
(4) Vide S. Thom., *de verit.*, quaest. 10, art. 8. Cf. 1 p., quaest. 87, art. 1.
(5) S. Thom., *de verit.*, loc. cit.; et Tolet., *de anim.*, lib. 3, quaest. 11, *Quarta conclusio*...
(6) Vide S. Thom., *de anim.*, lib. 2, lect. 6 fin; *de verit.*, quaestio 10, art. 8; et 3.° dist. 23, quaest. 1, art. 2, ad 3.um, etc.
(7) S. Thom., *de verit.*, quaest. 10, art. 8, ad 5.um et 9.um *eorum, quae in contrarium;* et 3.° dist. 23, quaest. 1, art. 2, ad 3.um

311. PROPOSITIO 4.ª **Idem videtur esse dicendum de actibus, speciebus et habitibus, ea nempe omnia intelligi non directe ac per eorum essentiam, sed reflexe atque indirecte ac per alienas species** (1).

Probatur prima pars *de actibus.* Anima enim non intelligit actus suos nisi per objectum, seu quatenus objectum aliquod cognoscit vel appetit, quia ut experientia docet, *nullus percipit se intelligere, nisi ex hoc quod aliquid intelligit, quia prius est se intelligere aliquid, quam intelligere se intelligere* (2).

Dices, angelos eodem actu intelligere se ac propriam intellectionem (3). Ergo idem sentiendum est de anima nostra. **Respond.**. *neg.*, conseq. et parit. Angelus enim habet pro primario objecto intellectionis suam essentiam, eamque perenniter ab initio sui *esse* intelligit, ita ut cognitio sui ipsius sit naturalis perfectio essentiae suae. Secus vero dicendum est de anima nostra, cujus objectum primarium et proportionatum non est ipsa ejus essentia, sed res materialis ac sensibilis, ut mox dicetur.

Idipsum dici debet de actibus voluntatis et sensuum, quos cognosci a nobis reflexe testatur experientia, et ratio ipsa persuadet debere cognosci. Quia quamvis istorum actuum productrices potentiae differant realiter ab intellectu, omnes tamen radicantur in eodem principio, et colligantur in eadem essentia animae (4), ab eaque fluunt cum certo ordine inter se (5); quare possunt actus aliarum potentiarum ordinis cognoscitivi atque appetitivi percipi per redundantiam quamdam motus illarum in intellectum, quemadmodum loquitur Aquinas (6).

Caeterum quam facile cognoscuntur actus animae quoad *an est* seu quoad eorum praesentiam, tam arduum est cognoscere quoad *quid est*, seu definire illorum propriam essentiam aut rationem.

312. **Quomodo etiam intellectus determinetur ad reflexam cognitionem actuum animae,** *utrum ex sola eorum praesentia, an vero per aliquam speciem, quam immittant*, dubitatur. Ac dubium praecipue versatur circa cognitionem quoad *an est;* nam cognitio *quid est* juvatur ex discursu et varia comparatione, unde innotescat, *quid* vel *qualis* sit actus hic et nunc praesens. At quoad *an est* cognitio actus pendere quidem videtur ex attentione mentis, quae si adhibeatur, illico cognoscitur actus praesens, sive intellectus sive voluntatis. Quod porro attentio adhibeatur, pendet ex variis causis, tum externis tum etiam internis, et non parum ex ipsa complexione naturali, educatione, habitibus contractis; sunt enim qui natura sunt valde reflexivi, alii parum, immo unus idemque homo in diversis aetatibus et adjunctis magis minusve reflectit, et pueri fere non attendunt ad actus suos, unice fere intenti in objectum. Et gene-

---

(1) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 14, art. 2, ad 3.um; quaest. 76, art. 2, ad 4.um; quaest. 85, art. 2; quaest. 87, art. 3; *de verit.*, quaest. 10, art. 9; *Compend. Theolog.*, cap. 85, etc,

(2) S. Thom., *de verit.*, quaest. 10, art. 8. Cfr. 1 p., quaest. 87, art. 3 corp. et ad 1.um et 2.am

(3) S. Thom., 1 p., quaest. 87, art. 3.

(4) S. Thom., 1 p., quaest. 87, art. 4 corp. et ad 1.um; 3.° dist. 23, quaest. 1, art. 2, ad 3.um Cosmol. n. 361, 369.

(5) S. Thom., 1 p., quaest. 77, art. 7; quaest, 87, art. 4, ad 3.um

(6) 3.° dist. 23, quaest. 1, art. 2, ad 3.um

ratim quo magis intuitus mentis occupatur in directa objecti contemplatione, eo minus advertit aut reflectit ad actum subjective spectatum. Undenam ergo procedit, quod ubicumque adest actus cognitionis vel appetitionis, etiamsi forte de facto non advertatur, possit tamen adverti, dummodo attentio excitetur?

Sententiae variae. Nonnulli cum P. Suarez (1) dicunt istos actus speciem sui imprimere in intellectum possibilem, quamvis species istae in hoc differant a speciebus objectorum repraesentatricibus, quod in prima sui productione non necessario agant, seu non necessario determinent intellectum ad sui cognitionem, quia experientia novimus non semper a nobis adverti seu reflexe cognosci ejusmodi actus. Actus autem voluntatis quidam putarunt cognosci «ex aliquo signo externo aut ex motu aliquo corporis aut alicujus partis ejus, vel ex commotione appetitus sensitivi ab eo causata, vel per actum intellectus, per quem objectum voluntati propositum est, reflectendo nempe ad modum intensum vel remissum, quo talis propositio facta est (2).» Haec tamen experientiae repugnant, quae ostendit actus voluntatis a nobis reflexe cognosci immediate sine hujusmodi circuitionibus et conjecturis.

Alii cum S. Thoma negant necessarias esse species peculiares ad actus reflexe cognoscendos (1), sed existimant, ex eo solum quod intellectus objectum aliquod directe cognoscit, illum sufficienter determinatum esse, ut secundario cognoscat ipsum quoque actum, quo tale objectum apprehenditur, et per actum animam et ipsam potentiam intellectivam (2). Unde etiam dici solet per *speciem objecti* cognosci actus intellectus. Et similiter docet Angelicus actus appetitus sensitivi esse *sensibiliter* in sentiente, et actus voluntatis *intelligibiliter* in intelligente, quia unumquodque est in aliquo secundum modum ejus (3); quia cum omnes potentiae radicentur in eadem anima, actus appetitus non possunt dici esse ita extra potentiam cognoscitivam, ut non suficienter eam ad sui apprehensionem moveant (4).

---

(1) Suarez, *de anim.*, lib. 4, cap. 5, num. 3. Sententia Suarezii ex ipsius verbis haurienda est: «Sin intellectus indiget specie distincta ab actu ad cognoscendum illum reflexe, non minus habebit in se receptam speciem amoris quam fidei; etiamsi ipsi actu sint in distinctis potentiis... Si vero in illa cognitione reflexa non sunt necessariae species, sed ipsimet actus uniuntur per modum obiecti seu principii ad cognitionem sui, sic etiam videtur impertinens differentia in efficientia et inhaerentia unius actus et non alterius respectu intellectus; quia obiectum spirituale et per se intelligibile et per se indistans ab intellectu potest aeque bene illi uniri per modum obiecti intelligibilis etiamsi illi non inhaereat nec ab illo fiat, ut patet in essentia divina respectu beatorum et in substantia angeli vel animae separatae respectu intellectus» *(De gratia*, l. 9, c. 12, n. 13).

«Sunt vero qui dicant actum voluntatis cognosci ab intellectu per eum actum intellectus per quem obiectum fuit voluntati propositum: quod mihi non placet: nam facta etiam propositione illa obiecti potest adhuc voluntas proprium actum non elicere, non ergo ex vi illius valet intellectus actum voluntatis cognoscere: aliud ergo principium est necessarium quod aliud fingi nequit quam species» *(De anima*, l. 4, c. 5, n. 3).

«Ut videre licet in specie quam actus nostri intellectus in nostra memoria relinquit, nam semper repraesentat actum cum aliquo ordine ad materialia sicut actus a quo manavit, in actu secundo repraesentabat» (*De Angelis*, l. 2, c. 12, n. 68).

«Duobus enim modis potest cogitari memoriam sensitivam fieri. Primo per solam conservationem speciei obiecti prius visi sine specie visionis praeteritae, et tunc actus memoriae tantum erit iterum recognoscere rem absentem quam praesentem habui sine ulla cognitione visionis eius praeteritae seu quod illam viderim. Secundo potest actus memoriae esse talis ut non solum quis iterum rem ipsam concipiat sed etiam, recordetur se vidisse talem rem. Dico ergo quod licet daremus memoriam sensitivam praesertim in brutis fieri tantum priori modo (quod nunc definire nolumus), nihilominus, in memoria intellectiva negari non potest quin memoria posteriori etiam modo fiat» (*De angelis*, l. 2, c. 12, n. 12). Lossada, *de anim.*, disp. 6, cap. 3, num. 52; disp. 7, cap. 1, num. 9.

(2) Vide P. Anton. Rubio, *de anim.*, lib. 3, cap. 4 et 5, tract. *de intellectu possibili*, quaest. 7, num. 210.

Secunda pars *de potentiis et speciebus* patet ex modo, quo nos ipsi superius ostendimus existentiam specierum et potentiarum re ab anima distinctarum. Si enim hae directe per suam essentiam nobis innotescerent, profecto opus non fuisset longo ac difficili discursu, nec tanta foret contentio ac diversitas opinionum.

Tertia pars *de habitibus* eodem modo probatur, quia in primis habituum existentia non innotescit nobis nisi considerando actus, vel potius facilitatem, qua eos elicimus; natura vero discursu indiget et studiosa inquisitione, ut suo loco videbimus (5).

313. **Objic. 1.° adversus 3.^{am}** propositionem. Haec est Sancti Augustini sententia: *Mens ergo ipsa, sicut corporearum rerum notitias per sensus corporis colligit, sic incorporearum rerum per semetipsam. Ergo semetipsam per semetipsam novit, quoniam est incorporea* (6).—**Respond.**, S. Doctorem forte loqui de cognitione, quam anima habeat *habitualiter* quoad *an est*, modo nuper declarato (n. **310**, *Duo itaque...)*, quatenus videlicet *ex ipsa est ei, unde possit in actum prodire, quo se actualiter cognoscat percipiendo se esse: sicut et ex specie habitualiter in mente recepta, est in mente, ut possit actualiter rem illam considerare* (7).

Objic. 2.° Substantia animae immaterialis est, itemque potentiae quaedam, species et habitus, ac proinde per se ipsa haec omnia sunt intelligibilia; siquidem materialitas est id, quod impedit cognitionem. Accedit, quod nihil videtur magis proportionatum esse animae, quam ipsa. Ergo se per se ipsam absque specie vel alterius rei adminiculo debet percipere.

Respond. ad primum *neg.* alterum membrum asserti et probationis. Nam quamvis anima sit spiritualis, impeditur tamen materialitate corporis, cui unitur in hac vita, ne se suaque cognoscat, sicut cognoscit angelus et ipsa quoque anima in statu separationis. Certum enim est ex conscientiae testimonio, animam non se cognoscere per se ipsam, causa vero videtur repetenda ex eo, quod informet materiam; quamvis enim id pertineat ad suam formae conditionem, et necessarium sit, ut anima totam suam virtutem explicet, retardat tamen aliquantulum intellectualem operationem.

---

(1) S. Thom., 3.° dist. 23, quaest. 1, art. 2, ad 6.^{um}.

(2) S. Thom., 1 p., quaest. 87, art. 3.

(3) S. Thom., 1 p., quaest. 87, art. 4.

(4) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 87, art. 4, ad 1.^{um}; 3.° dist. 23, quaest. 1, art. 2. ad 3.^{um}.

(5) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 87, art. 2; 1.° dist. 17, quaest. 1, art. 4; 3.° dist. 23, quaest. 1, art. 2; *de verit.*, quaest. 10, art. 9.

(6) S. Thom., *de verit.*, quaest. 10, art. 8, *Sed contra est 3.*° Confer ibid., *ad 3.^{um} eorum, quae in contrarium;* et 1 p., quaest. 87, art. 1, ad 3.^{um}.

(7) Apud S. Thom., *de verit.*, quaest. 10, art. 8, ad 1.^{um} *eorum, quae in contrarium...* Cfr. cardin. Tolet., *de anim.*, quaest. 11, *Conclusio 4.^{a}*.

Respond. ad alterum eodem modo. Anima quidem separata se immediate ac per se ipsam intelliget, quia sibi erit proportionatissima; sed quamdiu materia informat, patet non se ita intelligere, ideoque non sibi reapse proportionatam esse: sicut anima etiam brutorum non est sibi ullatenus proportionata, ut possit se cognoscere.

Objic. 3.° In iis quae sunt separata a materia, idem est *quod* intelligit, et *quo* intelligitur, teste Aristotele. Sed anima est separata a materia, utpote immaterialis. Ergo...

Respond., *dist.* Major. In iis quae sunt perfecte ac totaliter separata a materia, *conc.*; in iis quae non sunt totaliter a materia separata, seu quae licet in se sint immaterialia, sunt unita materiae, *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 4.° Omne quod est praesens intellectui ut intelligibile, intelligitur ab intellectu. Sed ipsa essentia animae est praesens intellectui per modum intelligibilis; est enim praesens per sui veritatem, et veritas est ratio intelligendi (num. 303, *Idem significatur...*), sicut bonitas est ratio diligendi. Ergo mens per essentiam suam se intelligit (1).—**Respond.**, *dist.* Minor.: est praesens intellectui ut intelligibilis per se ipsam, *neg.*; per actum et objectum, *conc.*

Objic. 5.° Nisi anima se ipsam immediate ac primo intueretur, jam non esset per suam essentiam persona, nec pro se existeret per suam essentiam. Ergo tribuenda est animae immediata et perennis sui per se ipsam notitia.

Respond. ad 1.um membrum anteced., *negando* in primis suppositum, id est, quod anima sola sit persona. Deinde licet foret persona per se sola, negatur antecedens, quia ratio personae non consistit in actuali conscientia sui suorumve actuum (2). 2.um quoque membrum antecedentis *negatur*, quia existentia animae nec est in sui cognitione, nec ab ea dependet (3).

Objectiones contra 4.am propositionem videri possunt in alio opere (4).

Plura problemata moderna considerantur in Psychologia experimentali de experientia interna, de erroribus recognitionis, de propria personalitate, etc., etc. Cfr. v. gr. Lindworsky (trad.) pag. 273-290.

ARTICULUS III

An et quo pacto intellectus noster in hac vita cognoscat substantiam et quidditatem rei materialis ac sensibilis.

314. Status quaestionis. Omnes quidem concedunt intellectum nostrum attingere conceptu proprio perque propriam speciem quidditatem seu rationem rerum per se sensibilium vel accidentium, quae sunt objectum sensuum; non vero aeque convenit apud omnes, utrum proprio conceptu apprehendat etiam quidditatem substantiae accidentiumque *insensatorum* seu non per se sensibilium. Affirmant plures Thomistae, ut Soncinas, Javellus et alii, quibus accinunt nostri Fonseca et Conimbricenses (1), arbitrantes intellectum agentem ex phantasmatis abstrahere speciem propriam tum qualitatum per se sensibilium, tum latentis sub illis substantiae qualitatumque insensibilium. Negant Scotus, Hervaeus, Richardus aliique docentes, «ab intellectu agente produci speciem propriam solius accidentis per se sensibilis, et hoc tantum intelligi prima cognitione, ex quo ita cognito pervenit intellectus per discursum ad cognitionem substantiae et accidentium insensibilium per se» (2). Pro meliori rei intelligentia nota

---

(1) Apud S. Thom. *de verit.*, quaest. 10, art. 8, *Sed contra est 4.°* Cfr. ibid. in respons. ad 4.um *eorum, quae in contrarium.*

(2) Cfr. Compend. volum. 2.um, num. 312.

(3) Quaedam alia in opere fusiori, volum. 5.°, num. 238, et apud S. Thom., *de verit.*, quaest. 10, art. 8. Habenda quoque prae oculis paulo superius dicta *de sensu fundamentali* (num, 163, 164).

(4) Volum. 5.°, num. 239.

315. **Quid sit conceptus proprius et communis.** Communis est, qui rem non secernit ab aliis, ut si cognoscas hominem ut animal duntaxat vel ut vivens, tunc enim nihil cognoscis, quod solius hominis proprium sit. Proprius est ille, qui soli rei convenit, eamque a reliquis omnibus distinguit, sicut conceptus hominem repraesentans ut rationalem vel visibilem. Duplicis generis hic esse potest, *proprius stricte* vel *proprius ex propriis* et *proprius ex communibus.* Hic postremus rem quidem secernit ab omnibus aliis, non tamen repraesentat prout est in se, nec per speciem *propriam*, id est immediate abstractam a phantasmate, aut per se primo ordinatam ad illam rem repraesentandam, sed solum exprimit eam per alienas species, vel in ordine ad aliud, sive per discursum, sive ope symboli vel exempli aut per negationes. Hoc modo repraesentamus in hac vita Deum, angelos, animam rationalem, ut modo vidimus; negari enim nequit per species alienas et multis communes, apte combinatas, gigni posse cognitionem uni rei propriam, ut si Deum exhibeas ut *causam primam,* animam humanam ut *formam corporis spiritualem*, etc. Conceptus stricte proprius vel proprius ex propriis rem refert, prout est in se, ac per species proprias: ut conceptus lucis et colorum. In quo tamen videtur esse posse aliqua graduum latitudo, nam magis proprius esset conceptus essentiam rei in se ipsa attingens, quam sit conceptus eamdem essentiam declarans per ordinem ad proprietates vel qualitates per se sensibiles, quantumvis characteristicas. Qua distinctione forte in concordiam vocari valeant oppositae in hac re sententiae.

316. Propositio. **Licet intellectus noster materialem substantiam conceptu quodammodo proprio cognoscat, nequit tamen in hac vita conceptum ejusdem assequi stricte proprium, qui sit absolutus et non connotativus** (3) **ad accidentia et proprietates.**

Prima pars: constat, quia profecto alias ab aliis substantias distinguimus, earumque praedicata essentialia plura cognoscimus. Quis ignoret discrimen auri ab argento, rosae a cane, etc.? Quamvis enim conceptus isti quidditativi non sint (n. **87**), non desinunt tamen talia rei lineamenta explicare, quae illi soli conveniant.

Et quamvis multi horum conceptuum possint esse tantum proprii ex communibus (n. **335**), adhuc clarius rem demonstrant, quam demostrent Deum conceptus, quos ex creaturarum perfectionibus efformamus, quia hae infinite distant a divina essentia, minoremque cum ea proportionem habent, quam species aliarum rerum, ex quibus saepe conflantur conceptus materialium substantiarum.

---

(1) *De anim.*, lib. 3, cap. 4 et 5, quaest. 5, art. 1, 2.ª *assert.*

(2) P. Anton. Rubius, *de anim.*, lib. 3, cap. 4 et 5, tract. *de intellectu possibili*, quaest. 4, num. 137. Scotus t. 3, pag. 598-606.

(3) Cfr. Compend., volum. 1.^{um}, num. 61; volum. 2.^{um}, num. 373.

Secunda pars probatur 1.° Corporea substantia constituitur ex materia et forma. Atqui materiam non cognoscimus positive nisi per analogiam ad artificialia et ad subjectum accidentium (1), formam vero ex effectibus, quorum est principium et per analogiam ad formas accidentales vel artificiales (2). Ipsam animam nostram, quae maxime nobis nota esse deberet, non cognoscimus nisi per ordinem ad operationes et formales effectus.

Prob. 2.° Eo modo concipimus corporeas quidditates, quo eas definimus. Atqui omnes definitiones corporearum substantiarum etiam eae quae dicuntur essentiales, non aliter eas exhibent nisi ut subjectum et principium certarum proprietatum atque operationum, quin vel unum possit in contrarium produci exemplum, ut satis constat inductione. Ergo... Sane sepone a conceptu aquae, ferri, hominis... ejusmodi connotationes, et quid remanet nisi indeterminatae et communis multis rationes entis, substantiae, corporis, viventis...?

Prob. 3.° Intellectus nullius rei potest habere speciem propriam, quae non reluceat in phantasmate, nam non potest intelligere nisi per hujusmodi species. Atqui profecto in phantasmate relucent quidem, et continentur qualitates per se sensibiles, non autem quidditas et essentia ipsa corporis, utpote quae non est per sensibilis, nec apprehendi a phantasia ullove sensu, sive externo sive interno potest (n. **110**). Ergo impossibile est, ut intellectus noster in hac vita essentias corporum conceptu absoluto et nullatenus connotativo cognoscat, prout sunt in se ipsis, ut contradistinctas a proprietatibus.

Plura in alio opere (3). Difficultates huc pertinentes commodius solventur in sequenti articulo.

ARTICULUS IV

Utrum substantia prius accidentibus cognoscatur, et per quam speciem.

317. **Variae sententiae.** Chrysostomus Javel docet substantiam «quoad praedicata communia, a quibus trahitur cognitio confusa», prius apprehendi ab intellectu nostro, quam accidens, posterius vero «quoad conceptum distinctum, quo apprehendimus ejus genus et differentiam. Atque hanc esse putat S. Thomae ac verorum Thomistarum sententiam. Hervaeus autem, Richardus et alii contendunt prius a nobis cognosci accidentia. Diversae quoque sunt circa speciem opiniones. Qui putant accidentia prius cognosci, dicunt per illorum duntaxat speciem nobis substantiam innotescere. Qui vero prius docent cognosci substantiam, saltem conceptu confuso et imperfecto, censent cognosci per speciem propriam ex phantasmate abstractam, quamvis hoc sola repraesentet accidentia sensibilia. Alii volunt co-

---

(1) Cfr. Compend. volum. 3.um, num. 238.
(2) Cfr. Compend. volum. 2.um, num. 160, *α*) et 166.
(3) Volum. 5.°, num 241.

gitativam (n. **152**) elicere distinctam cognitionem tum substantiae singularis, tum accidentium, et ex hujusmodi idolo proprio singularis substantiae intellectum agentem abstrahere speciem illius intelligibilem. Quam doctrinam tenent Conimbricenses (1) cum cardin. Cajetano, Ferrariensi, Abulensi et aliis (2). Denique Suarez (3) Rubius, Hurtado, Arriaga etc. negant pro prima substantiae cognitione dari species proprias: primam enim cognitionem (late propriam) arbitrantur determinari per discursum ex speciebus accidentium sensibilium, ex qua tamen cognitione (late propria) sic ex alienis habita relinqui in posterum species late proprias ac discursivas, quibus in memoria repositis, facilius postmodum ac sine discursu objecta quaedam valeant conceptu late proprio sed distincto repraesentari. Hujusmodi proinde species non efficiuntur ab intellectu agente, sed a possibili (**278**). Et similes species discursivas admittunt iidem auctores ad cognoscendum Deum et angelos, qui licet prima vice innotescant per alienas species, eorum videlicet objectorum, ex quibus per discursum devenitur in talium spiritualium substantiarum cognitionem, postea vero cognoscuntur ex specie per talem discursum relicta.

318. Propositio 1.ª **Intellectus noster non videtur percipere substantiam prout talem prius, quam accidens, sed potius ita videtur prima ejus cognitio terminari in accidentia, ut simul eorum subjectum confuso modo precipiatur** (4).

Prima pars probatur 1.° Quia intellectus agens statim ac imaginatio vel cogitativa sensibile objectum apprehendit, abstrahit ex tali phantasmate (n. **283** et **284** ad *Objic. 4.°)* speciem intelligibilem illi correspondentem, et imprimit intellectui possibili. Atqui species tali phantasmati correspondens non est species nudae substantiae. Ergo...

Minor patet, quia phantasma per se tantum repraesentat accidentia sensibilia, et solum per accidens potest substantiam repraesentare. Ergo quamvis daremus cogitativam posse formare cognitionem substantiae singularis, incredibile est, hunc esse primum praecise conceptum formatum ab intellectu ex vi impressionis sensuum, quales sunt imaginatio et cogitativa. Et ratio est, quia ex communi Scholasticorum sententia, nullum sensibile per accidens immutat sensum, vel immittit speciem sui (n. **110**); substantia vero est unum ex sensibilibus per accidens.

Prob. 2.° Si substantia primo apprehenderetur, species illius vel repraesentaret substantiam absolute ac sine respectu ac connotatione ad accidentia, vel cum tali respectu. Prius est contra experientiam, nec dici potest ex modo probatis (n. **316**, *Secunda pars)*, quia si nec post longam inquisitionem assequimur cognitionem substantiae non connotativam, multo minus eam possumus habere statim ex vi primae impressionis objecti. Si autem dicatur secundum, cognitio prima substantiae, utpote respectiva, jam implicaret conceptum accidentis.

Secunda pars. Sicut sensus non percipit sensibilia in abstracto, sed in concreto, ita ut visus v. g., percipiat coloratum, in quo includitur quodammodo subjectum seu substantia: ita intellectus licet primum immutetur ad cognitionem alicujus accidentis per se sensibilis, non tamen illud abstracte concipit, sed in concreto. Ergo a primo hujusmodi conceptu non penitus excluditur substantia, sed involvitur necessario substantia, quasi accidentibus tecta et involuta. Unde dici potest, rem per se ac formaliter cognitam esse accidens, rem autem adaequate ac quasi materialiter cognitam esse compositum ex substantia et accidente, quod per modum unius subsistentis in tali forma accidentali concipitur (1). Unde intellectus in prima cognitione non cognoscit accidens formaliter ut tale, seu ut distinctum a substantia eique inhaerens, sed solum sub ratione entis sensibilis ac materialis (2).

---

(1) *De anim.*, lib. 2, cap. 4 et 5, quaest. 5.

(2) In quibus laudatur ipsemet S. Thomas, *de anim.*, quaest. 10, art. 5; opusc. *de princip. individuationis.*

(3) *De anim.*, lib. 4, cap. 4, num. 4.

(4) Suarez *Metaphys.* disp. 38, sect. 2, num. 9 seqq.), cardin. Tolet. *(de anim.*, lib. 1, quaest. 6, conclus. 1.ª), Lossada *(de anim.*, disp. 7, cap. 1, num. 5), etc.

319. PROPOSITIO 2.ª **Conceptus distinctus et expressus substantiae ut subjecti sustentantis, et accidentis ut actus inhaerentis, nonnisi discursu et ratiocinatione habetur.**

Probatur. Nam si substantia et accidens non cognoscuntur ut distincta in prima cognitione, ut modo dicebamus, aliunde exspectanda est occassio ea inter se distinguendi, nempe ex mutationibus, quibus rem videmus successive subjacere; nam illae demonstrant realem accidentium a subjecto distinctionem (3). Atqui in hoc adest aliquis discursus, intellige de prima distincta eorum cognitione; nam postea possunt distincte substantia et accidentia cognosci etiam sine discursu, nimirum per species ex priori cognitione relictas. Ergo...

320. PROPOSITIO 3.ª **Cognitio specifica substantiae posterior est in nostro intellectu; quam cognitio accidentis, utpote quae manuducere nos debet ad inquirendas diversas corporum naturas.**

Ita communissime auctores diversarum scholarum. Ratio vero est, quia non alius suppetit nobis modus cognoscendi varietates ac differentias specificas corporum praeter attentam considerationem effectuum et proprietatum, ut constat experientia. Ergo ante cognitionem specificae naturae corporum necesse est, ut proprietatum viriumque, quae profecto accidentia sunt (4), praecedat cognitio. Legatur Angelicus (5); haec autem omnia fusius enucleata prostant in opere fusiori (6).

321. PROPOSITIO 4.ª **Licet prima cognitio distincta substantiae habeatur per alienas species postea vero probabiliter, admittendae sunt species ejusdem etiam propriae, in latiori sensu, per ipsam operationem intellectus possibilis effectae, species nempe** ***discursivae.***

Prima pars: *Prima substantiae distincta cognitio habetur per alienas species.* Nam ostendimus primam cognitionem, sive qua substantiam generatim ab accidente distinguimus (n. 319), sive qua substantiam secundum suam specificam rationem perfectius novimus (n. 320) discursivam esse. Ergo cognitio prima substantiae determinatur per alienas species, videlicet per species mutationum et proprietatum atque effectuum, quibus manuducimur ad distinctam substantiae notitiam in utrolibet sensu.

Secunda pars: *Postea dantur substantiae species late propriae.* Quia post primam praedictam substantiae cognitionem experimur posse nos, quoties lubet, de substantia facile cogitare, quin iterandus sit discursus, per quem primo in illius notitiam venimus. Non sunt autem species ejusmodi stricte propriae, quia nec stricte propria est cognitio, quam determinant, cum non liceat nobis in hac vita conceptum, qui non sit connotativus vel respectivus, assequi (n. **316**).

---

(1) Suarez, loc. cit., num. 9. Cfr. cardin. Tolet., loc., cit., *conclus. 1.ª*

(2) Vide volum. 5.^{um}: num. 243.

(3) Cfr. Compend. volum. 2.^{um}, num. 340, *Prob.* 2.° et 3.°

(4) Cfr. Compend. volum. 3.^{um} num. 188.

(5) 3.° dist. 35, quaest. 2, art. 2, solut, 1.ª Cfr. *Quodlib.* 8.^{um}, art. 4; 1 p., quaest. 82, art. 2.

(6) Volum. 5.°, num. 245.

Tertia pars: *Istae species effici videntur per operationem intellectus possibilis*. Nam sunt opus discursus, qui actus est non intellectus agentis, sed possibilis (1). Caeterum istae species videntur agnitae fuisse ab ipso Angelico Doctore (2).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

322. Objic. 1.° Substantia, odcente Aristotele ac suadente ratione, prior est, quam accidens, definitione ac cognitione. Unde etiam accidentia definiri nequeunt nisi per ordinem ad substantiam definitione, quam dicunt, *per additamentum* (3); sunt enim entis entia.

Respond. ad. 1.um *dist.* assert. Substantia est prior ratione seu definitione ac cognitione secundum se, vel ex propriis meritis, *conc.;* relate ad nostram cognoscitivam facultatem in hac vita, *neg.* Substantia enim prior est duplici prioritate, naturae, quia accidens pendet in *esse* a subjecto suo, et dignitate. Ideo etiam accidens perfecte *cognoscibile* in se ipso non est independenter a substantia; haec vero in se quidem perfecte *cognoscibilis* est independenter ab accidente, cum non dependeat ab eo in *esse*, quamvis nos in statu praesenti non possimus substantiam conceptu strictissime proprio nosse ac sine connotatione ad accidentia. Nec vero Aristoteles locutus esse videtur de prioritate substantiae quoad ordinem cognitionis nostrae subjectivum in hac vita, sed de naturae ac dignitatis prioritate, qua substantia in se cognoscibilis est, multoque perfectius cognosceretur, si quis eam absolute, prout est in se, posset attingere (4).

Respond. ad. 2.um *negando* conseq. Quod enim accidens definiatur sic per additamentum, non probat substantiam absolute et omnino ante accidentia cognosci, sed tantum accidens et formaliter ut tale et perfecte non posse cognosci sine ordine ad substantiam.

Objic. 2.° S. Thomas: *Humanus intellectus*, inquit, *non statim in prima apprehensione capit perfectam rei cognitionem, sed* **primo** *apprehendit aliquid de ipsa, puta* **quidditatem ipsius rei,** *quae est primum et proprium objectum intellectus; et* **deinde** *intelligit* **proprietates et accidentia** *et habitudines circumstantes rei essentiam* (5).—**Respond.**, non esse mentem Aquinatis, quod intellectus *primo nudam rei substantiam*, multoque minus *essentiam ejus specificam*, apprehendat, id enim et aperte repugnat experientiae, et contradicit ipsius doctrinae S. Thomae (6); sed quod intellectus apprehendat primo id, quod per sensus objicitur, sub ratione conmunissima et confusa entis alicujus, postea vero distinctiorem comparet notitiam proprietatum, per quam aditum sibi parat ad rimandam ipsam essentiam. Quidditatis enim nomine a S. Doctore non raro videtur significari quaevis ratio universaliter concepta et a notis individuantibus abstracta.

---

(1) Vide Joann. a S. Thoma *(De anim.*, quaest. 10, art. 4 init. et *Dico 3.°*) Complutenses *(De anim.*, disp. 18, quaest. 6, num. 79; et disp. 21, quaest. 6, num. 103), etc.

(2) 1 p., quaest. 12, art. 9, ad 2.um; *Quodlib.* 8, art. 5 corp. et ad 2.um

(3) Cf. Compend. volum 1.um, num. 112.

(4) Vide Suarez, *Metaphys.* disp. 38, sect. 2, num, 5 et 7.

(5) 1 p., quaest. 18, art. 5.

(6) *Quodlib.* 8, art. 4; 1.° dist. 17, quaest. 1, art. 4; 3.° dist. 35, quaest. 2, art. 2, solut. 1.a; *Contr. Gent.*, lib. 3, cap. 91, *Similiter autem...;* cap. 56, *Amplius; Posterior. analyticor.*, lib. 1.°, lec. 4.a fin.; opusc. *de ente et essent.*, cap. 6 med.

Objic. 3.° Demonstratio fit ex prioribus cognitione. At praecipua demonstratio est illa, qua ex rei essentia inferuntur proprietates (1). Ergo...

Respond., *dist.* Minor. Et haec demonstratio est semper possibilis, et potissimum in investiganda corporum cognitione, *neg.*: possibilis est interdum, v. g. in mathematicis, et etiam in theologicis post probatam a posteriori existentiam Dei, *transeat.*

Objic. 4.° Magis distat accidens a substantia, quam substantia una ab alia. Sed cognitio unius substantiae, v. g. lapidis, non juvat ad alterius, v. g., equi, cognitionem. Ergo...—**Respond.**, *dist.* Major. Magis distat entitative, *trans.*; intentionaliter seu quoad cognoscibilitatem, *neg.* Quia proprietates rei proportionem habent cum natura, ad quam proinde cognoscendam manu ducunt.

Objic. 5.° Illud conceptu proprio cognoscimus, quod per definitionem essentialem novimus. Atqui multa novimus per definitionem essentialem, ut *hominem*, *animal*...

Respond., *dist.* Major. Quod novimus per definitionem essentialem exhibentem objectum absolute, prout est in se, *conc.*; connotative atque per ordinem ad proprietates, *subdist.*: illud novimus conceptu strictissime proprio, *neg.*; minus stricte proprio, *conc.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 6.° Si non possumus substantias nosse nisi ex effectibus et proprietatibus, videtur homo non habere veri nominis scientiam in hac vita, quia scientia debet e converso proprietates et attributa demonstrare per causas proprias et immediatas, quales sunt essentiae. Atqui hoc favet positivismo. **Respond.**, *dist.* Major. Homo non habet scientiam veri nominis, id est, perfectissimam secundum aristotelicum conceptum, *trans*; id est, minus perfectam, sed omnino veram (2), *neg.* Et *nego* pariter Minor.

Objic. 7.° *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.* Atqui species discursivae substantiarum, sive materialium sive immaterialium, nunquam fuerunt in sensu, quippe qui sola sensibilia accidentia percipit. Ergo...

Respond., *dist.* Major. Saltem aliquo modo et quoad primam inchoationem ac determinationem ad cognoscendum, *conc.*; quoad progressum et evolutionem ac consummationem, *neg.* *Disting.* etiam Minor. Species ejusmodi nunquam fuerunt in sensu sub illa formali ratione, *conc.*; quasi in radice, *neg.*

Plura in alio opere (3).

---

(1) Cfr. Compend. volum. 1.^{um}, num. 479 et 230.

(2) Cfr. Compend. volum. 1.^{um}, num. 487 et 478.

(3) Volum. 5.°, num. 248, et Cfr. Fröbes, op. cit. t. 2, pag. 207-216 potissimum quod ad methodos attinet quibus ideae abstractae verbis manifestantur in pueris et quo ordine temporis.

ARTICULUS V

Quodnam sit objectum proprium et proportionatum intellectus nostri in hac vita.

323. **Variae sententiae.** Quoniam unicuique potentiae suum est proportionatum objectum, inquirendum modo nobis est objectum intellectus proportionatum in hac vita; nam quid sit dicendum de statu separationis, suo loco dicetur. S. Thomas docet objectum proportionatum intellectus esse *quidditatem rei materialis;* Scotus vero multique alii *quidditatem rei per se sensibilis,* inter quae profecto est nonnihil discriminis, nam non omne materiale est per se sensibile, sicut v. g. ipsa substantia materialis et accidentia insensata.

Radix vero controversiae potest esse tum in varietate opinionum circa praecedentium articulorum quaestiones, tum in usu vocis *objectum proportionatum.* Si enim ad rationem hujusmodi objecti requiratur, ut sit *per se* seu *per propriam speciem* motivum intellectus, quidditas quidem *rei per se sensibilis* erit objectum proportionatum; an vero etiam sit talis *substantia ipsa materialis,* quae solum est per accidens sensibilis, varie judicandum est pro varietate opinionum circa modum, quo intellectus noster in hac vita substantias corporeas cognoscit. Ad praecidendas inutiles lites,

324. **Objecti proportionati nomine** intelligo id, quod naturalibus viribus attingi perfecte potest pro naturae cujusque facultate. Talis est v. g. color ad justam distantiam situs respectu visus, sonus nec nimis intensus nec nimis tenuis pro auditu. Caeterum non eadem perfectio exigenda est in perceptione objecti ab omnibus potentiis, nam sensitivae nequeunt pertingere usque ad essentiam, nec ipse intellectus assequitur essentias conceptu quidditativo (n. **87**, **316** seqq.) in hac vita. Perfectio vero propria cognitionis respectu objecti proportionati, postulat ut intellectus essentias repraesentet non utcumque vel conceptu nimis confuso et generico, verum exprimendo praecipuas earum notas specificas et differentiales saltem conceptu connotativo (n. **315**, **316**), ut merito dici possit illa cognitio quidditatem rei exhibere. Praeterea cum intellectus noster sit discursivus, amplitudo proportionati objecti ejus complecti debet ea omnia quae sive immediate sive discursu cognoscere usque ad notas specificas et differentiales valeat modo declarato (1).

---

(1) Cfr. aliud opus, volum. 5.^{um}, num. 249.

225. Propositio.—**Objectum proprium et proportionatum intellectus nostri in hac vita non est ens immateriale, sed quidditas rei materialis vel sensibilis** (1).

Prima pars: *Objectum proprium et proportionatum intellectus nostri non est ens immateriale*, probatur 1.° Nam non est objectum proprium et proportionatum illud, quod solum conceptu confusiori cognoscitur et per ordinem ad alia objecta prius nota. Atqui hoc pacto cognoscuntur a nobis Deus et angeli (num. **306**, *Secunda pars* et **307**). Anima vero rationalem profecto assequimur conceptu distinctiore longeque perfectiori, sed tamen fere per ordinem ac per analogiam ad formas sensibiles et materiales.

Prob. 2.° Quo pacto nos percipiamus spiritualia, probabilissime conjicitur ex modo, quo eadem verbis significamus, sunt enim verba signa conceptuum (2). Atqui vocabula, quibus generatim exprimimus spiritualia, derivantur ex rebus corporeis et materialibus. Ergo signum est nos spiritualia non intelligere nisi per ordinem ad materialia, ideoque omnino ex alienis speciebus.

Minor constat ex vocibus im*materiale, spiritus* (*halitus*), *intelligere* (*inter-legere*, et idem est, si derives ab *intus-legere*), *sapientia* (a *sapore*), *virtus* (a vi), *apprehendo*, *apprehensio*, *comprehendo*, *aestimo* (ab *aes*), *considero* (a *sidus*), *reflectere*, *concipio*, *conceptus*, *cognosco* (γιγνωσκειν a γιγνεσθαι *fio*) *anima* (ab ανέμος ventus), *Deus* (a radice *div* vel *dju*, quae lucem significat (3).

Secunda pars: *Objectum proprium*, quasi exclusivum, *est quidditas rei materialis vel sensibilis*, quia haec in sensum cadere nequit, ab intellectu autem percipitur, qui praeterea acri studio incitatur ad investigandas rerum essentias, quas cum assequitur, suavi perfunditur voluptate.

Tertia pars: *Objectum intellectus proportionatum est quidditas rei sensibilis vel materialis*, probatur 1.° Proprium est intellectus intelligere speculando phantasmata (num. **241, 242, 246**). Ergo illud erit proportionatum objectum, quod speculando phantasmata cognoscere secundum essentiam et differentiam specificam valet intellectus. Atqui hoc pacto, sin minus per immediatam intuitionem, certe discursu cognoscit non solum quidditates qualitatum per se sensibilium, sed etiam ipsarum materialium substantiarum saltem conceptu minus stricte proprio (n. **315**, **316**), quae vere est cognitio essentiae, licet non quidditativa. Ergo...

---

(1) Utrolibet modo loquitur S. Thomas in diversis locis, ut v. g. 1 p., quaest. 84, art. 8, collat. cum 7.°; opusc. *de princip. individuat.*; *de verit.*, quaest. 10, art. 9; 1 p., quaest. 85, art. 1; quaest. 87, art. 2, ad 2.um

(2) Cfr. Rev. Dom. Mercier, *Psychologie*, 5.ème édition, num. 160, 3.e *arg.t tiré du langage.*

(3) Cfr. cl. P. Hontheim, *Theodicea*, pag. 9, nota (5); Rev. Dom. Mercier, *Psychologie*, num. 160, 3.e *arg.t tiré du langage.*

Prob. 2.° Illud est objectum proportionatum quod primo et per se cognoscitur, reliqua vero per ordinem ad illud (n. **323, 324, 316**). Atqui talis est quidditas entis materialis vel sensibilis. Nam in primis accidentium per se sensibilium quidditatem ita cognoscit, ut nullius alterius rei essentiam primo ac magis per se cognosca; quidditatem etiam *substantiae* materialis discursu et per ordinem ad ejus proprietates ita primo et ex suis propriis, id est, ex proprietatibus a sua essentia dimanantibus cognoscit, ut nullam aliam alterius ordinis *substantiam* prius ac ex magis propiis cognoscat; immo alias substantias, nempe spirituales, nequit apprehendere nisi ex illarum speciebus vel per ordinem ad aliquid proprium earum. Et sic licet in ipsis corporibus quaedam immediate apprehendat intellectus, quaedam mediate ac per discursum, ideoque posterius; simpliciter tamen verum est, ita primo ac per se quidditates corporeas cognoscere, ut nullius alterius rei quidditates eo pacto cognoscat.

Prob. 3.° Modus cognoscendi sequitur modum essendi (1). Atqui modus essendi animae nostrae est, ut sit forma in materia existens. Ergo etiam modus intelligendi talis esse debet, ut habeat pro objecto proprio et proportionato formas seu quidditates rerum corporearum (2).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

326. **Objic. 1.°** Illud nequit esse objectum intellectus, quod nequit ab eo cognosci. Atqui essentias rerum non potest intellectus cognoscere, ut satis patet vel ex ipsis disputationibus circa corporum essentiam, naturam colorum, sonorum, etc.

Respond., *dist.* Major. Quod nequit ab eo quidditative ac conceptu absoluto cognosci, *neg.;* quod nequit abstractive ac saltem connotative et per ordinem ad proprium aliquid cognoscere, *conc.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Quamvis sint disputationes circa essentialem corporum constitutionem ac partes physicas, circa notas autem metaphysicas non sunt ejusmodi dissensiones, sicut nec circa proprietates chimicorum physicorumque investigationibus satis compertas. Colores etiam et sonos conceptu proprio exprimimus, quidquid reclament eruditi viri, nullam eis objectivam realitatem largientes.

Objic. 2.° Si quidditas materialis esset objectum proportionatum intellectus, quo materialior esset quidditas, eo foret magis proportionata. Atqui hoc abhorret a communi sensu.—**Respond.**, *dist.* Major. Si sit sensibilis, *trans.;* secus *neg.* Et posset forte melius *negari* Major, quia ipsa materialitas non est praecise ratio, cur quidditas materialis sit objectum proportionatum, prout esse deberet, ut ratio vim concludendi obtineret; sed materialitas de se potius minorem importat intelligibilitatem (1).

---

(1) Cfr. Compend. volum. 2.um, num. 452.
(2) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 80, art. 7.

Objic. 3.° Saltem animam rationalem, quamvis spiritualem, videmur posse cognoscere ut objectum proportionatum, videlicet ex operationibus ejus spiritualibus, quas immediate percipimus per conscientiam. - **Respond.**, *neg.* assert. Quia cognitio animae *ut spiritualis* pendet in hac vita ex cognitione actuum spiritualium, qui quamvis quoad *an est* clarissime innotescant, non tamen quoad *quid est*, seu quoad naturam.

ARTICULUS VI

Quo pacto singularia in hac vita cognoscat noster intellectus.

327. **Praenotanda.** Quod singularia, non minus quam universalia, cognoscamus aliquo modo, in confesso est apud omnes. Discordia in duobus praecipue sita est: *primo*, utrum intellectus noster *directe* singularia cognoscat, an vero solum per reflexionem conversionemve ad phantasmata: *secundo*, utrum singulare sit primum a nobis cognitum, an universale. Controvertitur praeterea, utrum intellectus noster proprie ac distincte in hac vita cognoscat singularia, an solum confuse atque arguitive. Illud autem probe nota, si forte singularia materialia non directe percipiuntur, causam non esse praecise singularitatem, sed materiam: unde nihil repugnat singularia immaterialia directe intelligi, quemadmodum diserte docet Aquinas (2).

I.—An intellectus noster singularia conceptu vere proprio et distincto attingat.

328. **Sententiae.** Negat cardin. Cajetanus post Philoponum et veteres quosdam Aristotelis commentatores, contendens intellectum nostrum singularia confuse solum et arguitive cognoscere, quia nequit illa sibi repraesentare; sed cum cognoscat universalia, intelligens ea per se subsistere non posse, arguit, et concludit coram adesse quoddam singulare (3). Capreolus quoque scripsit (4) singulare probabilius non attingi per actum proprium intellectus, sed solum a cogitativa (n. **152**). Communis tamen sententia etiam eorum, qui negant singularia materialia directe cognosci, affirmat ea eonceptu proprio ac distincto attingi. Quam ut probemus,

Nota in antecessum ad habendam cognitionem propriam et distinctam non requiri, ut sit praecisa *quidditativa* (n. 87), sed sufficere ut exhibeat singulare cum aliquibus suis lineamentis propriis ac distinctis a quavis alia natura, sive universali sive singulari, et non representet illud solum per ordinem ad aliquid extraneum vel ad alienas notas.

---

(1) Cfr. volum. 5.um num. 251.

(2) 1 p., quaest. 86, art., 1, ad 3.um; et quaest. 56, art. 1, ad 2.um; *de verit.*, quaest. 2, art. 5; quest. 8, art. 7, ad 3.um; quaest. *de spirit. creatur.*, art. 9, ad 15.um; quaest. *de anim.*, art. 2, ad 5.um, et art. 3, ad 17.um, et art. 17, ad 5.um; *Compend. Theolog.*, cap. 85, prope fin., etc.

(3) Cajetanus, In 1.am part., quaest. 86, art. 1.

(4) 1.° dist. 35, quaest. 2, *ad argum. contr. 4.am conclus.*

329. Propositio 1.ª **Certum est intellectum nostrum in hac vita cognoscere singulare conceptu proprio vere ac distincto.**

Prob. 1.° Intellectus profecto discernit inter hominem et Petrum. Ergo utrumque distincte cognoscit. Id enim requiritur ad judicandum et discernendum inter illa.

Prob. 2.° Intellectus format propositionem ex singulari et universali termino. Ergo concipit utrumque distincto conceptu. Nam sensus solum singulare posset cognoscere, et ad judicandum, uterque terminus debet ab eadem potentia cognosci.

Prob. 3.° Saepe intellectus corrigit errores sensuum; quod sane facere non posset, nisi cognosceret objectum a sensu perceptum, videlicet singulare (1).

II.—Utrum intellectus noster in hac vita singulare materiale directe cognoscere queat, an vero solum indirecte.

330. **Sententiae.** Directam cognitionem asserunt Scotistae ac plerique e nostris cum Eximio Doctore (2) ac Valentia (3); negant vero communiter Thomistae cum S. Thoma (4), quibus adhaerent e nostra Societate Fonseca, Cosmas Alamanni et Conimbricenses (5) et communius recentiores (6), qui opinantur singulare a nobis non cognosci nisi per quamdam reflexionem et conversionem ad phantasmata.

331. **Status quaestionis.** Reflexio porro ista bifariam intelligi potest: altera stricta et propria, per quam potentia convertitur ad contemplandum *suum* actum praevium; altera minus stricta et propria per quam potentia convertitur ad contemplandum non *suum*, sed alterius potentiae praevium actum. Et quamquam priorem modum reflexionis tribuisse videtur interdum S. Thomas (7) intellectui in singularium cognitione; non tamen requiritur talis reflexio intellectus signate in *suum* actum, sed sufficit reflexio intellectus super phantasma, quod est actus potentiae sensitivae nec quidem super phantasma subjective aut entitative spectatum, sed super phantasma objective inspectum, nempe super objectum in actu phantasiae relucens. Et haec reflexio est quae vocatur conversio ad phantasma, quae necessaria reputatur ad intellectionem singularis materialis: reliquae reflexiones modo indicatae nec videntur necessariae, nec referuntur nobis per testimonium conscientiae (8).

332. Propositio 2.ª **Intellectus noster in hac vita non videtur cognoscere directe singulare materiale, sed tantum indirecte seu per reflexionem conversionemve ad phantasma, nimirum prout relucens in hoc phantasmate.**

Prob 1.° experientia. Experimur enim nos materialia individua,

---

(1) Quaedam alia in opere fusiori, volum. 5.°, num, 254.

(2) *De anim.*, lib. 4, cap. 3, num. 7. Scotus, t. 3, pag. 567-573, 627-638, t. 4, pag. 511-543.

(3) In 1.am par., disp. 6, quaest. 7, punct. 1, assert. 2.ª

(4) 1 p., quaest. 85, art. 1; quaest. 86, art. 1, et saepe alias,

(5) *De anim.*, lib. 3, cap. 4 et 5, quaest. 4, art. 3.

(6) Liberatore, Tongiorgi, Palmieri, Schiffini, Mendive, Lahousse, Van der Aa, De María, etc,

(7) *De verit.*, quaest. 10, art. 5; quaest. *de anim.*, art. 2, ad 1.um *eorum quae in contrarium objiciuntur*. Cfr. *de verit.*, quaest. 2, art. 6; 4.° dist. 50, quaest. 1, art. 3.

(8) Cfr. volum. 5.um, num, 255.

prout haec determinata, non cognoscere nisi respiciendo lineamenta, quae relucent in cognitione sensili, atque adeo in phantasmate. Ergo...

Prob. anteced. Nemo in hac vita cognoscit intimam essentiam ullius individuationis, nec aliud medium nobis suppetit individua cognoscendi praeter notas individuantes, figuram, colorem, dimensiones, etc. (1) Nec sufficit ad individuum cognoscendum has notas quomodolibet etiam concrete percipere, nam non repugnat absolute plures esse homines, v. g. ejusdem aetatis, figurae, dimensionum, etc. (2); ideoque oportet, ut cognitio determinetur ad *hoc* individuum *nunc hic* existens (nam nequeunt saltem naturaliter (3) *simul in eodem loco* plura existere), seu ad individuum in hoc phantasmate relucens.

Hinc fit, ut quotiescumque audimus loqui de subjecto concreto, nunquam possimus illius nobis imaginem efformare nisi notis de se communibus, donec phantasma illius immediate exercitio sensuum nostrorum comparatum habeamus.

Prob. 2.° Intellectus humanus medium tenet inter angelicum et sensum. Atqui intellectus angelicus utrumque apprehendit, universale et singulare directe; sensus vero solum percipit singulare. Ergo intellectus humanus solum universale debet attingere directe, singulare autem indirecte (4).

333. **Objic. 1.°** Dari potest in intellectu nostro species directe repraesentans singulare. Ergo... **Prob. anteced.** α) Species angelorum non sunt minus spirituales nostris. Atqui tamen directe repraesentant singularia cum natura universali. β) Si repugnaret species directe repraesentatrix singularium, vel esset ratione singularitatis vel ratione materialitatis. *Non primum*, quia tum nec singularia spiritualia directe cognoscerentur. *Non secundum*, quia secus nec universalia materialia possent ab intellectu nostro cognosci. γ) In anima separata remanent species individua olim cognita repraesentantes (5). At species animae separatae nequeunt inservire indirectae singularium repraesentationi, cum non adsint in ea phantasmata, ad quae fiat conversio. δ) Nisi habeat intellectus species directe repraesentatrices singularium, non apparet quomodo haec proprio ac distincto conceptu cognosci valeant, nam species solam naturam universalem repraesentantes, non possunt singularia manifestare.

Respond., *neg.* antec. **Ad probation.** α) *neg.* paritatem, quia species angelorum, quae a Deo illis infunduntur, perfectiores sunt nostris. **Ad probat.** β) respondeo speciem directam singularium in nostro intellectu non repugnare propter singularitatem et materialitatem seorsim vel praecisive, sed collective sumptas, seu propter singularitatem materialem. Objectum sensibile vel materiale universaliter repraesentatum, licet materiam exprimat, secundum modum tamen repraesentationis est immateriale ita, ut a nulla sensitiva potentia possit attingi. At objectum materiale individuum, prout tale, est undequaque materiale atque a sensu cognoscibile, ideoque nondum evectum est ad ordinem intelligibilitatis, proprium intellectus, donec depuretur a sua materialitate per praecisionem notarum individuantium (6). Quod autem ab angelo cognitione spirituali attingatur, est illi per accidens et ultra meritum, et solum ex subjectiva perfectione intellectus angelici. **Ad probation.** γ) dico in ea tangi quaestionem spectantem ad tractatum de anima separata. Quae potest profecto recordari olim cognita individua, quin obstet ratio objecta, quia post semel habitam notitiam singularium per conversionem ad phantasmata, quae est actus intellectualis et spiritualis, nihil vetat, quominus gignantur et remaneant in intellectu species intelligibiles repraesentantes naturam et simul reflexionem ad phantasmata, per quas poterunt ab anima separata repraesentari singularia indirecte, sicut primo cognita fuerunt, sed sine actuali conversione ad phantasmata, quae nec possibilis jam foret, nec necessaria, quamdiu remanent praedictae species. Quod vero spectat ad novorum singularium cognitionem, ea haberetur ab anima separata per species divinitus inditas (1). **Ad probation**. δ) respondeo, *negando* assert. Nam aliud est *directe* et aliud *distincte* cognoscere: primum opponitur *reflexae* cognitioni, alterum cognitioni *confusae* ac per alienas notas habitae. Cognitio reflexa potest objectum suum distincte referre, cum potissimum reflexio haec contineat advertentiam ad notas individuantes in phantasmate relucentes; cognitio enim ista non fit per speciem solius naturae communis, sed per illam simul cum conversione ad phantasma.

---

(1) Cfr. Comped., volum. 1.^{um}, num. 425.
(2) Cfr. Compend., volum. 2^{um}, num. 478.
(3) Cfr. Compend., volum. 3.^{um}, num. 206.
(4) Plura in fusiore opere, volum 5 °, num. 256.
(5) Cfr. parabola *Epulonis*, *Luc.*, cap. 16, vers. 23 seqq.
(6) Cfr. volum. 5.^{um}, num. 256, *Prob. 2.°*

Objic. 2.° Si species ex phantasmatibus abstracta non repraesentat singulare, sed naturam communem, undenam, quaeso, determinatur intellectus ad reflexionem instituendam, et sic indirecte cognoscendum singulare? Nequit enim assignari ejusmodi ratio sive intra intellectum existens, sive extrinsecus accedens.—**Respondeo** per speciem repraesentantem universale, non quomodocumque, sed ut abstractam a phantasmatibus sufficienter determinari posse intellectum, ut reflectat, et revertatur super ipsa singularia in phantasmate directe repraesentata, quia species ejusmodi in obliquo et de connotato importat habitudinem ad illa singularia phantasmatis tamquam ad terminum *a quo* relictum; et intellectus intrinsece quidem determinatur ad conversionem per speciem directe quidem universale repraesentantem, sed connotative atque in obliquo singulare attingentem, extrinsece autem atque objective per ipsum phantasma tanquam per objectum determinatum, unde species abstracta est. Non ergo videtur necessaria nova vel distincta species ad hujusmodi reflexionem conversionemve faciendam; nec in ea necesse est praecise phantasma entitative attingere, sed sufficit ut ad objectum in illo relucens attendat (2).

Objic. 3.° Quod intellectus noster non possit singularia directe cognoscere, est propter perfectionem vel propter imperfectionem ejus. *Non propter perfectionem*, quia intellectus angelicus perfectior est, et nihilominus directe cognoscit singularia. *Non propter imperfectionem*, quia sensus, licet imperfectior, attingit illa.

Respond., *neg*. Major., ratio enim est perfectio mixta imperfectioni. Nam quia perfectior est intellectus sensu, debet apprehendere universale; quia vero imperfectior est angelico, non habet, ut angelus, species infusas directe repraesentantes universale cum notis individuantibus (3).

---

(1) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 89, art. 4. Cfr. *de verit.*, quaestionem 9, art. 2. Et vide, si lubet, opus fusius volum. 6, num. 546, *Probatur tertia pars*.

(2) Vide volum. 5.^{um}, num. 257, *Objic. 2.°*

(3) Cf. aliud opus, volum. 5.^{um}, num. 257.

III.—Quid primum intellectus noster cognoscat, universalene, an singulare.

334. **Sententiae.** Qui directam asserunt singularium cognitionem, haec prius, quam universale cognosci consequenter affirmant, quia putant intellectum agentem ex phantasmate illico abstrahere speciem individui repraesentatricem, immaterialem quidem entitative, objective autem materialem. Universale vero arbitrantur postea percipi praecisione notarum individuantium ab intellectu possibili facta, qui videns multa individua convenientia in natura, et notis individuantibus discrepantia, neglectis his, solum repraesentat id quod commune omnibus est (1). E converso qui negant singularia directe cognosci, primum cognosci universale contendunt. Verum cum universalia sint aliis alia communiora, potest inter ea institui comparatio, et sic celebris est opinio Scoti et Scotistarum docentium speciem specialissimam vel atomam (2) esse primum cognitum ab intellectu nostro. Scotistis adhaerent ex nostratibus Conimbricenses (3) et multi, qui directam singularium cognitionem tuentur. At Thomistae cum Angelico Doctore (4) et Aristotele docent universaliora esse priora minus universalibus in cognitione, ac consequenter primo cognitum absolute esse ens, quamvis postea in modo rem declarandi sit quaedam inter illos varietas, forte magis in vocibus, ut videre licet in opere fusiori (5).

335. Propositio 3.ª **Primum cognitum ab intellectu nostro in hac vita non potest esse aliquod singulare prout tale, ita nempe ut ipsae conditiones individuantes sint id, quo primo terminant cognitionem intellectualem.**

Probatur. Non potest primo cognosci id quod non directe, sed per quamdam reflexionem cognoscitur. Atqui tale est singulare. Ergo... (6).

336. Propositio 4.ª **Prima ratio cognoscibilis ab intellectu nostro, naturaliter ab imperfecto ad perfectius procedente, non est ratio speciei specialissimae, sed quidditas materialis vel sensibilis sub aliquo praedicato maxime confuso, quale est ens.**

Explicatur. Non intendimus negare rem, quae primo occurrit intellectui consideranda *ut quod*, esse aliquam speciem specialissimam; sed tantum contendimus, in hoc concreto, in hac specie specialissima, quae primum occurrit *ut quod*, rationem vel notam, quae primo advertitur, esse illam confusionem entis et quasi cognitionem *quoad an est*, per quam nec ipsa ratio supremi gradus substantiae adhuc discernatur.

Probatur 1.° Intellectus noster naturaliter procedit ex imperfectiori ad perfectius, de potentia ad actum. Ergo proportionatum ejus objectum in tali processu debet esse aliquid imperfectius et confusius, siquidem distinctum in cognitione confuso perfectius est. Sed conceptus entis, quatenus in quolibet occurrente objecto invenitur, est ratio confusissima, in qua conveniunt et continentur omnia reliqua praedicata (1). Ergo illa est prima ratio cognoscibilis ab intellectu nostro (2).

---

(1) Cfr. Compend., volum. 1.um, num. 411, 415.
(2) Cfr. Compend., volum. 1.um, num. 76.
(3) *Physic.* lib. 1, cap. 1, quaest. 3, art. 3.
(4) 1 p., quaest. 85, art. 3.
(5) Volum. 5, num. 258.
(6) Quaedam instantiae contra hanc probationem solutae videri queunt in alio opere, volum. 5.°, num. 259.

Prob. 2.° Experientia et signis quibusdam a posteriori. Etenim α) pueri, qui maxime confusas ab initio et indeterminatas habent cognitiones, quasi ne in ipsis quidem parentibus discernentes id, quo illi a caeteris hominibus distinguuntur, *primum omnes viros appellant patres*, inquit Aristoteles, *et omnes mulieres matres, postea vero discernunt horum utrumque* (3). β) Adulti vero, prout quisque novit ex propria experientia, rationes specificas speciei atomae non nisi longo studio et inquisitione assequuntur, initio autem vagam habent rerum notitiam: quare rem definitam prius confuse apprehendunt, quam norint ejus definitionem. γ) Ipsi sensus hujus rei videntur argumentum suppeditare; nam ipsi oculi eminus rem prospicientes confusius repraesentant, immo res ipsas in justa distantia positas prius secundum totalitatem indeterminate contemplantur, quam partes distincte apprehendant. Et simile quiddam accidit in auditu. Unde videtur argumentum analogiae duci posse pro intellectu.

337 **Quod si quaeras**, utrum post primam hujusmodi confusam cognitionem praedicata reliqua rei attingantur praecise secundum ordinem majoris universalitatis; negandum videtur. Sed diversae rei perfectiones et praedicata cognoscuntur, prout se offerat occasio effectus et proprietates observandi, ex quarum notitia et investigatione assurgimus ad essentiarum inquisitionem. Unde saepe *Chimia*, *Physiologia* et *Historia naturalis* invenit lineamenta specifica quorumdam corporum, prius quam genus vel ordinem vel classem, in qua constituuntur.

338 **Objic.** 1.° Potentia naturalis non impedita, si objectum rite applicetur, illico producit actum perfectissimum, quem potest. Atqui intellectus est potentia naturalis, quam supponimus nullo retardatam impedimento, objectum vero illi rite proponitur per phantasma, ut statim percipiat rationem specificam. Ergo...

Respond., *dist.* Major. Potentia naturalis, etc., producit actum perfectissimum, quem potest pro illo statu et adjunctis, *conc.*; actum perfectissimum, absolute, *neg.* Tum *neg.* Minor., quia cum intellectus noster ab imperfectiori ad perfectius procedat, initio non potest elicere nisi confusam rei cognitionem.

Objic. 2.° Cognitio intuitiva praecedit abstractivam, non solum quia sensus, cujus actus est intuitivus, praecedit intellectum, sed quia etiam ipse intellectus prius debet moveri ab objecto praesenti, quam ab absenti, utpote quod non cognoscitur nisi instar praesentis. Atqui actus intuitivus non est confusior, sed clarior abstractivo. Ergo prima cognitio non potest esse confusissima.—**Respond.**, *dist.* Minor.: respectu ejusdem objecti et in eodem ordine, *conc.*; respectu diversi objecti et in diverso ordine, *neg.* Nam in ipsa intuitione dantur gradus, ut patet in visione; primo enim ad magnam distantiam apparet aliquid corporeum existens, postea coloratum determinati coloris, deinde vivens, animal, homo, Petrus. Ita ergo prima intellectualis cognitio, licet intuitiva, potest esse confusissima, utpote solum referens ens vel existens.

Objic. 3.° Totum actuale secundum cognitionem confusam est magis cognoscibile, quam partes ejus, siquidem cognitio secundum partes est distincta. Ergo illud quod est magis totum actuale, erit prius cognoscibile. Atqui species infima est magis totum actuale, quam ens in communi vel alia praedicata universaliora; nam haec in illa continentur ceu partes ejusdem actuales. Ergo magis cognoscibilis est.

---

(1) Cfr. Compend. volum. 2.^{mu}, num. 40.

(2) Cfr. volum, 5.^{um} fusioris operis, num. 260, *Probatur 1.°*.

(3) *Physicor.* lib. 1, cap. 1, text. 5.

Respond., *disting.* conseq. Illud quod est magis totum actuale, est prius cognoscibile cognitione confusa, nullas partes distinguente, sed tantum commune aliquid exhibente, *conc.*; cognitione confusa partes ipsas quodammodo distinguente, *neg.* Et *concessa* Minore, *neg.* ultimum conseq. Nempe species specialissima est quidem primum quod occurrit cognoscendum, sed non est, *prout talis*, primum quod advertitur a nostro intellectu. Ratio vero entis et praedicata universalissima sunt quidem partes speciei atomae, quando haec prout talis distincte apprehenditur, non autem sunt partes, quando absolute apprehenduntur, nullaque facta comparatione ad inferiora, ut explicat S. Thomas (1).—Quaedam alia in opere fusiori (2).

ARTICULUS VII

De cognitione quorumdam aliorum objectorum.

Restant quaedam alia objecta, de quibus dubium esse potest, quomodo ab intellectu nostro cognoscantur.

I.—An et quo pacto futura cognoscat intellectus noster.

339. Status questionis. Sermo est de futurorum cognitione secundum existentiam, nam certum est ea posse cognosci ceu possibilia tantum. Deinde futura alia sunt necessaria, quae necessario fluunt a suis causis, ut v. g quod sol cras oriturus sit; alia contingentia, quae nempe non necessario fluunt e suis causis: et horum tres gradus ex doctrina Aristotelis et S. Thomae (3) distingui valent, alia quae raro, alia quae frequenter contingunt ex talibus causis, alia quae medio modo se habent, seu quae indifferenter se habent ad utrumlibet. Futura libera continentur in contingentibus. Nam eventus contingentes saepe causas necessarias habent, sed quia requirunt concursum variarum causarum, ex quibus aliquae deficiunt, vel non adsunt, ideo contingenter accidunt (4). Alias autem quamvis adsint omnia praerequisita et causarum concursus, ex quibus effectus consequi posset, non tamen sequitur, quia aliqua causarum non est determinata ad agendum ex natura sua, sed potest agere vel non agere: ac tum dicitur liber effectus vel actio.

Denique duplex est modus cognoscendi futurum, in causis suis et in se ipso. *In causis*, quando inspiciendo dispositionem vel determinationem causarum cognoscitur, quid secuturum sit: *in se ipso*, quando res futura, antequam fiat, prospicitur ut jam fluens a causis et existens secundum propriam entitatem pro futuro tempore.

340. PROPOSITIO. **Futura necessaria certo cognosci valent ab intellectu nostro in suis causis; contingentia vero libera neque in causis neque in se ipsis certo cognosci possunt, quamvis interdum probabiliter conjiciuntur.**

Prima pars *de futuris necessariis* vix eget probatione. Quia futura necessaria jam sunt in causis suis, quae supponuntur omnibus praerequisitis instructae, ita determinata ad existendum, ut non possint non existere in virtute et ex actione illarum. Ergo nulla potest esse ratio prudens dubitandi vel formidandi de illorum existentia (1).

---

(1) 1 p., quaest. 85, art. 1, ad 3.^{um}. Cfr. ibid, ad 2.^{um}.

(2) Volum. 5.°, num. 261.

(3) *De verit.*, quaest. 8, art. 12. Cfr. 2.^{a} 2.^{ae}, quaest. 95, art. 1.

(4) Cfr. opus fusius, volum. 5.^{um}, num. 263.

Secunda pars *de cognitione futurorum liberorum in causis*, non minus evidens est ob oppositam rationem. Nam eventus liberi tales sunt, ut non sint determinati in suis causis, quae proinde, etiam ubi adsunt omnia praerequisita, possunt agere vel non agere. Ergo inspecto toto actu primo, quantumvis completo (2), causae liberae, potest effectus indifferenter sequi vel non sequi. Atqui nihil potest certo ac determinate cognosci secuturum vel non secuturum, quamdiu est adhuc indifferens, ut sequatur vel non sequatur. Ergo futura libera in causis suis certo cognosci non possunt. Quod usque adeo verum est, ut, ex communi Theologorum sententia, ne Deus quidem ipse futura libera *in causis suis* certo cognoscere valeat.

Tertia pars *de cognitione futurorum liberorum in se ipsis pro nostro intellectu*. Nihil potest naturaliter cognosci a nobis *in se ipso* et absque ullo medio objectivo, nisi per speciem ex phantasmatis abstractam, vel per inmediatum concursum ipsius rei (n. 254 seqq. et 262). Atqui res nondum in se existens nec per se ipsam concurrere ad cognitionem valet, nec speciem ullam in potentiam mittere potest. Ergo...—Haec ratio ineluctabilis est pro nostro intellectu, de quo solo hic agimus. Cur autem angeli, quantumvis speciebus infusis utantur, non possint futura libera in se ipsis cognoscere, Theologis explicandum relinquatur.

Futura vero libera *in se ipsis* certissime cognoscuntur a Deo, ut in Theodicea demonstrabitur, et possunt etiam hominibus revelari supernaturaliter.

Quarta pars *de cognitione conjecturali* facile probatur 1.° ex praxi omnium, qui passim solent de futuris liberis conjicere. 2.° Ratione, quia, sive ex assuetudine sive ex indole naturae aliove capite, causae liberae, quantumvis non absolute determinatae, solent tamen magis ad unum propendere. Ergo qui perspectam habet indolem et caetera adjuncta causae liberae, poterit majori minorive probabilitate judicare, ad quid illa se determinatura sit (3).

Idemque dicendum est proportione quadam de praeteritis, quod dictum est de futuris relate ad ea, quae quis nec viderit ipse, nec ex aliorum testimonio didicerit.

II.—De cognitione secretorum cordis.

341. Haec quoque considerari possunt vel in se ipsis, vel in suis effectibus et signis externis. Ex effectibus magis minusve probabiliter conjici possunt, et solent secreta et intentiones affectusque voluntatis, ut norunt omnes. Certo autem cognosci non posse constat tum ex communi omnium persuasione; tum ex eo quod actus ejusmodi interni nequeunt sui speciem extrinsecus mittere; tum quia ad dignitatem et perfectum dominium liberae voluntatis pertinet, ut quae quisque vult ac decernit, saltem sine sua permissione, nemo praeter Deum cognoscere valeat (4).

---

(1) Cfr. Compend. volum. 1.^{um}, num. 304; volum. 3.^{um}, numero 105, 106.

(2) Cfr. Compend. volum 2.^{um}, num. 445, *Quarto dividitur...*

(3) Vide S. Thom., *de verit.*, quaest. 8, art. 12; 1 p., quaest. 14, art 13; quaest. 57, art. 3; 1.° dist. 38, quaest. 1, art. 5; 2.° dist. 7: quaest. 2, art. 2, etc. Cfr. Suarez, *de angelis*, lib. 2, cap. 3; *Metaphys.* disp. 35, sect. 4, num. 3.

(4) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 57, art. 4; *de malo*, quaest. 16, art. 8; *de verit.*, quaest. 8, art. 13.

Idipsum extendi ob easdem rationes solet ad actus intellectus, qui ne ipsis quidem angelis patent, nisi sponte velit patere is, cujus sunt.

342. **Actus autem sensuum internorum et appetitus sensitivi** a nobis cognosci non possunt, at possunt ab angelis, quia sunt organici. Ex quo tamen ne perperam concludas posse angelos indirecte cognoscere judicia hominum et affectus voluntatis, nimirum ex praesentia phantasmatum subjecti et praedicati. Nam ex iisdem terminis subjecti et praedicati potest effici judicium affirmativum vel negativum, vel etiam potest nullum judicium effici, si nempe desit copula, quae est actus purissime spiritualis, nullum habens phantasma sibi respondens, ideoque prorsus incognoscibilis angelo naturaliter. Ergo angelus, etiamsi videat imagines phantasticas subjecti et praedicati, non potest judicium ipsum videre. Sicut etiam licet videat suggestiones ad peccandum propositas a diabolo vel per appetitum sensitivum, non potest videre consensum vel dissensum voluntatis.

III.—Utrum intellectus noster infinita cognoscere valeat.

343. Quaestio est de infinito secundum quantitatem, habente partes sine fine. Resolutio communis est posse intellectum cognoscere infinitum syncategorematicum seu indefinitum (1), non posse actuale vel categorematicum (2).

IV.—Utrum possit intellectus noster plura ut plura cognoscere.

344. Negant Thomistae, intellectum nostrum posse plura ut plura cognoscere, nisi cognoscantur per modum unius vel per unicam speciem, vel nisi ad unam rationem formalem reducantur, vel unitate loci, temporis, etc., teneantur, vel apprehendantur ut partes alicujus totius, aut tamquam extrema comparationis. Affirmant vero Scotistae pluresque nostri cum Suarez (3), posse ab intellectu nostro plura ut plura cognosci.

CAPUT III

DE ORIGINE ET EVOLUTIONE IDEARUM IN HUMANO INTELLECTU

Inquirendus jam venit processus, quo intellectus humanus rerum notitiam assequitur, investigando videlicet, quo pacto mens determinetur ad primas ideas habendas, ex quibus deinceps reliquarum supellectilem cognitionum sibi comparet. Qua in re prius rejiciendae erunt falsae quaedam sententiae, mox vera statuenda. Ne vero sit aequivocatio in voce, *idea* quamvis interdum adhibita esse videatur ad designandam speciem intelligibilem impressam (1), et frequentissime ad significandam cognitionem practicam (2); hic autem ex communissime recentiorum ratione loquendi, eaque non penitus aliena a veteribus scriptoribus (3), cognitionem intellectualem generatim exprimet.

---

(1) Cfr. Compend. volum. 2.^{um}, num. 199.

(2) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 86, art. 2. Cfr. in eum locum Franciscus Sylvius; et Cosmas Alamanni, *Summa philos.*, tertia secundae, quaest. 101, art. 2.

(3) *De anim.*, lib. 3, cap. 7; *de angelis*, lib. 2, cap. 37, ubi fuse.

ARTICULUS I

Systemata empirica.

345. Ea sunt generatim, quae ad originem idearum nostrarum explicandam nihil requirunt praeter sensibilia vel experimentalia elementa diversimode composita vel modificata. Hujusmodi systemata bifariam propugnari queunt: *primo*, negata penitus intellectionis spiritualitate, ac proinde veri nominis distinctione specifica a sensatione materialique operatione; *deinde* agnita, saltem verbo tenus, distinctione intellectionis ab omni operatione materiali et sensatione. Primam viam tenuerunt materialistae veteres ac recentiores (n. 237), quorum jam explosa placita non sunt iterum in disputationem adducenda; alteram sequi maluerunt sensistae, quorum breviter expendendae sunt opiniones.

346. **Sensismus Joannis Locke.** Hic statuit fontem omnium idearum nostrarum esse experientiam, sive externam ope sensationum, sive internam ope reflexionis. Nam ideae vel sunt adventitiae ac simplices, vel factitiae ac propria mentis virtute elaboratae: in prioribus recipiendis se habet intellectus mere passive, active in aliis conflandis. Nam adventitiae suppeditantur per sensus et reflexionem, siquidem sensus praebent ideas qualitatum corporearum, sive primarum (extensionis, figurae, soliditatis, motus) sive secundarum (coloris et caeterarum per se sensibilium) (4), quae potius subjectivae dicendae sunt, quam objectivae; reflexio vero exhibet ideas operationum nostrarum, et sensus simul cum reflexione ideas voluptatis, doloris, potentiae, existentiae, unitatis, successionis. Ex hisce adventitiis vel simplicibus ideis efformantur caeterae ope activitatis nostrae potissimum α) *per combinationem* plurium simplicium, β) *per comparationem* aut juxta-positionem earum ad mutuas internoscendas relationes, γ) *per abstractionem*, separando ideas conjunctas, et retinendo ideas qualitatum pluribus individuis communium, unde efflorescunt ideae universales. Ex qua doctrina conclusit Lockius quaedam

---

(1) Vide S. Thom., *de verit.*, 2, art. 4, ad 6.^{um}; 1 p., quaest. 15, art. 1; 1.° dist. 36, quaest. 2, art. 1.

(2) S. Thom., *de verit.*, quaest. 2, art. 8, ad 3.^{um}; quaest. 3, art. 1; 1 p., quaest. 15, art. 1; quaest. 44, art. 3; 1.° dist. 36 quaest. 2, art. 1.

(3) S. Thom., *de verit.*, quaest. 2, art. 8, ad 3.^{um}: 1.° dist. 36, quaest. 2, art. 1.

(4) Cfr. Compend. volum. 3.^{um}, num. 215, *Alia demum est.*

asserta jam alias a nobis refutata: 1.° nullas a nobis essentias rerum, prout in se sunt, cognosci posse (1); 2.° ideis universalibus nullum inesse objectivum valorem (2); 3.° differentias rerum specificas tantum esse penes nominales rerum essentias (3). En praeclaras merces a Lockio venditas (4).

347. **Condillaci** (Stephani Bonot de Condillac) **longe crudior est sensismus** (5), qui nullam reputavit vim *naturalem* necessariam animae praeter sensitivam cum nulla sit in nobis intentionalis vel cognoscitiva operatio praeter sensationem, sive formalem sive *transformatam*. Quare sola data virtute naturali sensitiva, ex ejus *usu et exercitatione acquiritur intellectus*. Sane posita sensili experientia vel perceptione cujuslibet objecti, ex solo sensu, quem causet, doloris aut voluptatis, facile anima excitatur ad *attentionem*, *comparationem*, *judicium*, *reflexionem*, *imaginationem*, *ratiocinium*, quae non sunt nisi quaedam sensationes transformatae. Ex horum vero actuum repetitione comparatur *habitus attendendi*, *comparandi*, *judicandi*, *reflectendi*, *imaginandi*, *ratiocinandi*, et horum *habituum complexus* venit nomine *intellectus*. Attentio est exclusiva unius objecti consideratio; comparatio est duplex attentio, ideoque sensatio; ex qua gignitur judicium seu perceptio convenientiae vel discrepantiae inter duas attentiones, qui pariter actus sensitivus est; judicium gignit ratiocinium, quod est eductio unius judicii ex alio, in quo continebatur, nec genus operationum sensitivarum transcendit; imaginatio est alius actus pure sensitivus, in unum colligens qualitates in multis rebus divisas; reflexio est advertentia propriarum sensationum et propriorum actuum, ipsa quoque ad ordinem sensationis spectans. His adjungi poterit actus memoriae, quae aliud non est nisi debilior vel remissior sensatio. Quare nihil mirum, si Condillacus omnes quoque voluntatis actus intra ordinen sensitivum conclusit; ac tamdem personam vel τo *Ego*, Lockium imitatus, in collectione omnium sensationum, sive praesentium sive praeteritarum, reposuit (6).

348. **Petrus Laromiguière** magistri sui sensismum paululum immutavit. Censuit praeter sensibilitatem, quae non vult esse potentiam activam, agnoscedam esse aliam virtutem actuosam quae circa sensationes operetur, et nomen habet intellectus. Hujus triplex est actus; attentio, comparatio et ratiocinium, quamvis duo postremi tandem ad primum reducuntur, quia comparatio non est nisi duplex attentio, nec ratiocinium nisi duplex comparatio.

349. Propositio. **Sensismus tum generatim tum speciatim inspectus absurdus est.**

Prima pars: *Sensismus generatim inspectus rejicitur.* Nam vel admittit re vera intellectum immaterialem specifice distinctum ab omni potentia ordinis sensitivi, vel non. Si non admittit, jam judicatus ac rejectus est in superioribus (n. **179**, **180**, **243**), ubi existentia superioris facultatis vindicata manet. Si autem admittit, saltem primas partes in origine atque evolutione idearum tribuit sensationi. Atqui licet cognitiones nostrae inchoentur a sensibus, praecipuae tamen partes debentur intellectui, ad quem solum spectat cognitio entium immaterialium, universalium essentiarum, substantiae corporeae, etc. Ergo...

---

(1) Cfr. Compend., volum. 2.um, num. 26, 269, 270.

(2) Cfr Compend., volum. 1.um num. 392, 393.

(3) Cfr. Compend., volum. 2um, num. 26, *Dices 3.°*

(4) In suo opere, *Essay on the human understanding*. Cfr. opus nostrum fusius, volum. 5.°, num. 303.

(5) Vide opus ejus *Essai sur l'origine des connaisances humaines*. Amsterdam, 1755.

(6) Cfr. Compend. volum: 2.um, num. 312. Vide Balmes, *Historia de la Filosofia*, paragr. 54 ubi exponitur exemplum statuae, quo Condillacus systema suum declaratum voluit.

350. **Secunda pars:** *α*) *Rejicitur systema Lockianum* 1.° Lockius ne verbum quidem habet de animae cognitione, quam tamen certissime novimus. 2.° Praeterea in ejus sententia impossibilis est cognitio immaterialium et universalium, quae tamen negari nequit. Ergo... Sane in Lockiano systemate omnes ideae sunt vel simplicis et adventitiae, vel factitiae. Atqui ideae immaterialium et universalium non sunt in numero adventitiarum, ut per se patet; nec in numero factitiarum, nam hae solum elaborantur per combinationem istarum, vel per comparationem vel per abstractionem; at nec sola combinatio simplicium *per se* praebet quidpiam novum aut distinctum, nec mera comparatio, tum quia est simplex juxta positio, tum quia per eam tantum deteguntur relationes, entia vero immaterialia et universalia non sunt relationes; nec demum abstractio, quia Lockiana abstractio non est nisi separatio partis a parte, quae non immutat ipsam essentiam earum vel modum essendi, ac proinde relinquit illas in sua singularitate: quare abstractio ista similis est abstractioni, quam ab imaginatione fieri posse in homine supra notavimus (n. **146**). 3.° Accedit, quod in opinione Lockii, nominalismum profitentis, universalia, revera non sunt, itemque negatur omnis qualiscumque essentiarum cognitio, et persona in sensationum et internorum phaenomenorum complexu constituitur. 4.° Denique Lockianus sensismus logice ducit ad materialismum et positivismum, qui vitari nequit ab eo, qui negat posse cognosci quidpiam experientiam, sive externam sive internam, transcendens. Quamquam fatendum est, Lockium, quantumvis secum pugnantem, existentiam Dei et quasdam alias veritates agnovisse a materialismo et positivismo rejectas (1).

351. β) **Rejicitur** *systema Condillachianum* 1.° quia negat differentiam essentialem et specificam intellectus et sensus. 2.° Negat existentiam potentiae ullius *naturalis* ordinem sensitivum superantis. 3.° Hinc vero neganda erit essentialis differentia hominis a bruto, spiritualitas, immortalitas, libertas animae, ac proinde ratio virtutis, moralitatis, etc.; vel certe eripitur nobis medium haec omnia contra materialistas propugnandi. 4.° Ratiocinium et judicium tribuit Condillacus sensibus contra superius demonstrata (n. **172**). Ut omittam quaedam alia in Lockium adducta, quae vehementius feriunt Condillacum.

352. γ) **Rejicitur Laromiguieri doctrina** 1.° quia falsum est sive ratiocinium esse duplicem duntaxat comparationem, sive comparationem esse duplicem attentionem. 2.° Quamvis laudandus sit hic scriptor, quia reactionem quamdam induxit adversus Condillacum, re tamen vera e sensismi luto non emersit. Sane omnes operationes a Laromiguiero distinctae tandem ad attentionem, eamque supra sensationes factam, revocantur (n. **348**). Atqui haec non sufficit.

---

(1) Vide illas in operis fusioris volum. 5.° num. 304, *Prob. 3.°* in nota, ubi quaedam alia, si lubet, require.

Nam *sola* attentio nihil potest per se efficere nisi ut objectum ejus, quod hic est mera sensatio, clarius vel vividius apprehendatur. Ergo nisi aliud ponatur, nullum objectum praeter sensationes ac sensibilia poterimus cognoscere.

Dices. Perperam accusatur sensismus, cum vix tandem reapse discrepet a sententia Scholasticorum, secundum quos omnis cognitio incipit a sensu, et nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.—**Respondeo**, *neg.* assert. et probation. Scholastici quidem docent omnem cognitionem nostram *inchoari* a sensibus, non vero *consummari* nec comprehendi intra sphaeram objecti sensibilis, sed se ad materialia et immaterialia porrigere per totam entis amplitudinem, ut vidimus in praecedenti capite. Unde Aristotelicum assertum: *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*, nemo Scholasticorum probat sine distinctione: videlicet nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu quoad primam et remotam originem et occasionem cognoscendi, non autem quatenus intellectus non cognoscat, nisi quae in sensibili repraesentatione continentur.

ARTICULUS II

Systemata idearum innatarum.

353. Ideas innatas prout a Platone aliisque veteribus propugnatas, alibi rejicimus. Inter recentiores sub variis formis eadem doctrina tradita est ad originem idearum explicandam praesertim a Cartesianis, Leibnitzianis et a Rosminio.

I.—Ideae innatae Cartesianorum et Leibnizianorum.

Cartesiani cum suo magistro ideas diviserunt in adventitias, factitias et innatas. De duobus prioribus generibus nihil est dicendum hic, possunt enim illa admitti recto sensu intellecta, quamvis non ad mentem Lockii (n. **346**) aliorumque cartesianorum. Nimirum adventitiae dici possent illae, quae per species immediatas vel ex phantasmatis abstractas (non tamen intellectu aut sensu mere passive se habentibus) producuntur. Factitiae vero dici possent, quae per species discursivas et analogicas producuntur, vel, si mavis, omnes generatim cognitiones mediatae aut ratiocinio comparatae. Verum, his omissis, veniamus ad innatas, quarum nomine videntur intellexisse cartesiani nativam quamdam animi determinationem ad certa quaedam objecta independenter ab omni sensatione percipienda, vel actuales quasdam cognitiones perenniter existentes, quamvis non advertantur expressa reflexione. Hujusmodi autem ideas possuerunt cartesiani respectu Dei et primorum principiorum ordinis sive speculativi sive practici et moralis. Nam quoad reliqua objecta, originem cognitionum eorumdem explicabant per ideas adventitias et factitias.

356. **Leibnizius**, qui omnia corpora ex monadibus composita

voluit (1), docuit esse in homine, sicut in caeteris viventibus, centralem quamdam monadem caeteris inferioris ordinis, ex quibus corpus coalescit, praesidentem, et obscura quadam universi repraesentatione praeditam, quamvis non semper hujusce repraesentationis *apperceptionem* seu conscientiam habeat. Hujusmodi monas est anima humana, in qua innata et perennis ista repraesentatio clarior succesive ac distinctior evadit virtute internae dispositionis atque inclinationis ad immanenter operandum jugi serie perceptionum et appetitionum, quae occasione sensationum exercetur. Istae porro perceptiones atque appetitiones ita peraguntur, ut praecedens habenda semper sit ratio sufficiens subsequentis (2). Systema hoc Wolfius et alii Leibnitzii asseclae amplexati sunt.

355. PROPOSITIO 1.ª **Falsa sunt ac prorsus rejicienda systemata idearum innatarum sive a Cartesianis sive a Leibnitzianis invecta.**

Prob. 1.° Istae ideae innatae utrolibet modo propositae implicant perennem cogitationem animo ingenitam, quae supra rejecta est (n. **65**). Ergo rejiciendae pariter et illae sunt.

Prob. 2.° contra Cartesianos: α) Hi concedunt multas ideas occasione sensationum ope activitatis proprii intellectus acquiri posse. Atqui eodem modo possunt omnes. Et nominatim ideam Dei discursivam esse suo loco probabitur; prima vero principia, sive speculativa sive practica, possunt per species a sensibilibus abstractas comparari, siquidem talia sunt, quae statim, intellectis terminis, pronuntientur ab intellectu propter suam evidentiam. Ergo frustra obtrudundur istorum objectorum ideae innatae. β) Systema idearum innatarum, prout a Cartesianis propositum, supponit ideas esse directae cognitionis objectum. Atqui id falsum est (n. **191**) (3).

Prob. 3.° contra Leibnitzianos: α) Nulla est experientia ulliusve generis indicium suadens obscuram mundi repraesentationem, qua donatae dicuntur monades. Ergo quod gratis fingitur, rejiciendum est. β) Intelligi nequit, quo pacto distinctiores reddantur, ideae universum *confuse* repraesentantes occasione sensationum receptarum, neque id adversarii sufficienter explicant; cum potissimum nullum sensationes exerceant influxum veri nominis, unde animus determinari valeat ad suas cognitiones perficiendas. Nam in primis harmonia praestabilita inter evolutionem successivam idearum et ocurrentes sensationes, de qua suo loco dicetur, fictitia prorsus est. Alterum autem principium statuens semper, praecedentem perceptionem atque appetitionem esse rationem sufficientem subsequentis et contra experientiam est, et libertatem perimit invecto ferreo *determinismo*, ac reliquis incommodis premitur, quae in opere fusiori declarantur (4).

---

(1) Cfr. Compend. volum. 3.^{um}, num. 276.

(2) Vide Leibnitz, *Système nouveau de la nature*, paragr. 14 seqq.; *Nouveaux essais sur l'entendiment humain*, liv. 1, cap. 1, *Monadologie.*

(3) Quaedam alia in volum. 5.°, num. 311.

(4) Volum. 5.°, num 313, ubit etiam quaedam difficultates expediuntur num. 314. Prae oculis habeantur etiam aliae difficultates superius solutae (n. 193, 282).

II.—Systema Antonii Rosminii.

356. Revmus. Dominus Antonius Rosmini Servati, vir plurimis scriptis operibus clarus, clarior pietate ac fundata religiosa familia, quae luculentis vitae sanctae fulget exemplis in variis Europae regionibus, haud paucarum contentionum postremis temporibus praebuit occasionem, aliis ejus doctrinam impugnantibus, aliis acrtter propugnantibus, etiam postquam plura illius asserta anno 1892 ecclesiastica sententia damnata sunt. Rosminii circa idearum originem doctrina huc paucis revocatur: Cognitiones nostrae in duo idearum genera dividi queunt: primum est idea entis in genere indeterminatissimi vel τοῦ *esse*, quae in caeteris implicite continetur, et quasi substratum omnium et elementum est; secundum complectitur reliquas ideas entium determinatorum, puta lapidis, ferri, plantae, etc. Ens illud indeterminatissimum vocat Rosminius *esse ideale* atque etiam *possibile*, vultque esse *formam universalem omnis humanae cognitionis.* Docet ergo solam ideam entis hujusmodi possibilis esse innatam, reliquas omnes acquiri ex junctione vel applicatione illius ad sensationem. Ideam entis non posse acquiri per propriam activitatem probat longa argumentatione, quae mox in objectione breviter exponetur (1). Reliquas autem per applicationem illius comparari sic explicat. Ponamus sensationem quamvis, v. g. *rosae visionem*, in me. Cum idem ipse sim, qui hanc visionem habeo itemque ideam universalissimam entis, facile utrumque elementum in unum compono pronuntiando per facultatem, quae *ratio* appellatur, hoc judicium: *Id quod sentio, existit;* et haec unio sensationis cum idea entis vocatur *intellectualis perceptio rei*, in qua duo continentur, affirmatio existentiae (vel *subsistentiae*, ut eam placet nominare Rosminio) et idea rei, non jam illa indeterminata entis possibilis (id est, alicujus rei, quae potest existere), sed idea hujus rei, quam nunc sentio, idea determinata per has qualitates ac modos sensatione perceptos. Si jam in hac intellectuali perceptione rosae, praescindo per operationem, quae *universalizatio* dicitur, ab affirmatione actualis existentiae, remanebit universalis idea rosae, quasi typus innumerarum rosarum, quas Deus posset creare, videlicet idea *rosae possibilis*. Pergo praescindendo ope *abstractionis* a rosa alias determinationes, v. g. magnitudinem, varietatem colorum, etc., habebo ideam *abstractam* rosae partim determinatam (quia distinctam ab idea entis omnino indeterminati), partim indeterminatam (quia non est praecisa solum ab existentia, sicut ideae *universales*, sed etiam ab aliis notis ac determinationibus). Quod autem in exemplo rosae declaratum est, in quovis alio objecto, quod per sensationem offertur, accidit, et sic ratio redditur originis quarumvis cognitionum. Sic ergo in omni cognitione distingui potest materia et forma; materia praebetur a sensatione, ideoque est elementum a posteriori; forma est idea entis innata, elementum a priori, quod per materiam limitatur omnibusque determinationibus convertitur (2). Caeterum notant

---

(1) Cfr. opus fusius, volum 5.°, num. 315, *Minor probatur per partes.*

(2) Haec enucleatius exposita reperies in opere fusiori, volum. 5.°, num. 315, *Probatur Minoris altera pars.*

nonnulli in hoc systemate filiationem a kantiana doctrina, quae in sequenti articulo exponetur.

357. PROPOSITIO 2.ª **Systema Rosminii de origine idearum multis nominibus rejiciendum est.**

Prob. 1.° Nulla est necessitas ponendi innatam entis ideam. Nam α) falsum est in primis, ideam entis in quavis re, quae sentitur, non contineri (1), cum omnia prorsus transcendat. β) Falsum pariter est, ideam entis non posse posita sensatione efformari, vel directe ac primo prout superius dictum est (n. **336**), vel saltem per praecisionem diversitatum ac variarum determinationum. γ) Nam falsum praeterea est, quod Rosminius docet, nimirum quod judicium aliquod praevium requiratur ad efformandam ideam generalem, et non sufficiat abstractio (2), vel quod abstractio praesuponat ideam generalem, quasi non posset exerceri circa cognitionem singularem.

Prob. 2.° Rosminius non satis explicat caeterarum idearum originem. Sane α) perperam idea entis dicitur esse forma omnis alterius cognitionis, materia vero sensatio. Idea enim ista est indeterminatissima, et instar tabulae rasae vel candidae chartae se habere dicitur a Rosminio. Atqui quod indeterminatum ac determinabile est, habet rationem materiae, non vero formae. β) Ideas efformari docet per synthesim duplicis elementi, ideae entis ac sensationis, ope judicii, quo affirmatur: *Id quod sentio, est ens,* ad quod putat sufficere, quod idem sit subjectum sentiens et habens innatam ideam entis possibilis. Atqui ad pronuntiandam identitatem ejusmodi vel efficiendam praedictam synthesim, profecto non sufficit identitas subjecti utrumque elementum possidentis, sed objectiva identitas ejusdem requiritur. γ) Principium ideam entis ita cum sensatione conjungens, quod *ratio* vocatur a Rosminio, vel cognoscit identitatem utriusque, vel non. Si cognoscit, jam videt ideam entis in sensatione contineri, quare gratis et frustra ponitur idea ista innata. Si non cognoscit, non potest asserere praedictam identitatem, nisi affirmando quod non videt, ideoque renovando vel Reidiana judicia ex caeco instinctu prolata (3), vel Kantiana judicia synthetica a priori, mox profliganda. δ) In sententia Rosminii cognitiones nostrae ordinem sensibilem ac materialem transcendere nequeunt. Nam omnis alia idea, praeter ideam entis possibilis aut indeterminati, non est nisi synthesis hujus et sensationis. Atqui in plurium synthesi non potest esse nisi complexum elementorum unitorum. Ergo undenam, aut quomodo subeunt nostram mentem ideae spiritus, substantiae ac sexcentae aliae, quae sensationem transcendunt?

Prob. 3.° Systema Rosminii ontologismum continet. Ergo rejiciendum. **Prob. anteced.** Docente praeclaro scriptore in sua *Theosophia,* ex qua 40 propositiones excerptae, decreto S. Romanae Inquisitionis damnatae fuerunt, in ordine rerum creatarum *immediate manifestatur humano intellectui aliquid divini in se ipso, hujusmodi nempe quod ad divinam naturam pertineat,* et quidem in sensu vero ac proprio, et non figurato (4). Atqui *esse indeterminatum, quod procul dubio notum est omnibus intelligentiis* (id est, idea entis innata) *est divinum illud, quod homini in natura mafestatur* (1); nam *esse indeterminatum intuitionis, esse initiale* (rerum omnium creatarum) *est aliquid Verbi, quod mens Patris distinguit, non realiter, sed secundum rationem, a Verbo* (2). Ergo... (3).

---

(1) Cfr. Compend., volum. 2.^{um}, num. 40.
(2) Cfr. Compend., volum. 1.^{um}, num. 411 et 415.
(3) Cfr. Compend., volum. 1.^{um}, 667, 369.
(4) Rosmini *Teosofia*, vol. 4.°, num. 2 et num. 15, etc.

Prob. 4.° Doctrina Rosminii circa *esse*, quod est objectum intuitionis nostrae, continet pantheismum. Ergo... **Prob. antec.** Secundum Rosminium α) *entia finita, quibus componitur mundus, resultant ex duobus elementis, id est, ex termino reali finito et esse initiali, quod eidem termino tribuit formam entis* (4). Atqui *esse* initiale, ut modo retulimus, dicitur *aliquid Verbi*, solum ratione distinctum a Verbo. β) Eodem auctore, *esse initiale fit essentia omnis entis realis* (5). *Esse quod actuat naturas finitas, ipsis conjunctum, est recisum a Deo* (6). γ) *Verbum est materia illa invisa, ex qua, ut dicitur* **Sap. XI, 18**, *creatae fuerunt res universi* (7). Verum hoc et praecedentia argumenta fusius et enucleatius exposita manent in alio opere (8).

Dices. Idea entis possibilis non potest acquiri per propriam mentis activitatem. Ergo innata est. **Prob. antec.** Idea entis α) nequit ope sensationis comparari, quia est universalis, necessaria, immutabilis, infinita, aeterna; nullum autem horum praedicatorum competit sensationi, sed prorsus opposita. Nec β) potest esse creata a Deo occasione sensationis in ipso perceptionis actu. Nec γ) oritur ex conscientia propriae existentiae. Nec δ) demum per operationem intellectus, cum sit generalissima. Idea enim omnium generalissima vel formaretur judicio vel abstractione. *Non judicio*, quia omne judicium praesuponit ideam generaliorem. *Non abstractione*, quia in omni abstractione tria locum habent, analysis rationis communis et particularis, praecisio differentiae particularis et consideratio solius communioris rationis. Atqui cum tria haec circa ideam aliquam exercentur, jam illa supponitur praevie in mente existens. Ergo ut abstractione gigneretur idea entis, haec supponenda esset in mente.

Respond., *neg.* anteced. **Ad probation.** α) *neg.* assert. et probationis consequens, quia quamvis sensationi competant opposita praedicata, nihil vetat, quominus per activitatem mentis abstrahatur ex sensibilibus et sensatione idea universalis, necessaria, etc. Idea enim entis non est universalis in existendo formaliter cum sua universalitate, sed tantum fundamentaliter; nec est necessaria et immutabilis secundum entitatem, sed secundum intelligibilitatem; nec infinita secundum comprehensionem, sed secundum extensionem et praedicabilitatem; nec aeterna positive, sed tantum negative, sicut alibi docuimus de rerum essentiis (9). Omnia vero haec praedicata possunt convenire ideae factae vel per praecisionem intellectus possibilis, vel per speciem ab intellectu agente abstractam ex phantasmate. **Ad probation.** β) et γ) *concedo* assert. **Ad probation.** δ) *concedo*, quod judicio non efformetur idea entis, *nego* quod nequeat efformari abstractione, quin probatio quidpiam evincat, ut satis per se patet.

---

(1) Id., ibid., num. 5 et 6; volum. 1, num. 298.
(2) Id., ibid., volum. 2, num. 848.
(3) Vide haec fusius dilatata in alio nostro opere, volum. 5.°, num. 316, *Prob. 3.°*, et *Dices non posse Rosminium*...
(4) *Theosofia*, volum. 1, num. 454.
(5) Ibid., volum. 1, num. 458.
(6) Ibid., volum. 3, num. 1.425.
(7) Id., *Introduz. del Vangelo secondo Giovanni*, lez. 37, pag. 109.
(8) Volum. 5.°, num. 317.
(9) Cfr. Compend. volum. 2.^{um}, num. 25.

ARTICULUS III

Rationalismus transcendentalis.

358. Kantius recenseri jure posset inter idearum innatarum assertores, videlicet ob formas quasdam cognitionis, quas invexit, pure subjectivas et animo ingenitas; nihilominus quia formae istae mensuram statuunt cognitionibus, ex aliis potius capitibus examinari solent sub nomine rationalismi transcendentalis. Duplex distinguit Kantius elementum in cognitionibus nostris, alterum a posteriori, quod est materia cognitionum, alterum a priori, quod est forma: illud est objectivum, hoc subjectivum, et criterium ad discernendum elementum a priori est universalitas. Elementum subjectivum reperitur in omni cognitione, sive sensitiva sive intellectuali. Ad procesum itaque cognitionis declarandum, oportet explicare, quaenam sint formae istae vel elementa a priori, et quo pacto ex illarum applicatione ad materiam omnes cognitiones efformentur. Idque praestitit Kantius in sua *Critica rationis purae*, nempe speculativae atque ab omni experientia independentis, percurrendo triplicem facultatem, *sensibilitatem* nimirum, *intellectum* et *rationem*.

Formae sensibilitatis sunt duae, *spatium* et *tempus*, illud pro externa, hoc pro interna sensibilitate; nam quantumvis variae possint esse sensationes, tamen omnes externae rem exhibent in aliquo spatio, internae vero fiunt aliquo temporis intervallo. Hae itaque duae sunt formae sensibilitatis, quae *intuitiones* vel *visiones purae* (id est, independentes ab experientia) dicuntur, et sunt animo innatae. Sensilis ergo cognitio peragitur ex junctione elementi objectivi et subjectivi: objectum proponitur sensui, et sigillatur a sentiente forma alicujus spatii (in externa) ac temporis (in interna sensatione): sicque tandem habentur sensiles repraesentationes certo spatio ac tempore, quae vocantur *intuitiones* vel *visiones empiricae*. Objectum porro hisce visionibus repraesentatum dicitur *phaenomenum*, quasi *apparentia*, cui opponitur *noumenon* seu *realitas*, quia nimirum sensatione atque experientia tantum novimus *phaenomena*, vel *quales nobis res appareant*, non autem *noumena* vel *quales sint illae in se ipsis*.

Formae intellectuales judicii. Sensationes non constituunt scientiam, sed tantum praebent intellectui materiam; in illis mens se habet passive, activitatem exercet ope cognitionis et judicii, applicando sensationi suas formas a priori. Judiciorum quatuor sunt generatim formae, *quantitas*, *qualitas*, *relatio*, *modalitas*; nam nullum est judicium, quod non habeat aliquam quantitatem (ratione subjecti), qualitatem (ratione affirmationis vel negationis), relationem (spectato respectu inter subjectum et praedicatum) ac modalitatem (ratione modi, quo subjectum et praedicatum inter se nectuntur), Jam quantitas judicii triplex esse potest, prout subjectum sit singulare, particulare aut universale: unde resultant tres formae, *unitas*, *multitudo*, *totalitas*. Ex qualitate similiter existunt tres aliae formae, *affirmatio*, *negatio*, *limitatio*, quatenus praedicatum convenit aut repugnat absolute subjecto, vel solum cum aliqua limitatione. Relatio praebet tres formas, *substantiam* et *accidens*, *causam* et *effectum*, *simultatem*, prout praedicatum exprimit aliquid absolutum vel conditionatum respectu subjecti, vel plura enuntiantur de eodem attributa, quorum uno posito vel sublato, caetera ponantur vel tollantur. Denique modalitas triplex excogitari potest, *possibilitas* et *impossibilitas*, *esse* et *non esse*, *necessarium* et *contingens*. Et ita existunt duodecim formae a priori, quae dicuntur *categoriae* ac *conceptus puri*, nempe independentes ab experientia. En duodecim famosae categoriae Kantianae (1), quas auctor earum voluit esse quasi *leges intelligentiae*, quae ipsam necessitant ad certo quodam modo repraesentandas res per conscientiam oblatas. Ita ergo mens judicat de rebus, applicando visionibus empiricis vel phaenomenis experimentalibus aliquam ex duodecim formis a priori vel categoriis.

Formatio idearum per rationem. Sicut ex junctione visionum empiricarum et categoriarum efformat mens conceptus vel judicia; ita ex synthesi plurium categoriarum facta circa materiam sensibilem conflat *ideas*, quasi partum ratiocinii. Hoc pacto applicando phaenomenis internis categorias substantiae ac causalitatis efformat ideam τοῦ *Ego* vel animae: applicando phaenomenis externis conceptus puros vel categorias *esse*, substantiae, totius, causae et unitatis, ideam Dei, et simili modo ideam cosmologicam vel mundi. Verum hae ipsae sunt pure subjectivae atque a priori.

Unum addendum restat, tria judiciorum genera distingui a Kantio, *analytica*, *synthetica* et *synthetica a priori*. Priora vult esse *pure explicativa*, quia in eis praedicatum exprimit aliquid jam contentum in subjecto; synthetica sunt *extensiva*, quia praedicatum non exprimit aliquid in subjecti ratione contentum, qualia sunt pure experimentalia; synthetica a priori, et quasi per anticipationem prolata, sunt quidem experimentalia, quae tamem universalitate gaudeant et necessitate, ut v. g.: *Quidquid fit, causam postulat.*

359. Propositio. **Systema Kantianum innumeris scatet absurdis.**

---

(1) Cfr. Compend. volum 2.^{um}, num. 277.

Prob. 1.° Absurdum est fundamentum et principium, unde procedit. α) Fundamentum est, quidquid universalitatem ac necessitatem sapit in nostris cognitionibus, esse pure subjectivum. Atqui universalia habent fundamentum in rebus ipsis (1); itemque res creatae contingentes sunt quoad existentiam, essentiae tamen sunt necessariae secundum notas intelligibiles (2).

β) Principium vero stat in scopo, quem sibi praefigit Kantius: is est examen instituere rationis, vel investigare, quomodo sit possibilis cognitio, et quomodo perficiatur in nobis. Atqui hunc scopum non potest Kantius attingere sine contradictione vel absurdo. Vel enim in instituendo suo examine admittit rationem posse aliquid cognoscere, prout est in se, vel non admittit, sed dubitat. Si admittit, jam ratio cognoscit aliquod *noumenon*, saltem hoc: ideoque falsum est nos sola *phaenomena* posse cognoscere. Si non admittit, nihil potest investigare sine contradictione; non enim possibilis est talis investigatio, nisi usu intellectus et rationis, cui si non fidit Kantius, nihil proficiet; si autem fidit, secum pugnabit.

Prob. 2.° Processus quoque Kantiani systematis scatet absurdis. α) Absurdum est sensibilitati tribuere universalem et abstractam rationem spatii ac temporis. β) Categoriarum numerus nimis redundat, tum quia rationabilius ad pauciores contrahi possent ad mentem Peripateticorum et Scholasticorum (3); tum quia necesse non erat varias species ejusdem generis recensere; tum quia non sunt reapse categoriae affirmatio, v. g., et negatio et formae modalitatis, etc. γ) Judicia synthetica a priori absurda sunt, quia repugnat naturae mentis affirmare vel negare convenientiam aut discrepantiam terminorum, quam non videt. Atqui judicia ista ex Kantio talia sunt, in quibus convenientia vel repugnantia praedicati et subjecti neque ex intuitione idearum vel analysi terminorum neque ex experientia pateat. Praeterea exemplum istorum judiciorum modo allatum reapse analyticum est. Caetera, quae germanus novator protulit, vel sunt etiam analytica, vel certe non synthetica a priori, quae nempe pronuntientur, quin terminorum identitas vel discrepantia innotescat aliquo modo, ut declaratum reperies in fusiore opere (4).

Prob. 3.° Consectaria Kantiani systematis longe absurdiora sunt. Nam in eo α) perit omnis objectivus valor cognitionum nostrarum (5). β) Perit omnis cognitio suprasensibilis, quia materia omnium cognitionum exhibetur per experientiam, quin aliud intellectus faciat, quam ejus synthesim cum formis a priori. Neque in ipsa interna experientia videtur Kant quidpiam immateriale detegere. γ) Perit omnis certa cognitio Dei, animae, mundi, ordinis moralis, juris, libertatis, etc., quia haec non sunt nisi formae pure subjectivae atque a priori, quorum nullum solidum afferri valeat fundamentum: unde rejicit Kant ut vanas vel contradictorias rationes, quibus optimi quique Philosophi demonstrarunt existentiam et attributa Dei, animae, mundi. δ) Quamobrem habes in uno hoc systemate materialismum, vel certe semina illius, habes instinctum caecum Reidii (1) in judiciis syntheticis a priori, idealismum transcendentalem, Humii scepticismum, atheismum, pantheismum, vel saltem idealis pantheismi principia (2), verbo nihilismum.

---

(1) Cfr. Compend., volum. 1.um, num. 410.
(2) Compend., volum. 2.°, num. 25.
(3) Cfr. Compend. volum. 2.um, num. 280.
(4) Volum. 5.°, num. 318, *Prob.* 2.° Cfr. Rickaby, S J. The first Principles of Knowlege (London, a. 1919), ubi plura utilia contra Kant invenies et contra diversas posteriores scholas.
(5) Cfr. Compend., volum. 1.um, num. 340-344.

ARTICULUS IV

De traditionalismo.

360. Traditionalismus est *systema necessitatem adstruens magisterii pro inchoatione, vel certe evolutione idearum.* Triplex ejus est forma, prima crudior Bonaldi, altera Bonnety, tertia P. Joachimi Ventura Raulica.

Vicecomes de Bonald sermonem ita necessarium esse ad cogitandum judicavit, ut sine illo possit quidem homo cognitiones quasdam particulares assequi factorum vel objectorum sensu perceptorum, non tamen ullam ideam abstractam et generalem. Unde statuit necessariam esse revelationem omnium hujusmodi idearum, quae hominibus traditione communicetur, ideoque sermonem a Deo humani generis protoparenti dono datum esse ceu vehiculum idearum intellectualium. Habet cum hac doctrina non exiguam cognationem Lamennaisii alibi refutata doctrina (3).

Bonnety mitigavit paululum vicecomitis de Bonald doctrinam, concedens posse hominem suo marte atque absque aliorum magisterio assequi non solum ideas particulares, sed etiam abstractas et universales ordinis physici ac metaphysici, non autem ullas veritates vel principia ordinis religiosi et moralis, ad quorum proinde cognitionem requisivit ut necessariam primaevam revelationem divinitus factam, ac traditionem, qua illa transmitteretur a parentibus ad filios.

Revmus. P. Raulica, e sacra Clericorum Regularium S. Cajetani Familia, humano intellectui largitur vim assequendi, praeter universales notitias rerum sensibilium, notiones quoque confusas rerum immaterialium et ordinis moralis citra sermonis et magisterii usum, non tamen notitiam claram et certam rerum ac veritatum ordinis suprasensibilis et moralis, quales sunt existentia Dei, spiritualitas et immortalitas animae, officia hominis erga Deum, se ipsum et alios clare ac praecise definita, quae omnia fide accipienda sunt, ac traditione communicanda.

---

(1) Cfr. Compend., volum. 1.um, num. 367.
(2) Cfr. Compend., volum. 3.um, num. 42.
(3) Cfr. Compend., volum. 1.um, num. 372.

Mitius adhuc sentiunt Lovanienses cum Ubaghs (1), qui licet concedant homini facultatem naturalem cognoscendi, negant tamen hominem, qualis nunc nascitur, ad expeditum usum rationis pervenire absque externo aliquo auxilio, sine quo solum confusus sensus et vaga quaedam adest apprehensio veritatum metaphysicarum et moralium. Ad claram ergo Dei et moralium notitiam assequendam requiritur socialis aliqua institutio sive per verbum, sive per scriptum, gestum aliave hujusmodi media, quamvis ista institutio non sit habenda ut causa efficiens, sed ut mera conditio sine qua non possit homo ad expeditum usum rationis pervenire (2).

361 PROPOSITIO **1.° Absurdum est dicere ab humana mente nullam veritatem universalem cognosci posse nisi ope divinae revelationis traditione transmissae; falsissima pariter est doctrina, eamdem revelationem absolute requirens ad omnes veritates ordinis duntaxat religiosi ac moralis.**

Prima pars est contra Bonaldum, et 1.° constat ex ipsa experientia cujusque.

Prob. 2.° Divina revelatio non potest servire ut medium cognoscendi aliquid, nisi supponat multarum veritatum etiam metaphysicarum ac religiosarum cognitionem. Ergo absurde dicitur necessaria esse ad omnem veritatem abstractam et universalem cognoscendam.

Prob. antec. nam, ut omittam nunc existentiam propriam, veracitatem facultatum cognoscitivarum et caetera ex parte subjecti requisita, debet nosci: α) Deum existere, id quod notitiam certam multarum aliarum rerum praesupponit; β) Deum locutum esse; γ) Deo loquenti credendum esse; δ) divinam revelationem ad nos transmissam esse; ε) eamdemque in hac mihi communicata traditione contineri (3).

Secunda pars est contra Bonnety et P. Raulica. Probatur autem 1.° quia si homo independenter a revelatione non potest Deum cognoscere, nec per revelationem cognoscet. Nam, ut modo arguebam, revelatio non potest ut certa haberi, nisi supponat Dei existentiam, veracitatem, revelationem, etc.

Prob. 2.° Concedunt adversarii posse hominem absque revelatione plures veritates ordinis physici et metaphysici cognoscere. Atqui ex iis non est adeo arduum ad notitiam Dei et veritatum primarum ordinis moralis ratiocinatione pervenire.

Prob. Minor. quoad ideam Dei. Si quid potest homo cognoscere in ordine metaphysico, profecto cognoscet *ens*, *existentiam*, *causam* et *effectum*. Atqui notionibus hisce positis et aliqua reflexione atque attentione ad mundana eventa, haud operosum est ad aliquam primam causam assurgere (4). **Quoad primas veritates ordinis moralis.**

---

(1) *Ontolog.*, num. 17-19.

(2) Cfr. opus fusius, volum. 5.^{um}, num. 320.

(3) Adde, si vis, aliud argumentum ex gravissimis contrariae doctrinae consectariis, in opere fusiori, num. 321. *Prob. 3.°*

(4) Haec fusius demostranda erunt in Theodicea, ubi de cognoscibilitate Dei per rationem.

Quanta enim inesse potest difficultas in eo, quod quis Deum ac parentes se superiores agnoscat, caeteros vero homines sibi aequales? Atqui exinde ultro concluditur officium reverentiae Deo ac parentibus debitum, aliaque id genus quae prima ordinis moralis fundamenta constituunt.

Prob. 3.° Propositio haec confirmatur ex documentis ecclesiasticis, tum quia Vaticanum concilium anathemate percellit eum qui dixerit, *Deum unum et Verum, Creatorem et Dominum nostrum* **per ea, quae facta sunt naturali rationis humanae lumine certo cognosci** *non* posse (1); tum quia decreto S. C. Indicis, a Pio IX approbato, haec propositio Domino Bonnety suscribenda tradita est: *Ratiocinatio Dei existentiam cum certitudine probare potest. Fides posterior est revelatione, proindeque ad probandam animae spiritualitatem ac libertatem contra naturalismi sectatorem allegari convenienter nequit* (2).

Caeterum haec doctrina non pugnat cum communi doctrina Theologorum, docentium revelationem, etiam spectato naturali ordine, generi humano *moraliter* necessariam esse ad ipsas veritates religiosas et morales naturale rationis lumen non superantes *expedite, firma certitudine nulloque admixto* errore cognoscendas. Quia α) Theologi agunt de morali necessitate, nos de physica et absoluta; β) illi loquuntur de genere humano, quin negent unum aut alterum posse physice, immo et moraliter, sine auxilio revelationis plures assequi veritates religiosas et morales ordinis naturalis; γ) illi requirunt revelationem ad hasce veritates *expedite, firma certitudine ac sine errore* agnoscendas.

Illud praeterea est addendum, convenientissimam fuisse revelationem Dei, quae veritates etiam multas ordinis naturalis traderet hominibus, ut jam alibi probatum reliquimus (3).

362. Propositio 2.ª **Quamvis negari non potest, utilissimum esse sermonem ad mentis evolutionem; haec tamen ab illo in nullo veritatum naturalium genere pendet etiam tamquam a mera conditione sine qua expeditus rationis usus obtineri non possit.**

Prima pars *de sermonis utilitate* probatione non eget. Triplex enim est usus sermonis (sive oralis sive scripti): α) quatenus phantasmate repraesentatus, juvat intellectum ad facilius cogitandum, β) quatenus est signum ad aliis sensa patefacienda, γ) quatenus est instrumentum magisterii. Et sub triplici respectu maxima est sermonis utilitas, ut satis per se patet, ac declaratum habes in opere fusiore (4).

Secunda pars *negans sermonis necessitatem ad evolutionem mentis etiam relate ad veritates naturales ordinis metaphysici vel religiosi*, probatur 1.° Eatenus evolutio mentis penderet a sermone, quatenus idearum acquisitio sermonem necessario subaudiret. Atqui sermonem ideae non necessario subaudiunt, sed e converso sermo ideas subaudit. Etenim α) sermo vel intelligitur, vel non. Si non intelligitur, nullam excitare ideam potest. Si intelligitur, jam supponit ideam. β) Sermo est signum arbitrarium (1). Ergo qui illum intelligit, debet nosse rem et conventionem hominum, tale signum ad talem rem significandam instituentium.

---

(1) Constitut. *de fide cathol.*, paragr. 2 *de revelatione*, can. 1 Cfr. ibid., cap. 2.

(2) Cfr. Litterae Pii IX, die 11 Decembr. ann. 1862 ad archiepiscopum Monacensem et Frisingens. datae.

(3) Vide Compend. volum. 1.^{um}, num. 525.

(4) Volum. 5.°, num. 323, *Probatur prima pars*.

Prob. 2.° Non intelligitur, quo pacto sermo per se gignere ideas valeat. Nam est signum nulla pollens naturali virtute ad res, pro quibus adhibetur, significandas. Id quod usque adeo verum est, ut eadem ipsissima vox in diversis linguis diversissima significare possit (2); et e converso saepe diversae voces etiam in eadem lingua idem prorsus sonant (3); aliae demum in quibusdam excitant, in aliis, nempe in ignorantibus linguam, nullam excitant ideam. Quod profecto manifeste probat, nullam *ex se* vim inesse vocibus ad gignendas ideas.

Tertia pars *negans sermonem esse conditionem sine qua non possit haberi moralium idearum clara et distincta notitia, et consequenter expeditus rationis usus*, probatur argumento nuper facto. Quia cum vocabula sint signa, non possunt ullam excitare ideam etiam ut merae conditiones, nisi cognoscantur ut signa. Atqui cognoscere vocabulum ut signum, praesupponit jam ideam rei, quam significat ex hominum conventione. Idem probatur ex argumentis sequentis propositionis.

363. PROPOSITIO 3.ª—**Idipsum dicendum est de magisterio, nempe illud necessarium non esse ad evolutionem mentis inchoandam** (4).

Probatur. Bifariam intelligi posset necessarium magisterium humanum: α) quatenus tribueret intellectui majorem aliquam virtutem cognoscitivam: β) quatenus externam praebeat directionem sine qua mens evolutionem suam inchoare non valeat. Atqui

α) *Magisterium nullam novam virtutem intellectui addit*, tum quia exercetur sermone, sermo vero supponit ideas, ac proinde inchoatam evolutionem; tum quia ad inchoandam evolutionem satis est virtus simpliciter apprehendendi, judicandi, ratiocinandi circa propositum objectum, quibus positis, non possunt non adesse aliquae ideae, ac pronuntiari prima principia, facilioresque conclusiones elici (5). Atqui virtus haec triplex non est nisi naturalis ipsa potentia intellectiva. Ergo magisterium nullam valet addere virtutem, sine qua intellectus non potuisset suam inchoare evolutionem (6).

β) *Nec magisterium praebet directionem externam absolute necessariam, sine qua non possit evolutio mentis initium accipere.* 1.° Quia ubicumque adest virtus interna intellectus, statim ac coram proponatur objectum proportionatum, non potest non illico sequi cognitio, et quidem clara ac distincta et certa, secus enim non foret proportionatum objectum; et sic evolutio inchoabitur. Quis autem neget dari objecta intellectui nostro naturaliter proportionata (n. **325**). sicut dantur objecta proportionata singulis sensibus et generatim naturalibus potentiis? 2.° Externa magistri directio huc tandem reducitur, ut discipuli attentionem ac reflexionem excitet, apteque proponat objectum, ad quod prima principia sint applicanda. Atqui ad hoc non est absolute necessarium magisterium. Nam objecta passim occurrunt, quorum sensibilem perceptionem illico subsequi possunt abstractio specierum et intellectio; ipsa etiam objecta, et quae circumstant adjuncta, sufficiunt sola saepe ad excitandam attentionem et reflexionem, unde intellectus saltem facilioris ope discursus novas acquirat cognitiones. Quae omnia, ut per se innotescit, aeque valent pro evolutione mentis inchoanda sive in ordine physico, sive in ordine metaphysico et morali, saltem quoad prima et faciliora praecepta legis naturalis.

---

(1) Cfr. Compend., volum. 1.^{um}, num. 46.

(2) Exemplo sit v. g. vox *burro*, quae hispanice *asini*, italice *butyri* evocat ideam.

(3) Ut v. g. *ensis* et *gladius*.

(4) Vide S. Thom., *de verit.*, quaest, 11, art. 2,

(5) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 117, art. 1.

(6) S. Thom., *de verit.*, quaest. 11, art. 1, ad 9.^{um}, et ad 14.^{um} et in corp. artic.; 1 p., quaest. 117, art, 1 ad 3.^{um}

Totam hanc doctrinam luculenter tradit Angelicus Doctor, ostendendo haec quatuor capita: α) sunt in intellectu nostro quaedam scientiarum semina, sive ideae sive prima principia, quae lumine intellectus agentis acquiruntur per species ex sensibilibus abstractas (n. **283**). β) Intellectus, acceptis jam speciebus, respectu scientiae comparandae est quidem in potentia, non tamen in pure passiva, sed in activa. γ) Scientia comparari potest inventione ac disciplina. δ) Magister solum extrinsece juvat discipulum, proponendo res mediantibus signis seu verbis, ut ipsa ejus ratio naturalis cognoscat illas: unde simili modo se habet respectu scientiae a discipulo assequendae, ac medicus respectu sanitatis aegroto restituendae (1).—Quaedam alia in opere fusiori (2).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

364. **Objic. 1.°** Ut ex historiis et experientia cujusque constat, haec perpetua videtur lex naturae, hominem de facto ad rationis usum non pervenire nisi auxilio alterius. Ergo homo magisterio aliorum, ac tandem traditione ac divina revelatione, indiget.

Respond., *dist.* anteced. Haec naturae lex est, hominem ad qualemcumque rationis usum sine alterius auxilio non pervenire, *neg.*; ad excultiorem, *subdist.*: ita ut aliorum institutio vere gignat ideas *neg.*; ita ut juvet praebendo externam directionem, *conc.* Et *nego* conseq.

Objic. 2.° Quicumque sociali caruerunt institutione, usu quoque rationis caruisse reperti sunt, ut videre licuit α) in pueris quibusdam qui extra hominum societatem quandoque adoleverunt (3); β) in surdomutis, qui antequam instruantur, omni idea intellectuali ac morali carent (4).

Respond., *dist.* assert.: totali usu rationis caruerunt, *neg.*; ideis Dei et moralibus, *subdist.*; ex aliqua causa accidentali, idiotismo, defectu temporis ad evolutionem necessarii, vel occasionum, in quibus ejusmodi germinare solent ideae, *trans.*; ex nativa rationis impotentia, *neg.*

Ad probat. α) *neg.* conseq. Factis enim contrariis non multum fidendum, 1.° quia nec satis perspicua nec sufficienter examinata; 2.° quia tales homines plerumque nesciunt se explicare; 3.° ut talia facta probarent, deberet ostendi nullum in illis hominibus obstitisse accidentale impedimentum, quominus ratio evolutionem inchoaret. **Ad probat**. β) *negatur* assert., nisi sermo sit de hominibus accidentali defectu praepeditis; quia praeter argumenta modo allata stat in contrarium auctoritas peritissimorum testium Veisse, Bebian, De Gerando, Sicard, qui cum prius traditionalismum sectatus esset, postea re maturius perpensa, mutavit sententiam ac demum Berthieri, qui et ipse surdo mutus fuerat et surdo-mutorum magister, nec dubitavit asserere hujusmodi homines ante omnem educationem plures habere conceptus. Qua in re id probe nota, ad evertendam vim objectionis nobis sufficere contrarium exemplum unius surdomuti.

---

(1) Vide S. Thom., *de verit.*, quaest. 11, art. 1. Cfr. 1 p., quaestionem 117, art. 1.

(2) Volum. 5,°, num. 323-325, ubi etiam breviter tangitur quaestio utrum homo potuerit per se loquelam invenire; quamvis quidquid definiatur, favere non potest traditionalistis. Cfr. Fröbes, t. 2, pag. 245-279.

(3) Cfr. *Histor. Societ. Jesu*, part. 5, lib. 18, num. 14.

(4) Apud P. Tongiorgi, *Psycholog.*, num. 469, 2.°

Objic. 3.° ex modo, quo intellectuales operationes peraguntur a nobis. Nam α) verbis cogitamus, verbis oramus ad Deum. γ) Philosophi communiter docent verbum mentis necessarium esse ad intelligendum. γ) Sine verbo ideae intellectuales vagae sunt atque indefinitae, quae solo verbo determinari ordinarique valent. δ) Humana cogitatio congruere debet hominis naturae. Sed homo constat spiritu et corpore. Ergo cogitatio etiam elemento sensibili et spirituali constet, necesse est. Elementum autem sensibile est verbum (1).

Respond. **Ad** α), *dist*. assert. Verbis cogitamus et oramus semper et ex necessitate, *neg*.; ex assuetudine, *conc*. **Ad** β) pariter *dist*. Verbum internum mentis, quod sit terminus actionis intelligendi (n. 183), *conc*.; verbum externum orale vel scriptum, *neg*. **Ad** γ) *nego* omnia, quia quamvis magisterium sapiens multum conferat ad claritatem in mente discipuli gignendam, non est tamen unicum vel absolute necessarium medium ad hunc finem. Cum potissimum solus magistri loquentis sermo non reddat claras ideas discipuli, sed attentio ac reflexio et matura rei consideratio. **Ad** δ) *nego* postremam Minorem subsumptam, elementum enim sensibile in cogitatione humana est sensatio, ac praesertim phantasma non solum verbi, sed cujuslibet imaginis sensibilis, analogiam habentis cum re cogitata (n. 247).

Objic. 4.° Scientia existit in nostro intellectu tamquam in potentia passiva. Atqui formae quae sunt in potentia passiva subjecti, educendae sunt necessario per agens aliquod extrinsecum. Ergo agens extrinsecum, id est, magister ope sermonis debet scientiam gignere in mente.—**Respond**., *dist*. Major. Tamquam in potentia pure passiva, *neg*.; tamquam in potentia simul activa, *conc*. Intellectus enim duplicem habet virtutem, alteram pure activam, abstrahentem species ex phantasmatis (n. 289), alteram cognoscitivam, quae, recepta specie, cognitionem elicit.

Quaedam alia in opere fusiori (2).

ARTICULUS V

De Ontologismo.

365. Ontologismus est systema eorum, qui putant nos immediate Deum intueri, ex cujus visione reliqua omnia tamquam ex primo cognitionis principio cognoscamus. Error antiquissimus est, et jam ab antiquissimis Theologis profligatus. Postea vero renova-

---

(1) Apud Tongiorgi, *Psycholog*., num. 474.
(2) Volum. 5.°, num. 326.

tus saeculo XVII a P. Nicolao Mallebranchio, e religiosa Berullani Oratorii Congregatione, propugnatores nactus est Thomassinium, ejusdem Oratorii sacerdotem, Fenelonum, Lamium, etc. Inter recentiores autem, ut alios omittam, eidem doctrinae adhaesere in Italia praesertim Rosminius (n. **357**, *Prob. 3.°*) et Vincentius Gioberti, a quo et nomen ontologismi accepit, atque in Belgio Lovanienses nonnulli, inter quos eminere videntur Ubaghs, Branchereau, Fabre, et qui ficto nomine se dixit Sans-Fiel.

I.—Generalis doctrina ontologismi expenditur.

366. Ontologismus, quamvis varie proponatur, generatim statuit a nobis α) Deum vere (sin minus quoad essentiam, certe secundum substantiam, attributa vel aliquid realitatis divinae) β) immediate in se ipso videri (non utcumque per discursum, per analogiam alienasve species vel *per speculum in aenigmate* (1), sed tamquam objectum directum et primum intuitus nostri γ) reliqua vero per ipsum cognosci, unde etiam Deus dicitur lumen, in quo res alias contemplamur (2).

367. PROPOSITIO I.^{a}—**Visio directa et immediate Dei in hac vita, qualem ontologi comminiscuntur, ac tamquam principium intellectualium cognitionum statuunt, multis capitibus repugnat.**

Prob. 1.° ex conscientiae testimonio; nemo enim, quamtumvis in se ipsum reflectat, ut phaenomena interna observet, experitur talem intuitum Dei. Nec valet respondere, defectum istum experientiae deberi aut inadvertentiae aut assuetudini. Nam jam dixi neminem, quamtumvis advertat, atque in se reflectat, conscium unquam esse immediatae istius cognitionis Dei; deinde etiam ea quae ob assuetudinem videntur ordinarie non adverti, advertuntur profecto, si attentio et reflexio adhibeatur. Intelligi autem nequit, quo pacto conscientiam effugere valeat prima et directa cognitio, quae principium objectivum est omnium caeterarum cognitionum. Quis enim est, qui non consciat se nosse prima scientiarum principia?

Prob. 2.° Si Deum immediate intueremur, deberemus essentiam ejus videre, atque esse beati. Atqui nec videmus essentiam Dei, nec sumus beati.

Minor conceditur ab Ontologis, ac certa est. **Major vero non minus evidens est,** quia Deus simplicissimus est, in quo nulla datur realis distinctio inter essentiam et substantiam vel attributa vel ullam realitatem, quae vere sit aliquid Dei. Unde quamvis nos, qui in hac vita per species creatas, solum inadaequate ac deficientissime repraesentantes divina, cognoscimus Deum, distinguamus ratione essentiam ab attributis, at immediate videntes aliquid Dei, et quidem per objectivam ipsius unionem et absque ullo medio etiam speciei impressae, ut ponunt Ontologi, non posunt non ipsam essentiam prorsus identificatam videre. Unde etiam theologis communiter perinde est *Deum videre immediate ac divinam essentiam videre.*

---

(1) *I Corinth.*, cap. 13, vers. 12.
(2) Haec fuse declarata reperies in alio opere, volum. 5.° num. 328.

Dices, visionem Dei in hac vita imperfectam esse et confusam, utpote quae phantasmatibus sensibilium obscuratur, ideoque nec beatos nos facit.—**Respond.** primo, hoc ipsum intelligi non posse, cur nempe si Deus praesens est animo intelligibiliter, estque lumen, in quo caetera velut conclusiones in principiis cognoscuntur, non clare videatur, vel cur ejus visio possit imaginibus per sensus haustis obscurari? Immo vero visio Dei deberet potius impedire perceptionem sensilem, animum ad se penitus abstrahendo, fere sicut accidit in raptu, etiamsi non videatur ipsa divina entitas in se. Deinde visio Dei ex S. Thomae doctrina, quamvis possit esse clarior minusve clara in ipsis beatis, at in quovis gradu sufficit ad beatificandum (1).

Prob. 3.° Si Deum immediate intueremur, et reliqua in Deo vel per Deum, α) longe perfectiorem haberemus illius notitiam, saltem qualis est notitia primorum scientiae principiorum; β) et simili modo deberemus perfecte ac sine errorum admixtione cognoscere corporum essentias et proprietates; nec γ) necessarius foret discursus sive ad Deum sive ad alias res cognoscendas, vel certe ad cognitionem aliarum rerum argumentum praecipuum aut medium terminum praeberent ideae divinae archetypae, vel aliquod attributum Dei prius in se visum; δ) nec tam limitatae tamque difficulter acquisitae forent nostrae cognitiones, quandoquidem omnia in Deo continentur, eoque viso per se patescunt.

Alia videri queunt in opere fusiori (2).

368. **Objic. 1.°** Deus in se videri potest, ac porro videtur, si summe intelligibilis est. Atqui est summe intelligibilis, quia summum ens. Ergo...—**Respond.** *dist.* Major.: si est summe intelligibilis pro nobis, *conc.*; secus, *neg.*

Instabis 1.° Unumquodque est intelligibile, in quantum abstractum a materia. Atqui Deo nihil abstractius a materia seu immaterialius. Ergo... 2.° Intelligibile eo magis perficit intellectum, quo excellentius; illud autem censendum est objectum maxime proprium cujusque potentiae, quod magis illam perficere valet. Atqui nullum objectum magis perficere potest intellectum nostrum, quam Deus, omnium excellentissimum ens. Ergo Deus est objectum maxime proprium intellectus. 3.° Deus est humano etiam intellectui praesentissimus summeque conjunctus. Ergo perficere illum connaturaliter potest.

---

(1) Vide S. Doctorem, *de verit.*, quaest. 18, art. 1.

(2) Volum. 5.°, num. 329, ubi haec ipsa paulo uberius exponuntur.

Respond., **ad 1.^{um}** *dist.* Major.: in se ipso, *conc.;* relate ad nostrum intellectum, *subdist.*: si sit proportionatum, *conc.;* secus, *neg.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq. Sol certe summe visibilis est, et nihilominus non est visibilis pro noctuae oculis, quibus non est proportionatum solare lumen. Simile quiddam accidere censendum est nostro intellectui: unde Aristoteles scripsit, sicut se habet noctuae oculus ad lumen solis, ita se habere nostrum intellectum ad manifestissima naturae, id est, ad summe in se intelligibilia.

Respond., **ad 2.^{um}** *distinguendo* eodem pacto primum membrum; si sit connaturale ac proportionatum, *conc.;* secus, *nego. Disting.* etiam Minor. Nihil magis perficere potest intellectum nostrum, quam Deus, discursive et abstractive cognitus, *conc.;* intuitive atque immediate visus, *subdist.*: in altera vita et ex dono supernaturali, *conc.*; in hac vita et connaturaliter, *nego.*

Respond. **ad 3.^{um}**, *dist.* antec.: entitative ac ratione immensitatis, *conc.*; objective et intentionaliter seu apte ad determinandam sui cognitionem, *nego*, quia non est proportionatus, sed superexcedens capacitatem nostram.

Objc. 2.° Quod est ratio cognoscendi alia, primum in se cognoscitur. Atqui Deus est ratio cognoscendi reliqua cuncta, utpote primum principium primaque veritas. Ergo.

Respond., *neg.* Minor., cujus probationis primum membrum *distinguo:* Deus est primum omnium principium in essendo, *conc.;* in cognoscendo, *subdist.:* pro se, *conc.*; pro nobis in hac vita, *neg. Distinguo* pariter alterum membrum; est prima veritas in ordine ontologico, *conc.*; in ordine cognoscitivo, *subdist.*: pro intelligentia infinita, *conc.;* pro nobis, *nego.*

Instabis. Ordo cognitionis respondere debet ordini reali, ut vera sit cognitio. Ergo res debent cognosci eo modo, quo sunt. Atqui non sic cognoscerentur, si quod est primum et aliorum causa, non primo cognoscatur, et caeterea per ipsum. Ergo...—**Respond.**, *dist.* antec.: ita ut res debeant cognosci tales, quales sunt in se ipsis, *conc.*; ita ut cognosci debeant chronologice, prout existunt, *neg.* Simili modo *disting.* primum conseq. Et *contradist.* Minor., *neg.* ultimum conseq.

Objic. 3.° Ideae universales habent objectivum valorem. Atqui non possunt habere, nisi exprimant Deum, vel certe archetypas ideas. Nam universalia prae se ferunt objectum necessarium, immutabile, infinitum, aeternum, qualis solus Deus est.

Respond., *dist.* Major.: quoad id quod iis exprimitur, *conc.;* quoad modum, quo exprimitur, *nego. Nego* etiam Minor. et probation. Quia necessitas et immutabilitas universalium non est quoad existentiam, sed quoad intelligibiles notas, nec infinitas secundum perfectionem notarumve comprehensionem, sed secundum extensionem ac praedicabilitatem de inferioribus; nec aeternitas est intelligenda positive, sed negative.

Objic. 4.° Nos certe habemus ideam infiniti. Atqui haec hauriri ex rebus finitis nequit. Ergo immediate ac directe acquirenda est.

Prob. Minor α) Finitum non potest praebere ideam, quam nullo modo continet. β) Finitum, utpote limitatio infiniti, ante infinitum cognosci nequit. γ) Si idea infiniti a nobis ex rebus creatis efformaretur, haberemus Deum quemdam a nobis inventum; et ex rebus finitis dependentem. δ) Si Deus ex rebus creatis cognosceretur, inferretur ope principii causalitatis. Atqui principium istud certo cognosci non potest nisi per intuitum Dei omnia producentis, nam ipsum in se demonstrari nequit sine petitione principii, quatenus supponitur dari aliquam causam vel rationem sufficientem rei demonstrandae.

Respond., *neg.* Minor. **Ad probation.** α) *disting.* assert.: quam nullo modo continet saltem tamquam medium *per quod*, necessario connexum cum infinito, ad cujus proinde cognitionem ducit, *conc.;* quam nullo modo continet formaliter inter suas notas vel tamquam medium *in quo*, *neg*. **Ad probation**. β *neg*. assert., neque enim notio finiti fundatur in praevia infiniti notione (1). **Ad probat.** γ) *dist*. 1.^{am} partem asserti: haberemus Deum a nobis inventum, id est, confictum, *neg*.; id est, cognitum labore nostro per argumentationem, *conc*. *Disting*. pariter 2.^{am} part.: haberemus Deum dependentem a rebus finitis quoad existentiam, *neg*.; quoad cognitionem, *subdist*.: ex imperfectione Dei, *neg*.; ex imperfectione intellectus nostri et summa Dei perfectione, *conc*. **Ad probat.** δ) *neg*. Minor., et probationem ejus, tum quia in primis principium causalitatis non eget directa demonstratione, cum sit immediate evidens (2); tum quia ut aliquid demonstretur, non debet supponi adesse *causa* rei ipsius demonstrandae, sed tantum ratio sufficiens, quae differt a causa, sicut etiam principium rationis sufficientis a principio causalitatis (3).

Instabis. Nulla est proportio inter finitum et infinitum, contingens et necessarium, mutabile atque immutabile. Ergo nequit Deus ex rebus creatis cognosci.—**Respond**., *dist*. antec. Nulla est proportio entitativa secundum gradum perfectionis, *conc*.; nulla est proportio habitudinis, *nego*, nam res creatae ac finitae, etc., sunt effectus infiniti, etc., ideoque important essentialem dependentiae relationem. *Distinguo* etiam conseq. Nequit Deus ex creatis cognosci quoad *an est*, *neg*.; quoad *quid est*, *subdist*.: perfecte et quidditative, *conc*.; imperfecte et abstractive, *neg*. (n. **306**).

Objic. 5.° Qui priora et simpliciora prius cognoscit, ille primo primum et simplicissimum cognoscere dicendus est. Atqui Deus est primum et simplicissimum; homo vero primo universalissima cognoscit (n. **336**), quae sunt priora et simpliciora. Ergo...—**Respond**., *disting*. Major. Qui priora et simpliciora simpliciter cognoscit prius, ille primo, etc., *conc*.; qui priora et simpliciora solum secundum quid vel in aliquo genere prius cognoscit, etc., *subdist*.: ille prius cognoscit primum et simplicissimum in illo genere, *conc*.; primum et simplicissimum absolute, *neg*. Et *contradist*. 2.^{am} partem Minoris. Homo cognoscit priora et simplicissima intra sphaeram sui objecti proportionati atque in ordine sensibilium, *conc*.; prius cognoscit absolute priora et simpliciora, *neg*.

Plura in opere fusiori, ubi etiam vindicatur vera mens SS. Augustini, Thomae ac Bonaventurae (4).

II.—Expenditur Malebranchianus ontologismus.

369. Multae sunt formae ac varietates ontologismi, ex quibus, cum necesse non sit, nec liceat nobis, brevitatis causa, omnes ad trutinam revocare, duas tantum tractandas assumimus, Malebranchianam et Giobertianam.

P. Nicolaus Malebranche statuit quatuor esse modos rem aliquam cognoscendi: α) immediate per se ipsam, β) per ideam γ) per conscientiam, δ) per conjecturam. Directe atque immediate solum Deum cognoscimus. Per conscientiam anima cognoscit se suasque modificationes. Per conjecturam cognoscuntur animae aliorum. Denique corpora per ideam, nempe per ideas Dei archetypas. Haec enim putavit Malebranche cognosci non posse per conscientiam, quia non sunt in ea; nec in se ipsis, quia deberet anima migrare extra se ipsam. Praeterea quinque modis possent corpora cognosci a nobis: 1.°, per ideas vel species ab ipsis immisas; 2.°, per ideas ab anima productas; 3.°, per ideas divinitus infusas; 4.°, ex eo quod anima in se contineat perfectiones omnes corporum, et sic, se respiciendo, illa quoque percipiat; 5.°, per unionem animae cum ente infinito, rerum omnium perfectiones et ideas continente. Atqui quatuor priores modi repugnant. Ergo restat, ut corpora cognosci a nobis nequeant nisi per ideas divinas (1).

---

(1) Cfr. Compend., volum. 2.^{um}, num. 209.

(2) Cfr. Compend., volum. 2.^{um}, num. 447.

(3) Cfr. Compend., volum. 2.^{um}, num. 444.

(4) Volum. 5.°, num. 330. Cfr. etiam quaedam dicta de ideis innatis (281) et alia in Theodicea dicenda de naturali visibilitate Dei; itemque difficultates in sequentibus paragraphis solvendae.

Notavit porro Malebranche rationes rerum intelligibiles esse necessarias et immutabiles, infinitas et universales. Unde conclusit rationem, quam in rebus cognoscendis respiciamus et consulamus, esse necessariam, immutabilem, infinitam, universalem, nempe Deum; contendit enim rationem hujusmodi aeternam esse ipsum Verbum divinum, intus illuminans omnes homines, ipsam Dei sapientiam quae sensibilem induit carnem, et facit nos cognoscere partem eorum, quae Deus clarissime videt.

Malebranchii asseclae: Cousin aliique. Aeternae hujus Rationis, quam nos intueamur, doctrina placuit etiam Cameracensi episcopo, Fenelonio. Eamdemque sententiam tenuit recentioribus temporibus sub nomine Rationis *spontaneae* et *impersonalis* Victor Cousin ejusque asseclae Damiron, Jouffroy, Jacques, Franciscus Bouiller aliique. Spontanea haec Ratio dicitur tria objecta confuse exhibere, subjectum cogitans, mundum et utriusque causam, Deum; eadem vero fit reflexa, cum animus in se reflectens, distinctius cognoscit, quae per spontaneam intellexerat. Contendit auten Cousin rationem istam spontaneam esse universalem et impersonalem, quia nullius hominis est propria, sed omnibus communis; prout vero reflexa est, esse personalem et unius cujusque propriam.

Huc spectat etiam moderatus ontologismus, qui retenta intuitione Dei, nempe divinorum attributorum et idearum archetyparum, in quibus omnia videamus, admittit cum Fenelonio directam singularium sensibilium in se ipsis cognitionem, quam negavit Malebranche. Unde secundum moderatos ontologos essentias quidem specificas in Deo, notas individuantes in se ipsis cognoscimus. Haec est sententia personati Sans-Fiel, Ubaghs, Brancherau, P. Cajetani Milone aliorumque.

370. Propositio 2.ª **Rejiciendus quoque est ontologismus Malebranchii et recentiorum asseclarum ejus.**

Prima pars probari posset, in primis, argumentis in praecedenti paragrapho factis contra ontologismum in genere; neque enim minus illa premunt Malebranchianam formam. Sed praeterea speciatim

Probatur 1.° Si omnia, et nominatim corpora, videremus in Deo, videremus etiam quae ad fidem spectant, quaeque scire necesse est ad salutem. Quorsum enim Deus patefaciat hominibus res corporeas ac temporaneas, celatis aliis longe majoris momenti, ob quorum mox ignorantiam pereant in aeternum? Ergo vel ea quoque quae ad Fidem spectant, in Deo videmus, vel non. Si videmus, inutilis foret revelatio apostolis facta et prophetis nec necessaria foret eorumdem praedicatio, neque explicari posset ignorantia istarum rerum vigens generatim inter homines, quibus divina revelatio per concionatores non est proposita. Si non videmus, falsum est, quod omnia videamus in Deo.

---

(1) Vide Malebranche, *Recherche de la vérité*, lib. 3, chap. 7.

Prob. 2.° Si divinas ideas intueremur, non minus spiritus, quam corpora, in illis videre deberemus, nam et illorum sunt in Deo ideae, ac certum est nos spiritus non in se ipsis, immo nec animam ipsam propriam, videre. Atqui tamen secundum Malebranche spiritus nonnisi per conjecturam cognoscitur, anima autem per conscientiam. Ergo systema istud arbitrarium est, nec sibi cohaeret.

Prob. 3.° Si corpora in ideis divinis cernuntur, cur non ab omnibus cuncta et semper et eodem modo videntur? Cur non omnibus essentiae illorum ac proprietates innotescunt? Et cur scientiarum naturalium periti diuturna molestissimaque inquisitione desudarunt, irrito saepe conatu, ut haec naturae arcana penetrarent?

Prob. 4.° Si omnia corpora videremus in Deo, supervacanei nobis forent sensus. Atqui quam sint necessarii sensus, perpetua docet experientia (n. **247**). Ergo...

Plura in alio opere, ubi etiam repelluntur quaedam responsiones hisce argumentis datae (1).

371. **Secunda pars** contra Malebranchii asseclas directa, probatur 1.° *adversus Cousinum*, quia Ratio illa impersonalis α) est contra experientiam cujusque, β) renovare videtur averroisticum commentum unius in omnibus intellectus, a Leone X in concilio Lateranensi V damnatum de quo inferius est agendum. γ) Ratio illa impersonalis, per quam omnes intelligunt, aut identificatur, et unitur cum anima hominum, aut non. Si identificatur, quomodo vitari pantheismus potest a Cousino, docente Rationem impersonalem esse illam *lucem, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (2)? Et quomodo uniri potest cum animabus loco separatis? Si non identificatur, nec unitur cum anima, quomodo cognitio nostra poterit esse immanens? Itemque quomodo Ratio ejusmodi reddi potest personalis et unicuique propria? δ) Illud quoque dissimulandum non est, essentias rerum in ideis universalibus relucentes, ex Malebranchiana sententia, esse necessarias, immutabiles, aeternas, infinitas (3). Cum vero universalia identificentur cum ideis archetypis Dei, secundum eumdem scriptorem, nonne pronum est exinde pantheismum inferre? ε) Denique tolerari nequit, secundum Fidem catholicam, simbolica illa dogmatis interpretatio, qua Verbum divinum eatenus duntaxat naturam humanam assumpsisse putandum sit, quatenus Ratio impersonalis, quae cum Verbo confunditur a Cousino, singulis hominibus uniatur, ut primas veritates per spontaneam cognitionem revelet.

2.° *Adversus moderatum ontologismum* notasse sufficiat, in eo retineri doctrinam Malebranchianam de visione divinarum idearum, et de universalium natura et de impossibilitate infinitum cognoscendi ex finitis. Unde quod concedat singularia posse in se ipsis cognosci, parum profecto est, nec sufficit ad purgandum ontologismum ab originali sua labe.

Argumentum, quo Malebranche probabat (n. **369**) corpora non posse cognosci nisi per ideas, facile solvitur. Corpora enim cognoscuntur per se ipsa, non eo modo quem illa imaginabatur, sed ut docent Scholastici; nempe corpora inmediate per suas sensibiles qualitates agunt in sensus, imprimendo speciem, et sic percipiuntur per sensus primum externos, ac deinde per internos, ac nominatim per imaginationem; postea vero, abstractis ex phantasmatibus per intellectum agentem speciebus, cognoscuntur ab intellectu possibili, prout jam declaratum est, et mox iterum explicabitur.

---

(1) Volum. 5.° num. 332, *Probatur prima pars.*
(2) *Joann.*, cap. 1, vers. 9.
(3) *Traité de l'infini créé*, pag. 51.

372. **Objic.** 1.° Deus non facit per vias difficiles, quod fieri potest per planiores. Atqui planissima et facillima via est, ut Deum per se ipsum, caetera in ipso cognoscamus, nam in eo sunt reapse cunctarum rerum ideae.

Respond., *trans.* Major, *neg.* Minor. Nam nequit planissimum esse, quod non est proportionatum intellectui nostro, et experientiae repugnat.

Objic. 2.° Ideae in mentem agunt. Sed nihil potest agere in mentem nisi Deus.—**Respond.**, *trans.* Major, *dist.* Minor.; directe atque immediate, *trans.;* indirecte ac mediate, *neg.*, nam etiam objecta corporea agunt in mentem medio corpore, cui est unita, et mediis sensibus. Ac post semel acquisita primas ideas, abstrahendo species a phantasmatibus, hae ipsae ideae possunt mentem excitare ad alias acquirendas.

Objic. 3.° Deus est ultimus finis hominis. Sed homo omnia vult propter ultimum finem. Ergo voluntas humana nihil amat nisi propter Deum, et consequenter intellectus nihil cognoscit nisi propter Deum prius cognitum.

Respond., *dist.* Major.: Deus est finis ultimus in re ipsa, *conc.;* in intentione et apprehensione hominis, *subdist.*: interdum *trans.;* semper, *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 4.° Dependentia hominis a Deo summa esse debet in essendo et cogitando. Atqui si quid praeter Deum esset lux intelligibilis, in qua res cognosceremus, dependentia nostra non esset tanta, quanta posset esse. Ergo Deus est lux intelligibilis, in qua omnia videamus.

Respond., *dist.* 2.^{am} part. Majoris. Dependentia nostra a Deo debet esse summa in cogitando, subjective, quatenus et virtus intellectiva, et concursus ad ipsum actum intellectionis a Deo est, *conc.*; objective, quatenus Deus esse debeat objectum, in quo prius cognito caetera videamus, *neg.* Et *transmissa* Minore, *neg.* consequens (1).

III.—Expenditur ontologismus Giobertianus.

373. Fundamentum omnis certitudinis, inquit Gioberti, et initium omnis cognitionis est in *visione ideali* vel intuitu *Ideae*, quae non est forma subjectiva mentis (id est, actus in mente receptus), sed ipsum verum absolutum et aeternum, nempe ipse Deus, qui proprie denominatur *Ens*, nam creaturae non sunt vocanda entia, sed *existentiae*. Itaque prima idea vel cognitio nostra, *primum psychologicum*, identificatur cum *primo ontologico*, seu primo Ente, et sic constituit *primum philosophicum*, seu id, unde principium sumit omnis nostra cogitatio. Quare systema hoc vocandum est *onto-*

---

(1) Quaedam alia in opere fusiore, volum. 5.°, num. 333. Cfr. etiam difficultates supra solutae, et in sequenti paragrapho solvendae.

logismus, per oppositionem ad *psychologismum*, qui sumit initium philosophandi non a *primo ontologico*, sed a *primo psychologico* seu a cogitatione internave affectione subjecti cogitantis.

Itaque intuitus Entis terminatur ad judicium illud, quod ipsum Ens menti praesens pronuntiat: *Ens est necessario*, vel: *Ego sum necessario*, circa quod judicium mens nostra non est judex, sed merus testis et auditor. Primus autem gressus in evolutione mentali est repetere, ope reflexionis, judicium istud objectivum ac divinum, quod in prima, directa et spontanea intuitione audimus, quod ut fiat, requiritur verbum. Caeterum Ens intuemur, prout est in se; in se autem est creans *existentias* seu creaturas. Ac proinde intuentes Ens, simul actum ejus creativum intuemur et res creatas. Et sic prima cognitio nostra, basis totius aedificii scientifici, est haec: *Ens creat existentias*, et creatio est medium, quo Ens tribuit creaturis intelligibilitatem, easque nobis manifestat per quamdam revelationem. Unde concludit Vincentius Gioberti, cuncta judicia nostra, primo illo excepto: *Ens necessario est*, esse judicia synthetica a priori, quia continent synthesim terminorum, non quidem subjectivam, qualis est Kantiana synthesis (n. **358**), sed objectivam, procedentem ab entis revelatione. Attributa demum divina cognoscuntur simul cum idea Entis per quamdam revelationem, nam non possunt illa deduci ex essentia divina, utpote quam non intuemur. Hujusmodi est prima et directa rerum cognitio, quae inde ab exordio vitae nobis adest, est tamen confusa; ea postea determinatur per reflexionem ope sermonis, qui circumscribit intuitum et conceptum primitivum, ac variis modis successive explicatur. Et haec reflexa explicatio intuitus entis constituit Philosophiam (1).

374. PROPOSITIO 3.ª **Non minori absurditate laborat ontologismus, prout a Gioberti propugnatus.**

Prob. 1.° Quidquid in hoc systemate asseritur de intuitione entis, nec constat experientia, nec ullo idoneo argumento probatur sive a priori sive a posteriori. Ergo rejiciendum est. Antec. patet, quia nemo est inter mortales, qui talem intuitionem in se experiatur; rationes vero, quibus systema fulcitur, nullius prorsus sunt momenti.

Prob. 2.° Statuit Giobertius necessitatem sermonis ad exercendam reflexionem supra intuitum Entis, hujusque ideam circumscribendam. Atqui ostensum est sermonem non esse necessarium sive ad reflexionem, unde sequatur evolutio mentis, sive ad circumscribendam ideam. Sane vel cognoscitur vis verborum vel non. Si non cognoscitur, nihil possunt illa circumscribere. Si cognoscitur, jam supponitur idea circumscripta (n. **363**).

Prob. 3.° Prima basis et fundamentum scientiae debet esse evidentissimum. Atqui tale non est principium istud: *Ens creat existentias*.

Prob. 4.° Primum ejusmodi principium debet esse necessarium, ac valere pro omnibus sive existentibus sive possibilibus. Atqui praedictum principium non est necessarium, sed contingens, utpote pendens a libera voluntate Dei, nec valet nisi pro existentibus. Ergo... (2).

---

(1) Vide Gioberti, *Introduzione allo studio della filosofia*, vol. 1.°, cap. 3; volum. 2.°, cap. 1.°

(2) Quaedam alia in opere fusiori, volum. 5.°, num. 335. Huc

375. **Objic.** 1.° Ratio entis plene ac prius est in Deo, a quo reliqua omnia, quidquid habent, participant in gradu limitato. Ergo rectus ordo postulat, ut prius Deus cognoscatur, et per ipsum reliqua omnia.

Respond., *conc.* antec., *dist.* conseq.; rectus ordo, id est, perfectissimus, qualis decet ens perfectissimum, *conc.;* ordo proportionatus et possibilis cuilibet enti creato, *neg.*

Objic. 2.° Nihil vere cognosci potest sine eo, quod ad essentiam ejus pertinet. Atqui ad essentiam cujuslibet entis finiti pertinet ejus dependentia a Deo. Ergo impossibile est vere cognoscere creaturas nisi cum dependentia a Deo, ac proinde prius cognoscendo Deum.

Respond., *dist.* Major.: nihil potest vere cognosci, etc., neque etiam inadaequate et incomplete, *neg.;* adaequate et complete, *trans. Disting.* etiam Minor. Et dependentia a Deo est attributum, quod illico in ente finito cognoscitur, *neg.;* quod cognoscitur per discursum post alias de eadem re cognitiones prius habitas, *conc. Disting.* primum membrum consequentis eodem modo ac antecedens, alterum omnino *nego.*

Objic. 3.° Primum quod mens nostra percipit, est ens ut sic. Atqui ens ut sic non potest esse nisi ens primum et summum. Ergo... **Prob. Minor.** Creaturae eatenus sunt, quatenus rationem entis ut sic participant, et quidem in gradu limitato. Atqui ratio entis, quam sic participant creaturae, quin illam exhauriant, est ipsum summum et primum ens. Ergo...

Respond., *trans.* Major., *neg.* Minor. Probationis Majorem *disting.*: Creaturae eatenus sunt, quatenus participant in gradu limitato rationem entis ut sic, secundum extensionem vel praedicabilitatem illius ideae, *conc.;* secundum comprehensionem notarum, *neg.* Ens enim ut sic est simplicissimum omnium, unicam habens notam intelligibilem, cujus comprehensio minima est, maxima extensio. Quare nihil magis distat ab ente summo et primo, Deo, quam ens ut sic (1).—Quaedam alia in opere fusiori (2).

ARTICULUS VI

Systema aristotelico-scholasticum de origine idearum.

376. **Systema scholasticum huc revocatur:** α) cognitio nostra incipit a sensibus, et perficitur in intellectu, ita ut ideae non efformentur ab illis, sed ab hoc tantum. β) Ad omnem cognitionem, sive sensibilem sive intellectualem, requiritur concursus objecti, qui generatim praestatur media specie intentionali, sive sensibili sive intellectuali, quae complet ac determinat potentiam cognoscitivam ad objectum cognoscendum. γ) Species intelligibiles non sunt innatae, nec ab ipsis objectis cognoscendis immediate productae, sed abstrahuntur ex phantasmatis ope intellectus agentis, quae virtus

---

etiam afferri possent quaedam contra Malebranchium et ontologismum in genere allata.

(1) Cfr. Compend., volum. 2.^{um}, num. 20.

(2) Volum. 5.°, num. 336. Cfr. etiam difficultates superius solutae in hoc articulo.

quaedam activa est. δ) Hisce actuatus speciebus intellectus, qui dicitur possibilis, et est virtus cognoscitiva, illico primas ideas elicit, et prima pronuntiat principia. ε) Postea vero applicando primas istas cognitiones ad subjectam materiam, intellectus ope reflexionis, attentionis, comparationis, analysis et synthesis, inductionis ac multiplicis ratiocinii reliquas omnes ideas ac scientias acquirit, ita tamen ut immateriales substantias et Deum non possimus, prout sunt in se ipsis, conceptu stricte proprio cognoscere (1).

377. Propositio. **Systema scholasticum circa originem idearum nostrarum caeteris omnibus anteponendum est, atque omnino tenendum.**

Prob. 1.° Ut systema hoc caeteris praeferatur, tria requiruntur, ac sufficiunt: α) ut nihil contineat absurdi, β) ut omnium illorum, ad quae declaranda inventum est, reddat commode rationem: γ) ut nullum aliud sit systema, quod vel non repugnet, vel aeque bene rem explicet. Atqui tria haec in aristotelico-scholastico systemate verissima sunt.

Prob. Minor. per partes: α) *Systema scholasticum nihil continet absurdum vel repugnans aliis principiis certis,* quia singulae partes ejus probatae manent in superioribus. β) *Commode reddit rationem eorum omnium, ad quae declaranda inventum est.* Nam omnia explicat eo pacto, quo reapse locum habere conscientia cuivis testatur, sive 1.° dependentiam intellectus et idearum nostrarum a sensibus sive 2.° initium et processum cognitionum, sive 3.° spiritualium et divinarum rerum intellectionem, sive 4.° limites naturales nostrarum idearum consideres. γ) Denique *nullum aliud systema de origine idearum perhibetur, quod aut non repugnet, aut aeque bene rem explicet,* ut jam vidimus in hoc eodem capite. Quaedam enim peccant defectu, vel non agnoscendo potentiam essentialiter sensu perfectiorem, ut sensismus, vel non requirendo species intelligibiles, sed adaequatam cognoscendi virtutem in sola potentia reponendo, ut idem sensismus et systemata cartesianum et leibnitzianum; alia autem excessu, vel admittendo species innatas, vel sermonis necessitatem vel intuitionem Dei necessariam ad mentis evolutionem reputando. Solum systema nostrum mediam tenet viam, nihil superfluum admittens, nihil omittens necessarium.

Prob. 2.° Systema scholasticum caeteris praeferendum est, si singulae illius partes probantur verae, nam id de nullo alio dici potest. Atqui ita se res habet. Ergo.

Prob. Minor. partes: α) *Quod cognitio nostra incipiat, et perficiatur in intellectu* (2) superius probatum reliquimus: primum quidem, cum dependentia intellectus a sensu materiam ministrante demonstraretur (n. **242, 246**), alterum vero cum demonstratum est dari potentiam in nobis, quae universalia et immaterialia, relationesque attingit, judicat et ratiocinatur (n. **179, 243**), siquidem hisce praecipue continentur ideae nostrae, nihilque eorum pertinet ad sensus. β) *Necessitas concursus objecti ad cognitionem* sive per se, sive media specie fuse vindicata est (n. **254** seqq.). γ) *Species innatas non esse* (n. **281**), *sed a phantasmatibus abstrahi per intellectum agentem* cum instrumentali eorumdem concursu (n. **283, 286**) est omnium hac in re probabilissima hypothesis. δ) *Quod intellectus possibilis receptis speciebus intelligibilibus primas deas eliciat*, per se innotescit. Nam est potentia necessaria, et plene constituitur in actu primo proximo per praedictas species: quare nihil jam exspectare debet, ut actu intelligat. Quia vero ab imperfectioribus ad perfectiora procedit, prius elicit simplices apprehensiones, et mox prima principia producit determinatus ex evidentia rationum in simplici apprehensione relucentium (n. **224**). Et hoc pacto primum videtur communissimas entis et attributorum ejus in rebus sensibilibus assequi (n. **318**) (1) ε) *Denique reliquas ideas et scientias mens nostra comparat ope ratiocinii, applicando prima principia ad subjectam materiam.* Nam pauca sunt judicia immediata, quae intellectus noster ex terminorum intuitione pronuntiat. Sed cum ingenium a natura nactus sit curiosum, et passim occurrant phaenomena attentionem excitantia, reflectit, et considerat, relationes detegit, et sic comparationes, analysim et synthesim instituit, judicando et ratiocinando ex primis et universalissimis notionibus entis, substantiae et accidentis, causae et effectus, etc. Si jam ordinem quaeras, quo ideae diversorum objectorum evolvuntur, quamquam ex educatione ac vitae adjunctis possit esse varietas in diversis hominibus, naturalis tamen et spontaneus processus hic esse videtur, ut primum comparetur notitia mundi, nempe corporeorum objectorum, nam haec illico incurrunt in oculos: deinde succedat cognitio proprii subjecti, praesertim quoad animam, cujus cognitio requirit multiplicem reflexionem in se suosque actus et majorem judicii maturitatem (n. **309**); ac tandem gradus fiat ex creatis ad cognitionem Dei (n. **306**), de quo tamen, praecisa revelatione ac traditione vel educatione, non multa possunt generatim homines assequi cognoscendo (2). Caeterum, quod Deum et spirituales substantias in hac vita non cognoscamus per species et conceptum stricte proprium (n. **315**), demonstratum est supra.

---

(1) Cfr. Zamboni in *Bollettino di Gnoseologia*, Rivista di Filosofia Neo-scolastica, t. 14 (a. 1922); pag. 404-426.

(2) S. Thom., 1 p., quaest. 84, art. 6; *de verit.*, quaest. 1, art. 11 initio; quaest. 10, art. 6.

---

(1) Cfr. Compend., volum. 2.um, num. 28, 62, 67, 71, 97, 340, *Prob.* 3.°, 446, 447.

(2) Haec fusius evoluta legi possunt in opere fusiori, num. 338.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

378. Si cognitio nostra inciperet a sensibus, vel ex sensibilibus acciperetur, sensibilia reapse gignerent cognitionem nostram. Atqui hoc absurdum est, et cognitiones restringeret ad ordinem corporeum et sensibilem. Ergo...—**Respond**., *disting*. Major.: tamquam causa adaequata gignerent sensibilia cognitionem, *neg.;* quia potentia in cognoscendo non se habet mere passive; tamquam causa inadaequata, *subdist.*: gignerent cognitionem sensibilem, *trans.;* intellectualem, *nego*, tum quia inest virtus activa intellectus agentis speciem abstrahens, tum quia post primas cognitiones, habitas circa sensibilia, intellectus ratiocinando multa alia intelligit modo jam satis declarato.

Objic. 2.° Objectum intellectus est *quod quid est*, seu quidditas rei. Sed quidditas rei nequit a sensu percipi. Ergo cognitio nostra a sensu non incipit. Praeterea intellectus percipit etiam immaterialia. Atqui haec abstrahi nequeunt ex sensibilibus, cum in illis non contineantur. Ergo ..

Respond. ad primum, *conc.* Major., et *neg.* conseq., quia argumentum non probat cognitiones nostras non *inchoari* a sensu, sed solum non in eo *consummari*, quod verisimum est. **Respond. ad secundum**, *neg.* Minor., cujus probation. *disting*. Immaterialia, quae talia sunt solum praecisive (1), non continentur in sensibilibus *neg.*, nam praedicata entis, substantiae, causae, etc., aeque conveniunt corporeis et incorporeis, sensibilibus et insensibilibus. Immaterialia positive vel spiritualia non continentur in sensibilibus, *subdist.*: formaliter instar rationum, quae de illis praedicentur, *conc.*; virtualiter, quatenus inferri ratiocinando possint ex illis, *neg.* Et *neg.* conseq.

Objic. 3.° Si mens cognitionem acciperet a sensibilibus, pateretur ab illis. Atqui mens pati non potest a sensibilibus, quia nobilior est illis, patiens autem ignobilius est agente. Ergo...

Respond., *dist.* Major. Si mens cognitionem acciperet a sensibilibus, immediate in se recipiendo speciem et impressionem, pateretur, *conc.*; secus, *neg.* Objecta enim materialia solum agunt immediate in sensum, atque adeo in compositum organicum; in mentem autem non agunt nisi mediate, nimirum per sensationem offerendo materiam et objectum in phantasmate, unde ipse intellectus abstrahit speciem. *Contradist.* Minor., ad cujus probation., *conc.* Major., *dist.* Minor. Patiens ignobilius est agente, saltem secundum quid et qua tale, vel quatenus patitur aut recipit ab illo (2), *conc.;* semper et absolute ac simpliciter, *neg.*

Objic. 4.° Docente S. Augustino, *non est expectanda sinceritas veritatis a corporeis sensibus* (3). Alibi autem docet mentem nostram de corporalibus judicare secundum rationes incorporales et aeternas, quales non possunt esse illae, quae ex sensibilibus accipiuntur.—**Respond**., *neg.* conseq. Sensus primi testimonii, interprete S. Thoma (4), est, quod non sit a sensibus *totaliter* expectanda sinceritas veritatis; nihil vero obstat, quominus inchoative valeat expectari.

Quod vero ad alterum attinet, de corporalibus judicat mens nostra secundum rationes immateriales et aeternas negative duntaxat, quales sunt generatim universales: hae vero possunt etiam ex sensibilibus abstrahi.

---

(1) Cfr. Compend., volum. 2.^{um}, num. 1.
(2) Cfr. Compend., volum. 2.^{um}, 450.
(3) In libro *Octoginta trium quaestionum*, quaest. 9, in princip.
(4) 1 p., quaest. 84, art. 6, ad 1.^{um}

379. Nota.—Hodie origo ideae religiosae multum agitatur. Haec quaestio ad apologeticam pertinet: at siquidem in ethnologia quoque proponi solet, breviter solutionem accipe.

«Si religionem definimus cum S. Thoma ordinem ad Deum, Dei cultum (2, 2.^{a} q. 81, a 1, et ad 1.^{um}), aut cum S. Augustino: modum cognoscendi atque colendi Deum» (*de util. cred.* 12, 27), religio radicata est in natura integra hominis et in profundo naturae. Intime connectitur cum ratione, voluntate, veritate ideali, norma practica moralitatis, phantasia, sensu, et in religione assequitur homo plenam veritatem, normam moralitatis, pacem animi, robur cordis, lucem intellectualem, omnem perfectionem. Sensus exhibendo aspectum mundi corporei cum vicissitudinibus et cum armonia legum, cum eventibus quae potentiam hominis excedunt, cum imminentibus periculis vitae et ipsa experientia mortis. Ratio cum originem mundi et hominis quaerit eamque invenit reponendam in divina creatione: haec dependentia hominis a Deo et mundi totius qua rationaliter recognita fundamentum praebet ontologicum obedientiae et cultui Deo debitis; vox conscientiae moralis legem naturalem imponens, tota denique natura et ordo socialis, totus denique homo Deum clamat adorandum et colendum.

Errant ergo qui metum naturae, sacerdotum ignorantiam et impositionem, ignorantiam populi, magiam, fetichismum, metum mortuorum, idealismum practicum et subjectivum ut originem religionis proponunt. Ideo nequit dari gens sine religione: neque quaestiones religiosae possunt esse indifferentes sive bonis sive malis.

DISPUTATIO V

DE UTROQUE HOMINIS APPETITU ELICITO

Postquam cognitiones earumque potentias consideravimus, restat iam appetitiones earumque potentias investigare.

CAPUT I

OBJECTUM GENERATIM APPETITUS ELICITI

380. Quamquam objectum appetitus eliciti dici solet bonum per cognitionem propositum; duplex tamen distingui potest in appetitu actuum genus: alterum *prosecutionis*, alterum *aversionis*. Actus prosecutionis est praecipuus, ac positive se habens, vi cujus appetitus accedit ad objectum, appetendo vel amando illud; actus aversionis aut fugae est secundarius et negative se habens, vi cujus appetitus refugit objectum. Actus ergo prosecutionis tendunt ad bonum, actus fugae recedunt a malo; et hoc posterius genus consequenter se habet ad primum, quia potentia tendens ad bonum, nequit se habere indifferenter respectu mali, quod bono contrariatur

sed debet illud refugere. Caeterum quando bonum dicitur esse adaequatum objectum appetitus, sermo est de actu prosecutivo.

ARTICULUS I

De objecto adaequato appetitus.

381. Propositio. **Objectum adaequatum appetitus eliciti est bonum cognitum, prout tale, ita ut malum, qua tale, nequeat appeti, sed refugi.**

Prebatur, quia perperam constituta esset natura illa, quae non suam perfectionem, sed perniciem vel detrimentum quaereret. Atqui bonum, utpote conveniens subjecto, est ejus perfectio, malum vero imperfectio et detrimentum. Ergo appetitus non potest malum, qua tale, appetere, sed refugere (1). *Malum*, inquam, *qua tale*, quia malum cognitum ut bonum potest appetitus quaerere; neque id demonstrat potentiam male ordinatam, sed tantum fallibilem ac limitatam.

Est porro appetitus objectum aliquid cognitum ut bonum, tum quia in hoc differt appetitus elicitus ab innato; tum quia experientia ipsa novimus nos nihil actu distincto appetere, nisi quod bonum et conveniens hic et nunc proponatur. Unde manavit proloquium: *Nihil volitum, quin praecognitum*, vel: *Ignoti nulla cupido.*

Caeterum alias ostensum reliquimus (2), appetitus objectum esse bonum non qualecumque, sed bonum aliquo modo ipsius appetentis. Ex quo tamen non inferas, amorem benevolentiae confundi cum amore concupiscentiae; nam licet uterque tendat in bonum proprium appetentis, amor tamen concupiscentiae vult commodum appetentis ut physice condistincti ab aliis, amor autem benevolentiae vel amicitiae vult bonum alterius, qui solum moraliter est aliquid appetentis, nempe titulo proportionis, vel amicitiae vel similitudinis (3).

382. Colliges 1.° Sicut appetitus non potest amare malum, ita nec odisse bonum *qua tale* (4). 2.° Objectum penitus indifferens, seu in quo nulla penitus reluceat ratio boni, non potest appeti. 3.° Circa objectum impossibile non una est sententia, utrum appetitu possit; et sermo est de appetitu rationali vel voluntate. Dicendumque videtur voluntatem non posse rem impossibilem appetere affectu *absoluto* vel *simpliciter efficaci*, posse autem affectu simplici *inefficaci* et *merae complacentiae*, immo et affectu *conditionate* efficaci, vel, ut alii loquuntur, affectu subjective absoluto, objective conditionato. Quae omnia exposita et probata videri queunt in opere fusiori (5).

---

(1) Cfr. Compend., volum. 2.^{um}, num. 139, 140.
(2) Cfr. Compend., volum. 2.^{um}, num. 141.
(3) Lossada, *De anim,*, disp. 7, cap. 3, num. 62.
(4) Cfr. Compend. vol. 2.^{um}, num. 139.
(5) Volum. 6, num. 5-9.

ARTICULUS II

De necessitate atque influxu cognitionis in appetitionem.

Diximus objectum appetitus eliciti esse bonum praevie cognitum. Videndum jam est, quomodo ejusmodi bonum in appetitionem concurrat. Et quia in bono cognito duo distingui possunt, cognitio et bonum in ea relucens, de utroque dicere oportet,

I.—Quomodo influat in appetitionem objectum appetibile vel bonum apprehensum.

383. Dubitatur, utrum sicut objectum vel per se vel media specie concurrit efficienter cum potentia ad cognitionem (n. 254), concurrat etiam simul cum appetitu ad ejus actum. Plures cum Henrico Gandavensi, Gregorio Ariminensi et Gabriele Biel concedunt bono efficientiam physicam appetitionis; longe tamen communior sententia cum S. Thoma (1) bono cognito solam assignat finalem causalitatem (2), tota physica efficientia relicta potentiae appetitivae. Itaque

384. **Dicendum est bonum concurrere ad appetitionem in genere causae finalis**. Non enim intelligitur, quid possit bonum causare physice efficienter in actu appetitionis. Nam efficientia ejusmodi vel exerceretur immediate ab ipso objecto bono, vel mediate media virtute vel qualitate potentiae impressa instar speciei, quae ad cognitionem concurrit. Atqui efficientia objecti utrolibet modo supervacanea prorsus est. Sane concursus objecti ad cognitionem necessarius est, quia haec est similitudo et imago objecti, quae non potest exprimi sine peculiaribus coloribus et lineamentis, quae non possunt aliunde advenire, quam ex ipso objecto. At appetitio non habet rationem imaginis, sed tendentiae versus objectum. Ergo ad eam sufficit inclinatio vel propensio potentiae ad suum objectum. Atqui propensio haec inest ex sese potentiae appetitivae. Ergo non indiget efficientia sibi superaddita, ut ad bonum feratur. *Haec est differentia*, inquit S. Thomas, *inter intellectum et voluntatem, quod intellectus sit in actu* (in ratione principii adaequati) *per hoc, quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem* (speciem impressam); *voluntas autem fit in actu, non per hoc quod aliqua similitudo voliti sit in voluntate, sed ex hoc quod voluntas habet quamdam inclinationem in rem volitam* (3).

Finalis porro causalitas non habet rationem actionis, sed cujusdam suavis illecebrae, sympathiae, vel invitationis, quae dicitur *motio quaedam metaphorica*, prout suo loco declaratum reliquimus (4).

---

(1) 1 p., quaest. 82, art. 4. Cfr. *de verit.*, quaest. 22, art. 12

(2) Cfr. Compend. volum. 2.^{um}, num. 496.

(3) S. Thom., 1 p., quaest. 27, art. 4.

(4) Cfr. Compend. volum. 2.^{um}, num. 496. Vide, si lubet, opus fusius volum. 6, num. 9, ubi etiam inquiritur, utrum appetitus sit potentia passiva.

i.—Quanta sit appetitus eliciti dependentia a cognitione.

385. **Status quaestionis et sententiae.** Quod naturaliter nequeat appeti bonum incognitum, convenit apud omnes, exceptis quibusdam scriptoribus de re mystica, qui opinari videntur, in *via unitiva* etiam naturaliter dari amorem Dei absque praevia cognitione. Utrum autem per omnipotentiam Dei ferri appetitus possit in bonum incognitum, controvertitur: affirmant multi cum Paludano, Gregorio Ariminensi, etc., quae doctrina tribuitur quoque S. Bonaventurae (1) ac Gersoni (2). Longe tamen communior opinio negat cum Suarez (3), Valentia (4), prout tenent Thomistae, Scotistae ac nostrates frequentissimi, et supponitur, atque insinuatur a S. Thoma (5).

386. PROPOSITIO 1.^{a} **Appetitus elicitus ne per divinam quidem virtutem potest in incognitum ferri.**

Probatur. Appetitus nequit etiam divinitus amare sine motivo vel ratione amandi. Atqui sic amaret, si ferretur in incognitum. Ergo...

Major constat, quia objectum, quod per potentiam attingitur, adaequate dividi solet in materiale ac formale. Formale amatur propter se; materiale autem propter formale. Nullum ergo est objectum, quod sine motivo attingatur.

Minor vero probatur. Voluntatem creatam movet bonum non efficienter, sed in genere causae finalis (n. 384). Sed causa finalis non causat nisi ut cognita. Nam sicut se habet existentia physica ad causandum efficienter, ita existentia intentionalis, seu cognitio, ad finalizandum; nam bonum quod non cognoscitur, perinde est, ac si reapse non existeret, sicut e converso bonum cognitum, etsi a parte rei non existat, jam pro appetitu existit, et appetibilitatem habet. Atqui causa non potest physice efficere, nisi existat (6). Ergo nec bonum causare ut finis, nisi cognoscatur.—Caeterum ratio haec probat cognitionem necessariam esse, non solum ut appetitus inchoet actum, sed etiam ut in eodem perseveret.

387. **Objic.** 1.° Cognitio tandem non est nisi mera conditio, ut objectum voluntatem moveat ad actum. Aqui conditio suppleri potest a Deo, ut patet v. g., in applicatione ignis ad comburendum. Ergo...

Respond., *dist.* Minor.: Aliqua, *conc.*; omnis conditio, *neg.* Et *neg.* conseq. Duratio et existentia nequeunt suppleri a Deo etiam in eorum sententia, qui eas distinguunt realiter ab essentia, ideoque putant esse meras conditiones. Simili modo praemissae etiam secundum eos, qui non esse causas, sed conditiones, ad conclusionem inferendam arbitrantur (7), non possunt suppleri.

Objic. 2.° Ita fertur appetitus innatus in bonum reale, sicut elicitus in bonum apprehensum. Sed innatus ferri potest in bonum reale non actu existens, sed possibile, ut cum materia appetit formam possibilem. Ergo et elicitus ferri potest in bonum non actu, sed potentia duntaxat cognitum.

---

(1) Tract. *de mystic. Theolog.; Itinerar.*, cap. 7.
(2) In *Alphabeto* 66, litt. O; et tract. *de mystic. Theolog.*
(3) *Metaphys.* disp. 23, sect. 7, num. 6; et In 1.^{am} 2.^{ae}, tom. 4, *de voluntario et involuntar.*, disp. 6, sect. 4. *De oratione mentali* c. 13.
(4) Im 1.^{am} 2.^{ae}, disp. 2, quaes. 4, punct. 1.
(5) S. Thom., 1. 2.^{ae}, disp. 2, quaes. 4, punct. 1.
(6) Cfr. Compend., volum. 2.^{um}, num. 465 468.
(7) Cfr. Compend., volum. 1.^{um}, num. 460.

Respond., *dist.* Major.: Ita fertur appetitus innatus in bonum naturaliter assequibile, sicut elicitus in bonum apprehensum, *conc.;* ita fertur innatus in bonum reale actu existens, sicut elicitus, etc., *neg.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq. Connaturale enim objectum appetitus innati non est praecise actu existens, sed sive existens sive naturaliter possibile. Unde comparatio appetitus eliciti respectu boni apprehensi non est instituenda cum innato, considerato solum respectu boni actu existentis.

Objic. 3.° Visus potest divinitus videre colorem non existentem vel actu praesentem. Ergo et appetitus amare bonum incognitum; non enim minus requiritur ad visionem existentia coloris, quam ad amorem cognitio boni.—**Respond.**, *neg.* conseq. et parit., nam ad visionem actualem sufficit species, quae profecto suppleri a Deo potest; contrarium autem ostendimus de appetitu respectu cognitionis.

Objic. 4.° Amor, saltem in multorum sententia, consistit in qualitate absoluta; eam vero Deus solus posset efficere nulla praevia cognitione, ac voluntati imprimere, sicut diximus probabiliter de verbo (n. 203). Ergo potest voluntas bonum non cognitum amare.—**Respond.**, *neg.* conseq., quia cum denominatio amantis postulet vitalem processum ab ipsa voluntate, amor a solo Deo productus non posset voluntatem denominare amantem (1).

ARTICULUS III

Utrum cognitio influat instar causae, an vero instar conditionis, in appetitionem.

388. **Opiniones.** Cognitionem efficienter influere in appetitionem voluere post Durandum ac Nominales Paulus Soncinas, Medina, Fonseca, Molina et Salas. Longe vero communior opinio, quam tuentur Scotistae, Thomistae ac frequentissime nostrates cum Suarez (2), Vazquez, Rubio, Lossada (3) et aliis multis solam concedunt cognitioni rationem conditionis, aut etiam moralem quemdam influxum instar cujusdam exhortationis.

389. PROPOSITIO 2.ª—**Cognitio non influit efficienter in actum appetitus vel voluntatis, sed tantum instar conditionis proponentis bonum, quod per modum finis movet ad appetitionem.**

Probatur. Non sunt multiplicandae virtutes et influxus sine necessitate. Atqui nulla est necessitas asserendi efficientem influxum cognitioni respectu appetitionis. Nam ad actu appetendum non requiritur nisi ex parte objecti ratio boni allicientis potentiam in genere causae finalis (n. 384). Atqui primum horum habet potentia ex sese, alterum vero sufficienter praestat non praecise ipse actus cognitionis subjective spectatus, sed ratio boni in ea relucens. Ergo...

---

(1) Cfr. opus fusius, volum. 6.°, num. 12.

(2) *Metaphys.* disp. 23, sect. 8, num. 10, disp. 18, sect. 4, num. 5; *de anim.*, lib. 5, cap. 3; et In 1.^{am} 2.^{ae}, tract. *de voluntar. et involuntar.*, disp. 6, sect. 6.—*De Gratia*, l. 3, c. 17, num. 7.

(3) *De anim.*, disp. 7, cap. 4, num. 75 seqq.

Quaedam aliae probationes ex absurdis deductae videri possunt in alio opere (1).

390. Objic 1.° Amor specificatur a cognitione, siquidem ex hujus varietate variatur illa. Ergo dependet a cognitione tamquam a causa. Atqui non tamquam a causa materiali et formali, ut per se patet; nec tamquam a finali, quia cognitio ipsa subjective spectata non est bonum, quod appetitus intendit. Ergo tamquam a causa efficienti. Quod videtur diserte docuisse S. Thomas illis verbis. *Appetibili* **non accidit** (est accidentale) *esse* **apprehensum** *vel* **intellectum** *sed* **per se** *ei convenit. Nam appetibile non movet appetitum, nisi quantum apprehensum. Unde potentiae appetitivae* (sensitiva et rationalis) *distinguuntur secundum differentiam apprehensorum, sicut secundum propria objecta* (2).

Respond., *dist.* antec. Cognitio specificat amorem ut *quod*, vel ut per se causans illum, *neg.*; ut *quo* vel per modum applicationis reddentis bonum in ea relucens proxime aptum ad specificandum sic aut aliter, *conc.* Et *neg.* conseq. Hoc enim sufficit, ut saepe varietur amor vel actus appetitus ex varietate cognitionis, quin haec per se influat; quia cognitio repraesentat bonitatem objectivam diversam aliquatenus, vel si eamdem, saltem diversimode applicat eam nunc clarius, nunc obscurius: unde fit ut ipsa ratio objectiva boni diversimode moveat sicut idem ignis pro diversa applicatione potest diversimode in effectum influere (3). Quod vero S. Thomam attinet, sensus satis patet, quia apprehensio vel cognitio ibi sumi potest objective pro bono aprehenso. Alibi vero scribit diserte, quod *intellectus movet voluntatem sicut praesentans ei objectum* (4). Cujus testimonii vis et per se perspicua est, et declaratur magis ex aliis, in quibus cognitioni respectu appetitionis vel intellectui respectu voluntatis causalitatem et motionem duntaxat finalem tribuit (5).

Objic. 2.° Non minus pendet actus voluntatis ab actu intellectus, quam judicium ab apprehensione, conclusio a praemissis. Atqui et judicium ab apprehensione (n. **211**) et conclusio a praemissis (6) efficienter pendet. Ergo... Similiter non minus pendet appetitio a cognitione, quam electio ab intentione finis. Atqui electio pendet ab intentione finis effective. Ergo...

Respond. primum, *neg.* Major., quia pro effectiva causalitate apprehensionum in judicium et praemissarum in conclusionem militant speciales rationes, quarum hic nullae satis idoneae afferuntur.

Respond. ad secundum, *neg.* probabilius Minorem, quia intentio finis non videtur in electionem influere physice, sed solum ut causa moralis: qualis influxus potest etam tribui cognitioni respectu appetitionis, ut conceditur a multis hujus sententiae assertoribus.

Quaedam alia in opere fusiori, ubi etiam nonnulla argumenta theologica explicantur (7).

---

(1) Volum. 6.°, num. 14.

(2) S. Thom., 1 p., quaest. 80, art. 2, ad 1.^{um} Cfr. 1, 2.^{ae}, quaest. 30, art. 3, ad 2.^{um}

(3) Vide Lossada, *Physic.*, tract. 2, disp. 2, cap. 3, num. 17.

(4) 1. 2.^{ae}, quaest. 9, art. 1 fin.

(5) Vide S. Thom., *de verit.*, quaest. 22, art. 12; et 2; 1 p., quaest. 82, art. 4, 2.^{a} 2.^{ae}, quaest. 26, art. 2, ad 1.^{um} Et lege opus fusius nostrum, volum. 6, num. 15, in respons ad *Objic. 1.°*

(6) Cfr. Compend. volum. 1.^{um} num. 461.

(7) Volum. 6.°, num. 15. Hic etiam prae oculis habendus est error eorum qui *cognitiones-vires* (ideas-fuerzas) ponunt. Cfr. Ugarte de Ercilla, *Razón y Fe*, t. 47, pag. 359-362.

ARTICULUS IV

Utrum actus appetendi et volendi sit qualitas absoluta.

391. **Affirmativa responsio probabilior videtur**, *sicut* statutum supra est de verbo (n. 183). Nam appetitiva potentia terminum aliquem immanentem appetendo producit, siquidem appetitio est exercitium activitatis potentiae illius: repugnat autem exercitium activitatis sine termino. Atqui terminus productus a potentia appetitiva est actus appetitionis. Ergo (1)...

Minor probatur, quia hujusmodi terminus non est substantia, sed accidens, nempe qualitas; haec vero qualitas, non apparet, quid possit esse nisi ipse actus appetendi, prout in simili docuimus de verbo (n. 183) (2): quae enim ibi dicta sunt, huc transferri valent ob analogiam et paritatem rationum.

CAPUT II

DE APPETITU SENSITIVO

Appetitus sensitivus est ille, qui sensibilem consequitur cognitionem, seu potentia, qua in bonum sensibus propositum fertur anima, vel a malo refugit. Vocatur etiam *sensualitas* accepta voce in latiori et non malo sensu, itemque appetitus *animalis*, utpote sensationem consequens, qui gradus vitae specificus est animalium.

ARTICULUS I

Objectum appetitus sensitivi.

392. Objectum appetitus sensitivi generatim sumpti, ac prout praescindit ab irascibili et concupiscibili, est bonum (et consequenter malum (n. **380**) sensibile vel cognoscibile per sensum, sive externum sive internum (3), ideoque concretum et singulare. Et probatur, quia cum appetitus sensitivus consequatur sensum, aeque late patere debet utriusque objectum. Ergo quidquid cadere sub sensum potest sub aliqua ratione boni, potest etiam appetitu sensitivo appeti. Cum autem bonum dividatur in honestum, delectabile et utile (4)

---

(1) Vide ita diserte docentem Thomam, *de potent.*, quaest. 9, art. 9; et 1 p., quaest. 27, art. 3; quaest. 37, art. 1.

(2) Cfr. opus. fusius, volum. 6.°, num.

(3) Vide S. Thom., 1.° *dist.* 48, quaest. 1, art. 4; 3.° dist. 26, quaest. 1, art. 2; 1, 2.ae quaest. 1, art. 2; ad 3.um; quaest. 19, art. 3.

(4) Cfr. Compend. volum. 2.um, num. 148.

Bonum delectabile est praecipue objectum appetitus sensitivi. **Utile** non appetitur formaliter *qua tale*, quia sensus non potest rationem utilis, utpote relationem importantem, cognoscere, sed tantum materialiter; nempe appetit bona *quae* sunt utilia, sicut avis ex instinctu colligit paleas ad nidificandum. **Bonum denique honestum,** stricte ac proprie sumptum per se non potest attingere, quia honestum ejusmodi importat id quod decet personam ratione utentem, ideoque superat capacitatem sensus. Dixi *per se*, quia in homine multi putant ex redundantia et directione rationis posse appetitum istum in bonum honestum ferri. Hinc etiam

Finem appetere non potest sensitivus appetitus formaliter qua talem, sed tantum materialiter.—Ut jam proprius declaretur, quali cognitione proponendum sit appetitui bonum sensibile, sit

393. Propositio. **Ad movendum appetitum sensitivum requiritur et sufficit cognitio sensitiva non tamen qualiscumque, sed ea duntaxat, quae practica est, vel repraesentat objectum ut bonum hic et nunc conveniens, vel ut malum ac noxium.**

Prima pars patet, quia si appetitus sensitivus sequitur apprehensionem vel cognitionem, requirit, et satis habere debet cum cognitione sui ordinis, nempe cum sensatione. Idemque probatur exemplo brutorum animantium, quae non habent nisi cognitionem sensitivam. Mediate tamen

Potest excitari ex intellectuali cognitione motus in appetitu sensitivo ex doctrina S. Thomae, et quidem bifariam: α) primo quia dum intellectus universaliter apprehendit bonum, potest illud sensus percipere singulariter et concrete: β) quia existente intellectione boni, potest per quamdam redundantiam, aut etiam imperium voluntatis, inferior appetitus commoveri. Et hoc altero modo ipsa bona spiritualia possunt sensitivum appetitum excitare (1): quod spectat illa regii Psaltis sententia: *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum* (2).

Secunda pars probatur. Ad movendum enim appetitum ea cognitio requiritur, quae objectum proponat capax illum alliciendi, et propterea practica dicitur. Atqui sola cognitio, repraesentans bonum ut hic et nunc conveniens subjecto, est ejusmodi. Nam cognitiones exhibentes rem solum v. g. ut coloratam, vel rotundam, vel magnam, etc., per se sunt pure speculativae, nec capaces exercendi causalitatem finalem respectu appetitus (3). Quare quamquam sanctus Thomas aliquando scripsit appetitum moveri posse non solum ab aestimativa in brutis vel cogitativa in homine, sed etiam ab imaginatione et sensu externo (1); saepe tamen alias docuit, quod

---

(1) Vide S. Thom., 1, 2.^{ae} quaest 30, art. 1, ad 1.^{um} Cfr. 3 p., quaest. 21, art. 2, ad 1.^{um}

(2) *Psalm.* 83, vers. 3.

(3) Vide S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 1, cap. 72, *Praeterea forma*, 1.^{ae}, quaest. 9, art. 3, ad 3.^{um}

Appetitus non movetur externa sensatione nec imaginatione, donec accedat judicium (virtuale nempe, nam formalis nullus sensus (n. **172**) est capax) **aestimativae aut cogitativae** (2). Eademque est Doctoris Eximii sententia (3). Ratio est, quia solum aestimativae ac cogitativae proprium est objectum aestimare ut hic et nunc conveniens vel nocivum; sensus vero externi non referunt rationes hujusmodi *insensatas*, sed solum qualitates sensibiles, quod etiam de imaginatione dicendum est.

Adverte tamen distinctionem inter appetitionem et modificationem subjectivam gratae vel injucundae sensationis (4).

ARTICULUS II

Organum appetitus sensitivi.

394. Variae sententiae. Controversiam aggredimur, quae in multas distraxit opiniones doctorum virorum animos. Ut omittamus eos, qui pro variis affectibus varia assignarunt organa, frequentissima fuit inter veteres sententia decernens cor esse organum appetitus sensitivi. Alii sedem appetitus non in corde, sed in cerebro reposuerunt: quod senserunt plures Scotistae multique nostrates inde a P. Petro Hurtado. Quare perperam hujus opinionis origo, sive gloriosa sive probrosa, tribuitur Cartesio (5), quandoquidem multo ante quam Cartesius edidisset opus, inquo hanc traderet doctrinam (6), eamdem docuerant PP. Petrus Hurtado, Arriaga aliique, nempe primus anno 1615, alter 1632, P. Franciscus Alphonso 1639, P. Franciscus Oviedo 1640, et PP. Mastrius et Pontius saltem 1643. Inter recentiores adhuc perdurant istae duae sententiae: pro corde militant inter alios Perrone, Tongiorgi, Van der Aa, Vallet, Le Roy, Ramière, Bucceroni, pro cerebro praeter Physiologos multi graves Philosophi ac Theologi, ut cl. Mendive, cl. Boedder, Bernardus Jungmann. Tertia opinio est recentiorum, qui organum affectuum volunt esse systema ganglionare vel magnum sympathicum (n. **15**), sive solum, ut velle videtur P. Joannes Joseph Jungmann, sive simul, cum nervo pneumogastrico, quemadmodum opinantur PP. Castelein et Ramière, Castellá et Andreas Martorell, ac Rev. Dom. Leroy, ex quorum sententia, sicut quamvis sedes et organum sensationis est generatim in systemate cerebro-spinali, tamen externae sensationes non eliciuntur nisi in ea parte nervorum, quae terminatur, et quasi efflorescit in organa periphaerica (n. **131**), simile quiddam dicendum est de appetitu eum videlicet situm esse atque exerceri praecipue in nervis magni sympathici, qui cor complectuntur, ubi notum est systema istud habere plexus et ganglia nervorum, unde innumera filamenta proficiscuntur, ut cor quaquaversus pervadant. Et sic cor, ratione istorum nervorum, vere dici debet organum, saltem praecipuum, appetitionis, quamvis minus praecipua dici possint viscera, seu variae partes abdominales, quae nervis sympathicis et ipsae perlustrantur. Quare tertia haec sententia reapse est prima illa veterum stans pro corde, ut ultro fatentur ejus assertores, quamvis magis explicata et determinata secundum inventa recentioris Physiologiae. Alia demum est sententia cl. Surbled ac Doctoris Courmont, arbitrantium cerebellum (n. 15) esse appetitus organum. Sola haec sententiarum varietas satis ostendit de re agi non parum incerta, ideoque potius quam dogmatizare oportunum est normas tradere quibus investigatio scientifica apte dirigatur. Hae autem regulae sunt:

---

(1) 1., quaest. 81, art. 3, ad 3.^{um}

(2) 2.° dist. 24, quaest. 2, art. 1 et 2; *de anim.*, lib. 3, lect. 4 fin.; 3.° dist. 17, quaest. 1, art. 1, ad 2^{um}; 1^{ae}, 2. quaest. 9, art. 1, ad 2.^{um}

(3) *De anim.*, lib. 15, cap. 4.

(4) Cfr. Sentimientos elementales, in Lindworsky, Psicologia experimental (trad. pag. 183-197).

(5) In suo opere *Les pasions de l'ame*, art. 33.

(6) Vide *(Oeuvres philosophiques de Descartes*, par L. Aimé Martín, pag. 421 in nota (1), ubi cartesianum opus scriptum circa 1646 typis editum anno 1649 scribitur.

1.ª Totus apparatus circulatorius et respiratorius ob nervos sympathicos et parasympathicos est organum manifestativum appetitionis sensitivae. Hae manifestationes ut melius agnoscantur sunt plures hodie apparatus, cardiographi, plethysmographi, pneumographi, esfigmographi etc., de quibus consule Psychologias experimentales.

2.ª Organum vero elicitivum appetitionis sensitivae debet habere has conditiones: debet esse apparatus proprius omnis et solius animalis; intime connexus cum apparatu sensoriali interno etiamsi diversus ut diversus est actus appetitionis ac sensus interioris; conjunctus biochimice saltem cum nervis sympathicis ad emotionum manifestationes; connexus quoque cum centris motoribus nerveis. Atqui hae omnes conditiones optime quadrant texturae neuroglicae cerebrali; ergo probabilis est conjectura neurogliam constituentem organum appetitus sensitivi.

Resolutio tamen quaestionis invenienda est ex Physiologia comparata et ex Psychiatria.

Connexio hujus doctrinae, sedem affectuum in corde reponentis, cum cultu SSmi. Cordis Jesu videri potest in fusiori opere, ubi etiam notatur Ecclesiae sapientia, quae ita caute ac prudenter locuta semper est, ut nihil hac in re circa philosophicas vellet opiniones definire (1).

ARTICULUS III

Quotuplex appetitus sensitivus et ejus actus.

395. **Celebris est divisio potentiae appetitivae** atque actuum ejus in *concupiscibilem* et *irascibilem:* quorum primus nomen accepit a *concupiscentia* vel desiderio, qui est manifestissimus inter actus concupiscibilis (2), alter vero ab ira, quae pariter manifestissima est

---

(1) Ibid., num. 25.
(2) S. Thom. 1. 2.ae, quaest. 25, art. 2, ad 1.um

passio vel actus appetitus irascibilis. Verum circa istam divisionem quaedam occurrunt dubia. Et primo quidem

I.—Utrum appetitus recte dividatur in concupiscibilem et irascibilem.

396. Propositio 1.ª **Appetitus recte dividitur in concupiscibilem et irascibilem.**

Prob. 1.° auctoritate omnium Scholasticorum, sive Theologorum sive Philosophorum, et aliorum multorum, quae sola sufficit ad probabilem reddendam hanc divisionem.

Prob. 2.° Bonum, in quo appetitus objectum constituitur, objici potest eidem vel ut simpliciter tale, vel ut septum difficultatibus, quae illius obstant assecutioni. Atqui primum istorum objectorum respicit concupiscibilis; alterum irascibilis appetitus. Ergo... Et quoniam appetitus primario tendit in bonum, actu nempe prosecutivo, et consequenter in malum, actu aversativo (n. **380**); concupiscibilis et irascibilis respectu mali sic distinguuntur, ut ille quidem malum respiciat simpliciter ut inconveniens, irascibilis autem ut repellendum ac propulsandum (1). Unde etiam dici solet concupiscibilis objectum esse bonum *delectabile* secundum sensum, et munus ejus appetere commoda, refugere incommoda; irascibilis autem objectum esse bonum *arduum* (2), et munus ejus bona concupita defendere, mala repellere, atque ulcisci.

397. **Actus appetitus concupiscibilis** sex numerantur, *amor* et *odium*, *gaudium* vel *delectatio* et *tristitia*, vel *dolor*, *desiderium* et *fuga* vel *abominatio:* quorum tres, ut vides, circa bonum, tres alii circa malum versantur. Amor est actus appetitus circa bonum absolute consideratum, praescindendo ab ejus praesentia vel absentia; et similiter odium versatur circa malum. Gaudium vel delectatio versatur circa bonum actu praesens vel possessum; et e converso tristitia vel dolor circa malum, quod actu vexat, vel praesens est. Desiderium respicit bonum at futurum; fuga vero malum futurum vel jam impendens. Rationem divisionis egregie reddit P. Gregorius de Valentia (3), eamque reperies etiam apud S. Thomam (4). Plura de his in fusiore opere videri queunt.

398. **Irascibilis appetitus quinque sunt actus**, *spes* ac *desperatio*, *audacia*, *timor*, *ira*. Spes, sive ratione rei in se, sive ratione periculi et incertitudinis arduitatem habet. Desperatio ob boni obtinendi vel mali vitandi difficultatem facit despondere animum. Audacia nititur contra magnitudinem ac difficultatem operis aggrediendi. Timor respicit malum difficulter superabile. Ira demum, licet interdum excitari possit ob malum vel injuriam re ipsa non magnam, semper tamen videtur supponere, saltem in apprehensione, indignitatem

---

(1) Vide S. Thom. 1 p., quaest. 81, art. 2. Cfr. *de verit.*, quaest. 25, art. 2; 1. 2.ae, quaest. 23, art. 1; *Ethicor.* lib. 2, lect. 5, paragr. *b.*

(2) S. Thom., *de verit.*, quaest 25, art. 2.

(3) In 1.am 2.ae, 3, disp. 3, quaest. 1, punct. 2. Cfr. Suarez, *de anim.*, lib. 5, cap. 5, num. 2.

(4) 1. 2.ae, quaest. 23, art. 3.

quamdam vel molestiam non tolerandam. Ratio hujus quoque divisionis videri potest apud P. Valentia (1).

I.—Utrum appetitus concupiscibilis et irascibilis realiter differant.

399. **Variae sententiae.** Thomistae communiter cum S. Thoma (2) aliisque veteribus Scholasticis, immo et SS. Patribus (3), quibus adhaerent quidam Scotistae et e nostratibus cardin. Toletus, Valentia, Joannes de Salas, Azor, Conimbricenses et alii, tenent concupiscibilem et irascibilem esse duas virtutes appetitivae potentiae re distinctas. Solum ratione distingui contendunt multi Scotistae, atque ex nostris PP. Suarez, (4) Hurtado, Compton, Oviedo, Franciscus Alphonso, Lossada (5), aliique. Neutra opinio argumentis nititur, quae rem evincant, prima vero auctoritate praevalet, ideoque ut probabilior defendi potest.

400. PROPOSITIO 2.ª—**Concupiscibilis et irascibilis appetitus videntur esse duae virtutes realiter distinctae.**

Prob. 1.º Potentiae specificantur, ac distinguuntur per objecta formalia. Atqui formalia objecta istorum appetitum multum inter se discrepant. Nam aliud est bonum simpliciter tale ac prout delectabile, et aliud arduum ac defendendum insurgendo contra obstacula. Immo vero bonum, quatenus arduum, potius retrahit ab actu appetitus concupiscibilis.

Prob. 2.º Potentiae recte quoque distinguuntur ex diverso modo operandi ac tendendi in objectum (Cosmol. n. 361 in fine). Atqui concupiscibilis et irascibilis habent diversum tendendi modum Nam concupiscibilis est magis passivus, magis activus irascibilis; ille tendit in bonum uniendo se illi per affectum, in malum vero fugiendo aut subcumbendo, at irascibilis fertur in utrumque resistendo malis, expugnando impedimenta, et obviam occurrendo adversariis. Unde etiam est contrarietas quaedam inter utrumque appetitum, quia saepe irascibilis se ad agendum excitat contra tendentiam concupiscibilis, et passiones unius etiam impediunt passiones alterius, ut cum amor, v. g., suffocat iram, vel ira vicissim compescit amorem (6).—Quaedam difficultates solutae videri queunt in alio opere (7).

Quod si quaeras, uter appetitus sit perfectior, variae sunt auctorum sententiae. S. Thomas censet irascibilem esse digniorem ac superiorem concupiscibili, primo propter quamdam excellentiam objecti, qualis est victoria de adversantibus reportanda (1); deinde quia irascibilis in operando magis accedit ad rationem et voluntatem (2). Non tamen omnes actus vel passiones irascibilis sunt perfectiores actibus vel passionibus concupiscibilis, ut declarari solet agendo de passionibus.

---

(1) Loc. nup. cit. Cfr. opus nostrum fusius, volum. 6, num. 30.

(2) 1. p. quaest 81, art. 2; 1. 2.ae, quaest. 23, art. 1; *de verit.*, quaest. 25, art. 2; *de anim.*, lib. 3, lect. 14; *Ethicor.*, lib. 2, lec. 5, etcetera.

(3) Apud Suarez, *de anim.*, lib. 3, cap. 4; et Conimbricenses, *Ethicor.*, disp. 6, quaest. 1, art. 2.

(4) *De anim.*, lib. 5, cap. 4, num. 3.

(5) *De anim.*, disp. 5, cap. 4, num. 126, 127.

(6) Vide S. Thom., 1 p. quaest. 81, art. 2.

(7) Volum. 6, num. 39.

II.—De passionibus.

401. **Notio passionis.** Passio quamvis interdum sumatur latius pro quavis mutatione vel receptione cujuslibet formae etiam perficientis absque ulla corruptione vel alteratione, alias vero proprie significat receptionem formae, quae alterationem importat et corruptionem praecedentis (3); cum tamen sermo est de appetitu, sumitur communiter pro actu ejusdem, ac definiri solet cum Damasceno *motus appetitivae virtutis sensibilis ex imaginatione boni vel mali* (4), aut etiam appetitus sensitivi ex apprehensione boni vel mali cum aliqua corporis mutatione. Ratio vero appellationis fundari videtur in transmutatione organica, quae actum appetitus sensitivi comitatur praesertim in corde, ut constat experientia, et confirmatur ex communi sensu Philosophorum Theologorumque post S. Paulum (5) et Patres Ecclesiae (6). Unde conclusit Angelicus, rationem passionis magis proprie inveniri in appetitu sensitivo, quam sive in voluntate, cujus actus, utpote spiritualis, nullam potest importare organicam transmutationem, sive etiam in ipsa cognitione sensitiva, in qua per se non requiritur nisi transmutatio propria speciei impressae nec accidit magna organica alteratio, nisi cum potentior aut violentior recipitur ex objecto impressio (7).

Et haec quidem dicta sint de passionibus in sensu philosophico, nam constat vulgo non omnes actus appetitus sensitivi vocari passiones, sed tantum intensiores, quas proinde distinguit vulgaris sensus a suavioribus affectibus. Et ita etiam recentes Physiologi distinguunt istos leniores affectus, quos *emotiones* appellant a passionibus.

402. **Quod divisionem passionum attinet**, non una fuit veterum sententia, praevaluit tamen illa superius tradita (n. **395**) in passiones concupiscibilis et irascibilis appetitus, nam passiones tandem non sunt nisi actus vel motus appetitus sensitivi. Illae vero undecim passiones, nimirum sex concupiscibilis et quinque irascibilis, (n. **397-98**) sunt tantum passiones vel motus appetitus sensitivi *capitales*, quia sub illis continentur aliae subordinatae, prout cum de singulis agitur, notari solet (8).

---

(1) S. Thom., *Ethicor.* lib. 2, lect. 5, paragr. *b*.

(2) S. Thom., *De verit.*, quaest. 25, art. 2.

(3) Cfr. Compend., volum. 3.^{um}, num. 160.

(4) S. Joann. Damasc., *De Orthodoxa Fide*, lib. 2, cap. 22.

(5) *Roman.*, cap. 7, vers. 5, in quem locum lege S. Joannem Chrysost.

(6) Vide S. August. *(de civit Dei*, lib. cap. 4). (*In Math.*, cap. 5 et 26), S. Joann. Damasc. (loc. nuper cit.), S. Gregor. Nyssen. *De resurrection et anim.*, ante medium).

(7) Vide S. Thom., 1. 2.^{ae}, quaest. 22, art. 2 et 3; *de verit.*, quaestio 26, art. 3.

(8) Vide S. Thom. (1. 2.^{ae}, a quaest. 26), Valentia (loc. cit.), Suarez, tract. *de passionibus*, disp. 1), etc.

403. Subjectum passionum est appetitus sensitivus, quia sunt affectiones vel motus organici ut ex ipsa earum definitione eruitur. Quare in voluntate licet sint affectus objective similes, nempe amor, odium, spes, desperatio, etc., non sunt tamen nec dici possunt passiones, quia illa est potentia inorganica incapax transmutationis, quam passio importat (n. **401**); nec in ea requiruntur virtutes re diversae ad eliciendos affectus partis irascibilis et concupiscibilis, sed sufficit una virtus altior, sicut sufficit una virtus cognoscitiva omnium objectorum sensibilium, quae per diversas virtutes sensitivas cognoscuntur (1).

Ordo passionum sive ratione generationis, sive ratione perfectionis ac dignitatis, sive ratione oppositionis et contrarietatis, videri potest in opere fusiori (2). Alia vero quae disputari de passionibus possent ad moralem disciplinam amandanda sunt. Id unum addam, quod vel ipsa experientia docet, passiones multum pendere a complexione ac dispositionibus corporis immo et ab aetate, sexu, nutritione aliisque adjunctis: unde alii aliis sunt propensiores passionibus.

ARTICULUS IV (3)

An et quo pacto appetitus sensitivus moveat voluntatem, ab eaque vicissim moveatur.

Experientia ipsa ostendit voluntatem saepe ab appetitu sensitivo moveri, eumdemque movere; quo autem id pacto fiat scitu dignum judico.

I.—Quo pacto appetitus voluntatem moveat.

404. Quod voluntatem appetitus moveat, dubitari nequit, cum videamus saepe nos passionum motibus ad sensibilia objecta inclinari et ad peccatum etiam pertrahi (3). Si autem quaeras quomodo id fieri possit, cum S. Thoma

Dicendum est 1.° *appetitu moveri voluntatem, non per se ac directe, sed indirecte.*

Probatur. Per se ac directe illa potentia movet aliam quae natura sua ordinatur ad illam regendam vel constituendam in actu. Atqui non ita se habet appetitus respectu voluntatis.

Major declaratur simul, et probatur. Ita dicitur sensus, nempe imaginatio, per se movere intellectum quia praebet phantasmata ex quibus et eorumdem concursu, abstrahendae sunt species intelligibiles, sine quibus non valet intellectus intelligere.

---

(1) Cfr. opus fusius, volum. 6.°, num. 65, *Circa bonum et malum...*

(2) Volum. 6.°, num. 33-36.

(3) Hic articulus logice postponi deberet in capite 3.° Hic supponimus existentiam voluntatis ut demonstratam ejusque spiritualitatem.

(4) Cfr. S. Paulus, *Galat.* cap 5, vers. 17; *Roman.* cap. 7, versum 23; *S. Jacob.* epist. cathol., cap. 1, vers. 14.

Minor probatur, quia voluntas non movetur ad actum nisi per propositionem boni factam ab intellectu; aliunde vero per se ad voluntatem, utpote potentiam superiorem, spectat potius movere appetitum, quam e converso (1). Porro

405. **Indirecte movet appetitus voluntatem**, quia passio efficit, ut objectum certo quodam modo proponatur voluntati, unde moveatur haec ad actum: quamdiu enim durat passio, testante experientia, ita afficitur homo, ut saepe apprehendat objectum ceu bonum et conveniens vel malum et inconveniens hic et nunc, quod longe aliter judicaret, si liber esset ejusmodi passione, quia videlicet passio impedit, ne ratio rem rite ac serene consideret. Idque S. Thomas docet fieri tripliciter. α) Per *quamdam distractionem* aut *abstractionem*, quia cum omnes potentiae ab eadem radice animae procedant, quo intensius operatur passione appetitus sensitivus, eo magis remittitur, vel etiam totaliter impediri potest, motus voluntatis (2). β) *Per contrarietatem*, quia plerumquae passio inclinat ad contrarium illius, quod ratio universalis dictat; et sic in forti passione constitutus inducitur ad judicandum in hoc casu particulari contra dictamen generale rationis (3). γ) *Ligando rationem* per inmutationem corporalem passione inductam, fere sicut somnus et ebrietas, quadam corporali transmutatione facta, ligat usum rationis; unde etiam quidam ob amoris vel irae vim in insaniam conversi sunt (4).

Caeterum quando voluntas ex passione inducitur ad peccandum, dicitur peccare *ex infirmitate;* quia infirmitas animae est non posse ratione duci quod maxime accidit in aestu passionum (5) Quae cum ita sint, plane vides, quantum valeat ad voluntatem in officio continendam passionum mortificatio et sensuum custodia.

II.—Quo pacto moveatur appetitus a voluntate.

406. **Dicendum 2.° est** *appetitum sensitivum moveri a voluntate, illique subdi non* **despotice**, sed **politice**.

Prima pars probatur 1.° experientia, quia voluntas saepe compescit motus passionum, inclinando etiam appetitum ad contrarium. 2.° Ratione. Quia certum est adesse pugnam inter appetitum rationalem et sensitivum. Ergo ne homo sit natura quaedam inordinata et monstrosa, debet posse constitui ordo inter ejus appetitus per rationabilem subjectionem. Atqui nullus alius rectus ordo esse potest, nisi ut voluntas seu appetitus rationalis dominetur sensitivo, et hic illi obediat; quia id postulat cum ordo ipse perfectionis, tum excellentia et universalitas cognitionis intellectualis, quam sequitur voluntas.

Probatur secunda pars, quae continet modum loquendi Scholasticorum post Aristotelem (6). *Dicitur enim despoticus principatus*, quo

---

(1) Vide S. Thom., *de verit.*, quaest. 3, art. 10; et quaest. 22, art. 9, ad 6^{um}; 1. 2.^{ae}, quaest. 77, art. 1.

(2) S. Thom., 1. 2.^{ae}, quaest. 77, art. 1. et 2. Cfr. *de malo*, quaest. 3, art. 9, in medio.

(3) S. Thom., *de malo*, loc. nup. cit.

(4) S. Thom., 1. 2.^{ae}, quaest. 77, art. 2.

(5) S. Thom., *De malo*, quaest. 3, art. 9.

(6) *Politicor.*, lib. 1, cap. 3.

aliquis principatur servis, qui non habent facultatem resistendi imperio praecipientis, quia nihil sui habent. Principatus autem politicus et regalis dicitur, quo aliquis principatur liberis, qui etsi subdantur regimini praesidentis, tamen habent aliquod proprium, ex quo possunt remiti praecipientis imperio (1), et sic reguntur hortatu, suasionibus et consiliis aliisque mediis moralibus. Atqui appetitus sensitivus saepe renititur, et recalcitrat adversus imperium voluntatis, nec flectitur nisi adhibitis mediis moralibus. Ergo appetitus sensitivus non despotice, sed politice duntaxat regitur a rationali. Caeterum rem hanc experientia ipsa demonstrat.

Ratio vero idem probat; quia appetitus movetur ad actum propositione objecti. Ergo ab ea potentia moveri debet, quae proponere ipsi objectum queat. Atqui voluntas id praestare potest. Ergo voluntas movere appetitum valet morali modo, qualis est objecti propositio. Caeterum voluntas proponit objectum non immediate per se, quia non est potentia cognoscitiva, sed per rationem et interventu sensus interni. Voluntas enim avertendo cogitationem ad alia, ut vividior objecti sensibilis imaginatio sopiatur, vel certe obscuretur, et imperando rationi, ut consideret rei turpitudinem, damna secutura, personae atque officii adjuncta, etc., in causa esse potest ex illa intima necessitudine, qua tenentur ejusdem subjecti potentiae, cur sensus internus, phantasia et aestimativa aliter jam apprehendat, et judicet objectum ac antea, unde concupiscentia illius mitigetur, ac defervеat, et sic appetitus imperio rationis subdatur. Caeterum radicem rebellionis appetitus sensitivi contra voluntatis imperium S. Thomas repetit non ex virtute animae, sed ex dispositione corporis (2).—Quaedam alia in opere fusiori (3).

III.—Appetitus sensitivus in homine libertate polleat.

407. Sermo est de libertate, quae intrinsece et ex se conveniat appetitui, non autem solum per participationem a libertate voluntatis. Qua de re singularis fuit opinio card. Cajetani, tribuentis appetitui hominis sensitivo libertatem propriam et intrinsecam; contra quem stant uno agmine omnes Philosophi ac Theologi, solam largientes libertatem participatam et externam. Itaque

408. Dicendum 3.° est, *appetitum sensitivum in homine habere quidem libertatem participatam, non autem propriam et intrinsecam.*

Prima pars constat 1.° ex praecedenti propositione. Nam appetitus sensitivus, quamvis politice, subjicitur tamen voluntatis imperio. Atqui voluntatis imperium liberum est. Ergo appetitus, imperium ejusmodi sequens, libertatem participat, se duci sinendo ad unum vel aliud. 2.° Idemque patet experientia; quia saepe ira vel concupiscentia, etc., per voluntatis imperium compescitur, alias magis inflammatur. Ergo libere intenditur passio, vel remittitur, aut etiam sopitur, non utique intrinseca libertate, ut statim probabitur, sed libertate voluntatis, cujus imperio regitur.

---

(1) S. Thom., 1 p., quaest. 81, art. 3, ad 2.^{um}
(2) S. Thom., 1. 2.^{ae}, quaest. 17, art. 7.
(3) Volum. 6.°, num. 42.

Secunda pars probatur 1.° Appetitus sensitivus per se et ex intrinseca ratione sequitur cognitionem sensitivam, a qua regulatur (n. 393). Atqui appetitus sequens sensitivam cognitionem nequit liber esse; quia libertatis radix, ut suo loco probabitur, est in judicio indifferenti atque adeo universali, quale profecto non competit sensationi.

Prob. 2.° Appetitus sensitivus hominis intrinsece et ex se convenit cum appetitu animalis. Atqui appetitus animalis caret libertate. Ergo...

Prob. 3.° Si appetitus sensitivus esset ex sese liber in homine, posset peccare independenter a voluntate ac contra ipsam voluntatem in suis motibus divinae legi contrariis: unde posset homo simul peccare ac mereri, si appetitus turpe objectum concupisceret, respueret voluntas. Atqui hoc absurdum est.—Quaedam alia in opere fusiori (1).

CAPUT III

DE APPETITU RATIONALI SEU DE VOLUNTATE

ARTICULUS I

Quotuplex appetitus tribuendus homini.

409. Non est sermo de appetitu innato, qui rebus quoque cognitione carentibus inest, sed de elicito, qui cognitionem sequitur (2).

Propositio. **Praeter appetitum sensitivum, omni animali communem, inest homini alter rationalis realiter distinctus et ab illo et ab omni potentia cognoscitiva, qui voluntas nominatur.**

Prima pars. *Duplex inest homini appetitus, sensitivus et rationalis,* constat α) fide divina, β) experientia et γ) ratione. Namque. α) *Caro* **concupiscit** *adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem; haec enim sibi invicem adversantur* (3). Praeterea, teste conscientia, saepe bona sensibilia corpusque delectantia concupiscimus, ut cibos, ludos, etc., saepe alias bona spiritualia, ut virtutem, beatitatem. Atqui priora ad sensitivum, posteriora pertinent ad appetitum rationalem. γ) Ratio vero est, quia appetitus est quaedam cognoscitivae potentiae sequela naturalis, hominem propellens ad petenda vel refugienda ea, quae ut bona et convenientia vel ut mala et noxia proponit cognitio, ideoque spectat ad rectam humanae naturae constitutionem. Ergo pro vario cognitionis genere vel ordine varius debet inesse appetitus. Atqui duplex est in homine genus cognitionis, sensitivum et intellectivum. Ergo et duplex appetitus.

---

(1) Volum. 6.°, num. 44.

(2) Cfr. Compend. volum. 2.^{um}, num. 136.

(3) S. Paulus ad *Galat.*, cap. 5, vers. 17. Cfr. *Roman.*, cap. 7, vers. 15, 35. Nihilominus funestissimus vir, Cartesius, ausus est scribere (in suo tract. *de passionibus*, art. 47) *errorem* esse *imaginari,* quod adsit pugna inter partem inferiorem et superiorem vel rationalem hominis, inter appetitum sensitivum et voluntatem.

Praeterea homo est verum animal. Atqui omni animali sensitivus competit appetitus (n. **48**). Ergo et homini debet competere. Sed est animal rationale, aliunde vero praecipua bona hominis, qualia sunt spiritualia, cadere in sensum nequeunt, sed solo intellectu percipiuntur. Ergo necesse est agnoscere pro hujusmodi bonis alium appetitum praestantiorem, nempe rationalem.

Secunda pars de distinctione utriusque appetitus inter se, constat α) experientia, ex lucta utriusque, quam omnes eheu! passim experimur; β) ex diversitate formalium objectorum seu bonorum (1); γ) ex diversitate ac distinctione potentiarum cognoscitivarum, quibus respondent; δ) ex eo quod appetitus sensitivus sit organicus, rationalem autem esse inorganicum, statim probabitur.

Quod appetitus isti ab anima realiter distinguantur, in Cosmologia probatum reliquimus (n. 361). Demum quod a potentiis cognoscitivis distinguantur, probatur tum ex diversitate formalium objectorum tum ex diverso modo attingendi illa; siquidem cognoscitivae attingunt objectum apprehendendo illud seu trahendo ad se per repraesentationem in imagine, appetitivae autem transferendo sese ad illa per quemdam impulsum.

Tertia pars de nomine non eget probatione, cum sensus communis conveniat in tribuendo appetitui rationali denominationem voluntatis. Appetitus vero sensitivus vocatur a S. Thoma *sensualitas*, non quidem in sensu restrictiori, quo saepissime sumitur pro appetitu sensitivo inordinato, sed in sensu latiori (2).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

410. **Objic. 1.°** Propositio nostra supponit, in omni cognoscente dari appetitum. Atqui hoc verum non est in Deo. Nam appetere indigentis est, et carentis bono, quod appetit. Talis vero imperfectio dedecet Deum.

Respond., *conc.* Major. *neg.* Minor. ad probation. *disting.* Major. Appetere indigentis est interdum, *conc.*; semper et essentialiter, *neg.* Multi enim sunt actus appetitus, et nonnulli eorum, ut desiderium, v. g., versantur circa bonum, quod non possidetur; alii autem, ut amor, gaudium versantur, vel versari possunt, circa rem praesentem ac possessam: unde etiam Deo inest voluntas.

Objic. 2.° Ad ea quae communia sunt animatis et inanimatis non requiritur potentia a substantia distincta. Atqui appetere convenit communiter animatis et inanimatis; immo vero quaelibet potentia, ipsis cognoscitivis non exceptis, appetit suum objectum. Ergo non datur specialis potentia appetitus.—**Respond.**, *trans.* Major., *disting.* 1.am partem Minoris: appetere appetitu naturali vel innato convenit, etc., *conc.;* appetere appetitu elicito, de quo hic est sermo, *neg.* Et simili modo *disting.* 2.am part. Minor., ac *neg.* conseq.

---

(1) Cfr. Compend. volum. 2.um, num. 230.

(2) S. Thom., *de verit.*, quaest. 25, art. 1, init. Cfr. 1 p., quaest. 81, art. 1.

Objic. 3.° Per appetitum tendimus in bonum nondum possessum. Atqui in omni cognoscente ope ipsius cognitionis adest jam bonum cognitum. Ergo frustra obtruditur nova potentia appetitiva.—**Respond.**, *disting.* Major.: per appetitum tendimus in bonum nondum possessum secundum *esse* reale, *conc.;* secundum *esse* intentionale vel repraesentationis, *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 4.° Potentiae non diversificantur per accidentales differentias. Atqui quod appetibile apprehendatur per sensum vel per intellectum est differentia objecto accidentalis. Ergo non sunt distinguendi appetitus sensitivus et rationalis.

Respond., *disting.* Major.: potentiae non diversificantur per differentias objecto formaliter et intentionaliter considerato accidentales, *conc.;* per differentias objecto materialiter et entitative considerato accidentales, *neg.* Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq. Objectum enim appetitus non est bonum in se inspectum, sed prout apprehensum et propositum per cognitionem; at ratio boni sensu aprehensi et intellectu apprehensi non sunt differentiae accidentales.

Objic. 5.° Quamvis intellectus et sensus sint potentiae diversae, propterea quod ille universale objectum respiciat non tamen ideo distinguendus est duplex appetitus. Quia cum appetitus sit motus in rem, prout est extra mentem, necessario fertur in rem singularem; siquidem in rerum natura nihil est nisi singulare. Ergo perperam obtruditur appetitus rationalis.—**Respond.**, *neg.* antec., tum quia sunt etiam aliae rationes ad probandam existentiam voluntatis; tum quia non solum sunt objectum appetitus res prout singulares, sed etiam ipsae rationes universales cognitione praecisiva propositae. Sic appetimus bonum in genere, ac vinum malacitanum, non in hoc solum vase contentum, sed quodlibet; itemque odio habemus non hunc solum latronem, sed omne genus latronum (1).

ARTICULUS II

An voluntas sit potentia inorganica, et quomodo distinguatur ab appetitu sensitivo.

411. Quamquam probata manet voluntatis et sensitivi appetitus distinctio, juvat praecipuas utriusque facultatis differentias breviter ob oculos ponere.

Propositio.—**Cum multiplex sit inter appetitum sensitivum et voluntatem discrimen, illud est praecipuum ac caeterorum radix, quod voluntas sit inorganica vel spiritualis, appetitus vero sensitivus, organicus.**

Prima pars: probatur indicatis variis discriminibus.

1.um discrimen: voluntas ductum rationis sequitur, appetitus vero sensitivus imaginationis, vel potius aestimativae, propositionem, ut diximus in n. **393.**

2.um discrimen: appetitus solum singularia sectatur et corporea, voluntas etiam immaterialia et universalia.

---

(1) Plura in opere fusiori, volum. 5.°, num. 22. Et lege S. Thom., 1 p., quaest. 80, art. 2; *de verit.*, quaest. 22, art. 3, 4.

3.um discrimen: voluntas est libera, ut constat ex conscientiae testimonio, et suo loco fuse probabitur; at appetitus sensitivus, quamvis in homine propter conjunctionem cum voluntate participare dicatur libertatem, per se tamen ac simpliciter liber non est, sed necessario fertur in objectum.

4.um discrimen: voluntas ita movet appetitum, ut in eum dominetur, ipse vero illi subjicitur, quemadmodum testatur conscientia, et docet Fides divina illis verbis: *Sub te erit appetitus, et tu dominaberis illius* (1), sive compescendo motus ejus, sive etiam excitando. Quamquam non semper appetitus libenter voluntati obtemperat, sed saepe etiam vehementer reluctatur, et recalcitrat (2). Hinc est, quod licet in animalibus ad sufficientem propositionem objecti statim sequatur motus appetitus concupiscibilis vel irascibilis, in homine autem, qui rationis est compos, non statim ad objecti propositionem sensus sequitur motus appetitus concupiscibilis vel irascibilis donec accedat voluntatis imperium (3).

5.um discrimen: voluntas supra se ipsam reflectit, vult enim amare id quod amat; et cupit etiam habere affectus, quibus caret, et media adhibet; appetitus autem quamvis exercite ac virtualiter amet suum actum, expresse tamen et signate non potest in suos actus reflectere.

Secunda pars: *Voluntas est potentia inorganica, organica appetitus*, probatur 1.° quia ejusdem naturae dicendae sunt potentiae appetitivae ac cognoscitivae, quibus respondent. Sed appetitus sensitivus respondet sensitivis potentiis cognoscitivis, voluntas vero intellectui. Ergo... 2.° Appetitus sensitivus solum habet pro objecto sensibilia et singularia bona; universalia etiam et immaterialia voluntas. Atqui potentia solum attingens sensibilia et singularia organica est, inorganica vero potentia se elevans ad immaterialia et universalia. Appetitus sensitivus est nobis cum brutis communis. Ergo organicus, sicut sunt organicae omnes animalium potentiae. 3.° Voluntas e converso communis est nobis cum angelis, itemque libera talisque, ut et dominetur in sensitivum, et resistere omnibus bonis corporibus valeat. Atqui haec sunt totidem indicia inorganicae potentiae. Ergo... (4).

412. **Dices 1.°** Non solum ex vehementi aestu irae alteriusve affectus sensitivi, sed etiam ex intensiori gradu affectuum voluntatis organismus vehementer commovetur, ita ut vehemens gaudium vel gravissimus moeror aliquibus mortem attulerit. Ergo voluntas etiam organica potentia est.—**Respond.**, *neg.* conseq., quia quamvis voluntas sit inorganica, recte redditur ratio vehementis commotionis organicae, tum quia simul cum operatione voluntatis datur alia sensitivi appetitus, sicut diximus operationem intellectus comitari operationem phantasiae; tum quia ex eo quod uterque appetitus radicatur in eadem

---

(1) *Genes.*, cap. 4, vers. 7.
(2) Vide S. Paulum *Roman.*, cap. 7, vers. 23.
(3) Vide S. Thom., 1 p quaest. 81, art. 3.
(4) Cfr. volum. 5.um, num. 23.

anima, quae est corporis forma substantialis, excessus affectionis inorganicae in voluntate, potest refluere ac redundare in corpus.

Dices 2.° cum Flourens et Milne Edwards, experientia constare, quod voluntas sedem habeat in cerebro. α) Si enim animalibus lobi vel hemisphaerae cerebrales auferantur, omnis voluntatis operatio cessare videtur. β) Nos ipsi capite cogitamus, cessante autem cogitatione, illico cessat in nobis volitio. γ) Praeterea omnis violenta cerebri commotio non solum privat cognitione, sed etiam voluntario motu per aliquod tempus: quod videre est etiam in iis, qui *apoplexi* corripiuntur, non enim possunt edere motus voluntarios, sed tantum reflexos.

Respondeo, hacc post hactenus tractata nec responsionem mereri. Breviter *nego* assertum. **Ad probation.** α) *neg.* suppositum; in animalibus enim non est voluntas, sed tantum appetitus sensitivus. **Ad probation.** β) *neg.* anteced. et conseq. Non enim *cogitamus* capite, sed tantum imaginamur, dum intellectus cogitat. **Ad probation.** γ) *conc.* antec., *neg.* conseq. Ideo enim violenta cerebri commotio privat cognitione intellectuali, quia privat cognitione phantasiae, quae necessario comitari debet intellectionem in hac vita (n. 148). Cessante autem omni cognitione, non potest dari volitio. Objectae itaque a clarissimis viris experientiae rem nullatenus evincunt, sed solum ostendunt, quam necessarium sit naturalium scientiarum cultoribus studium Philosophiae, ne turpiter errent.

De admiratione, risu et fletu.

413. Quares: Restant perpendendi in homine tres actus, *admiratio*, *risus*, *fletus*, quos nescias forte, utrum alicui ex jam declaratis potentiis, an vero alteri novae tribuere debeas. De quibus pauca summatim indicare decrevi.

I.—Quid sit admiratio, et quos actus complectatur.

Controversiam hanc forte difficiliorem reddit sacrorum Bibliorum assertio, Christo Domino tribuens admirationem (1). Certum enim est admirationem cadere in Christum ut Deum non posse; utrum autem ut homo mirari proprie valeat, controvertitur, ac dependet etiam ex conceptu admirationis, quamquam communior videtur opinio illorum, qui cum S. Thoma (2) docent Chistum Dominum, qua hominem, cum audisset verba Centurionis, vere ac proprie miratum esse (3); non tamen omnes eodem modo explicant illam admirationem. Conandum ergo est, ut ea detur admirationis notio, quae controversiam theologicam non praejudicet. Et in primis

414. Quod pertinet ad objectum, certum videtur in primis α), eventum vel objectum incognitum, cujus nempe causae ignorantur, gignere admirationem. Verum β) non minus certum videtur, quod res quoque alias nota possit admirationem gignere, si sit insolita et insperata, communemve mensuram vel ordinem aliarum rerum sui generis excedat, saltem nisi perpetuo oculis obversetur, nam ex assuetudine videndi vilescunt quodammodo vel praestantissima objecta, ut jam non excitent attentionem: sic aspectus maris, templi magnificentissimi... extorquet admirationem non solum prima vice, sed etiam postea, licet nos non lateant causae partesque istarum rerum. Immo vero ipsa rei parvitas quotiescumque insolitum aliquid prae se fert et extra consuetum ordinem, potest nos in admirationem adducere. γ) Praeterea objectum admirationis debet vincere praevisionem et naturalem cognitionem, vel certe facultatem admirantis; secus enim vix intelligitur, quo pacto possit esse insolitum, experientia vero constat objecta hujusmodi praevisionem nostram superantia, gignere admirationem, saepeque miramur ea quae supra facultatem nostram posita sunt, et generatim quanto major est unusquisque, eo minus miratur res ejus generis, in quo ipse excellis.

---

(1) *Matth.*, cap. 8, vers. 10

(2) S. Thom., 3 p., quaest. 15, art. 8; et *In Matthaeum*, cap. 8.

(3) Vide Suarez, *De Incarnat.*, commentar. in quaest. 15, art. 8 S. Thomae; Vazquez, *De Incarnat*, disp. 62, cap. 4; Lugo, *De Incarnat.*, disp. 22, sec. 4.

415. **At quinam actus in admiratione continentur?** Admiratio quidem subaudit judicium, excellentiam rei communem mensuram et nostram praevisionem superantis decernens, videtur tamen formaliter in actu voluntatis consistere, esseque tamquam professio quaedam excellentiae objecti, ac proinde humiliationem aliquam importat ex hac objecti conditione profectam. Hic vero affectus diversimode solet variari et manifestari pro varietate objecti; nam si illud est conveniens et bonum, excitatur quaedam complacentia et desiderium cognoscendi causam vel modum rei, si haec lateant, praecipue desiderium laudandi; si vero sit objectum malum et adversum, exurgit in animo timor, vel potius terror, qui si mentem magnitudine impendentis mali obnubilet, et quodammodo hebetet, vocatur *stupor*. Quae cum ita sint

416. **Definiri admiratio potest** *affectus animi consurgens ex insoliti objecti, cognitionem vel facultatem nostram superantis, consideratione.*—Verum haec magis declarata et probata videri possunt in alio opere (1).

II.—De risu et fletu.

417. **Quid risus et risibilitas.** In risu ante omnia considerari potest ipsa externa ejus expressio per varios corporis motus. Radix eorum videtur esse agitatio et fere convulsiva contractio diaphragmatis, unde sequitur etiam contractio thoracis musculorumque faciei atque oris et frequens *exspirationis* motus cum peculiari sono vocis, qui, cum validior est, nomen obtinet *cachinni*. Quando autem os duntaxat diducitur absque diaphragmatis agitatione, nemo proprie dicitur ridere, sed *subridere*. Proprietas haec ridendi constituit risibilitatem. Caeterum non quaevis externa forma risus est actus risibilitatis, cujus tantum ad nos spectat consideratio, sed ille duntaxat qui causam habet cognitionem certi generis objectorum, quod *ridiculum* dicitur: quare risus qui ex causis externis quasi mechanice contingit, ut v. g. ex titillatione, non est risibilitatis actus.

418. **Quid sit ridiculum**, non facile declaratur. Variae sunt opiniones, sed fortasse probabilior est illa Aristotelis, ridiculum definientis *erratum quoddam et turpitudo sine dolore, et non habens vim interimendi* (2). Turpitudo et erratum hic intelligi videtur aliquid incongruum et inconcinnum in re vel facto vel persona, quod ex complexu circunstantiarum judicandum est. Necesse porro est, ut sit turpitudo sine dolore, nec vim habens interimendi; secus enim non risum, sed misericordiam excitaret. Videtur etiam ad ridiculum complendum vel augendum pertinere, quod in objecto indecenti vel incongruo adsit aliqua concinnitas sive ratione modi, quo fit, sive ratione modi, quo narratur.

---

(1) Volum. 5.°, num. 26-31.
(2) Aristot., *Poetic.* cap. 2.

419. **Quaenam cognitio ridiculi objecti requiratur ad risum,** si quaeras, respondebo non sufficere solam sensitivam, sed necessariam esse intellectualem, quamvis non debeat illa esse valde perfecta, sed quanta sufficiat ad animadvertendam rationem illam, quae objectum, dictum vel factum hic et nunc reddit ridiculum. Infantes ergo, qui ante usum intelligentiae videntur ridere, proprie non rident, quia risus ille similis actui subridendi toto coelo distat a risu intelligentia utentium ex objecti ridiculi cognitione causato. Multo minus rident proprie belluae quaedam, ut canes, quae speciem quamdam risus prae se ferunt.

420. **Si demum quaeras, quo pacto ex cognitione ridiculi** sequatur diaphragmatis et reliquorum musculorum commotio, nullibi vidi explicatum apud recentiores, veteres vero declarabant ex sympathia vel consensione facultatum rationalium et motricis virtutis in homine, fere sicut ex imperio appetitus sequitur membrorum motus. Quae cum ita sint

421. **Risus videtur definiri posse** *motus vel vibratio quaedam subita diaphragmatis et musculorum thoracis et oris, quatenus orta ex certorum objectorum cognitione indeque consequente delectatione.*

422. **Fletus opponitur risui, ac definiri potest** *lacrymarum effusio, ex tristitia vel dolore aliisve proveniens affectibus.* Tria continet externa fletus expressio, *singultum* cum motu diaphragmatis ac thoracis et oris contractione, *gemitum* et *lacrymarum effusionem.* Vibratio diaphragmatis similis est vibrationi risus, in hoc tamen differt, quod conjungatur non cum *exspiratione*, sed cum *inspiratione* respiratoria; gemitus acutior est in fletu, quam in risu; lacrymae demum sunt notissimus humor ex animalium oculis effluens, qui a peculiari organo, *glandula lacrymali* continuo secernitur. In communi statu vitae lacrymae leviter humectant superficiem *conjunctivae*, ac mox per *canalem lacrymalem* in *fossas nasales* immituntur; verum cum copiosiores sunt, intra canalem contineri non valentes, erumpunt, perque genas decurrunt.

423. **Causae fletus.** Copiosiores lacrymas variae causae etiam externae, v. g. fumus, excitare valent; fletus vero proprie dictus, procedens ex proprietate *flebilitatis,* sicut de risu diximus, causam habet moralem, cognitionem proponentem objectum (triste vel laetum), capax movendi lacrymas.

424. COROLLARIUM. Ex his jure merito concludes, admirationem, risum et fletum non vindicare novam aliquam potentiam, ab intellectu et voluntate distinctam.

ARTICULUS III

De objecto voluntatis.

Voluntas est potentia spiritualis *appetitiva objecti per actus ex directione rationis elicitos.* Circa cujus objectum duo praesertim in controversiam adduci possunt: primum, quodnam sit illud; secundum, utrum non solum finis, sed media quoque sub objecto comprehendantur.

I.—Quodnam sit generatim voluntatis objectum.

425. Ex superioribus constat objectum voluntatis esse bonum apprehensum ac propositum cognitione intellectuali (n. **383, 386,**

183, 391, 409, 411). Hinc etiam dici solet objectum voluntatis, secus atque objectum sensitivi appetitus (n. **392**), esse bonum in universali (1), vel sub ratione communi boni (2), vel bonum secundum communem rationem (3), vel bonum universale (4), etcétera, non quod voluntas appetat ipsam rationem abstractam boni, ut sic, sed quod appetere potest quidquid sub immetato boni ambitu comprehenditur, sicut objectum adaequatum intellectus diximus esse quidquid sub se complectitur universalis ratio entis vel veri (n. **303**). Quod si quaeras

426. **Utrum dici possit objectum voluntatis ens sub tota sua latitudine,** ita ut appeti etiam valeat ens sine expresa relatione ad rationem bonitatis; affirmative respondent Scotistae (5). Verum audiendi non sunt ex communi aliorum sententia, quia voluntas est appetitiva potentia, quae quidem actu prosecutionis nequit ferri nisi in bonum (n. **381, 382**) (6).

Porro cum bonum apprehensum intellectu dicitur esse objectum, plane intelligitur, quidquid ut bonum apprehenditur, sive sit vere tale, sive solum existimatum vel apparens. Itemque objectum voluntatis potest esse non solum delectabile atque utile, sed etiam immo vero praesertim, bonum honestum, quamquam controvertitur, utrum utile sit objectum tantum materiale, an vero etiam formale, voluntatis, ut modo videndum est.

II.—Utrum finis sit adaequatum voluntatis objectum.

427. **Status quaestionis.** Finis est id, cujus gratia aliquid fit: ejus ergo proprium est, ut *propter se* appetatur, et caetera propter ipsum. Medium vero est quod conducit ad finem obtinendum, habetque proinde rationem boni utilis (7). Quod voluntas feratur aliquo modo in media, et non solum in finem, ideoque appetat etiam aliquo modo bonum utile, per se patet: solum dubitatur, utrum solus finis sit objectum formale ac specificativum humanae voluntatis ita, ut bonum utile seu media, qua talia, solam habeant rationem objecti materialis, an vero adaequatum objectum formale voluntatis coalescat ex fine ac mediis. Hoc postremum tenent multi Scotistae cum Subtili Doctore (8), quibus adhaerere videntur inter alios PP. Vazquez et Granado. Finem vero esse adaequatum objectum formale voluntatis, et media solum pertinere ad materiale objectum contendunt praeter quosdam Scotistas, Thomistae communissime multique nostri, ut Suarez (9). Valentia (10), Alamanni, Hurtado et Arriaga, perperam a Mastrio pro contraria opinione laudati, Lossada (11), etc. In qúa con-

---

(1) S. Thom., 1 p., quaest. 82, art. 4; quaest. 105, art. 4.
(2) Id., 1 p., quaest. 82, art. 5.
(3) Id., 1 p., quaest. 59 art. 4.
(4) Id., 1 p., quaest. 59, art. 1.
(5) Vide Mastrium, *de anim.*, disp. 7, quaest. 5, num. 94.
(6) Vide opus fusius, volum. 6.°, num. 45.
(7) Cfr. Compend. volum. 2.^{um}, num. 491.
(8) Vide Mastrium, *de anim.*, disp. 7, quaest. 5, num. 106, 107.
(9) *De ultimo fine hominis*, disp. 1, sect. 5; *Metaphys.* disp. 23, sect. 6, num. 17.
(10) In 1.^{am} 2.^{ae} disp. 1, quaest. 1, punct. 1.
(11) *De anim.*, disp. 7, cap. 3, num. 51.

troversia forte non deest, saltem in aliquibus, lis de voce. Quidam enim pro materiali objecto videntur intelligere objectum se habens mere per accidens, quod nempe nullatenus in se attingitur a potentia, sed tantum est connexum cum alio ab illa attacto, fere sicut substantia dicitur *sensibilis* per accidens (n. **110**), ac dulce per accidens *visibile.* Et converso vocant formale quidquid in se ipso terminat actum potentiae, sive terminet ratione sui, sive solum ratione alterius: en primam radicem discordiae.

Altera posita est in ea controversia, utrum media, *qua talia*, habeant bonitatem sibi intrinsecam, an vero solam extrinsecam, et a bonitate finis, propter quem amantur, participatam. Cajetanus, Suarez (1) et alii negant media, *qua talia*, intrinseca potiri bonitate, solumque volunt bona denominari ab eadem bonitate, quae intrinseca est in fine; fere sicut medicina et cibus dicuntur sana ab animalis sanitate, quam restituit, et conservat. Alii autem multi contendunt, etiam media, *qua talia*, posse interna sibi propria et a bonitate finis distincta bonitate gaudere: quod tenent non solum illi qui adaequatum formale objectum ex fine ac mediis coalescere arbitrantur, sed etiam plures eorum qui praedictum objectum in solo fine constituunt. Et utrique ad S. Thomae patrocinium confugiunt, et asserentes et negantes mediis intrinsecam bonitatem (2). Mihi

428. **Probabilior videtur haec sententia:** *Etsi, media possint suam intrinsecam habere bonitatem, vereque attingantur in se a voluntate, non tamen attingi* **propter se**, *sed tantum* **propter finem;** *quamobrem esse objectum duntaxat materiale, ideoque objectum formale voluntatis in solo fine adaequate constitui.* Quam propositionem probatam et ab adversariorum telis propugnatam habes in alio opere (3).

ARTICULUS IV

Quali cognitione proponi objectum debeat voluntati.

429. **Ratio tractationis.** Non disputamus, utrum sufficiat sensilis cognitio, quia jam saepius cum communi monuimus intellectualem requiri; quia cum appetitiva potentia sit cognoscitivae complementum, oportet ut et sensitiva et intellectiva sui quaeque ordinis potentiam cognoscitivam designatam habeat, cujus ductu et propositione dirigatur. Verum cum cognitio intellectualis possit esse vel simplex apprehensio vel judicium, itemque vel speculativa vel practica, dubitatur, qualis istarum cognitionum sufficiat, aut requiratur.

---

(1) *Metaphys.* disp. sect. 2, num. 23; disp. 23, sect. 6, num. 15, 17; tract. *de ultimo fine hominis*, disp. 1, sect. 4, num. 8.

(2) Vide opus fusius, volum. 6.°, num. 46.

(3) Vol. 6, num. 47-50.

I.—An ad actum voluntatis requiratur judicium, vel sufficiat simplex apprehensio.

430. Sententiae ac status quaestionis. Tomistae requirunt judicium, eisque consentiunt Suarez (1), Valentia, Fonseca, Azor et alii. Scotus vero et nonnulli veteres alii Scholastici, quibus adstipulantur plures Scotistae (2), Vazquez et quidam alii nostrates, quamvis concedant ad actus efficaces voluntatis requiri judicium, sufficere tamen volunt ad actus inefficaces et simplicis complacentiae apprehensionem. Fatendum tamen est plures horum auctorum non tam re, quam loquendi modo dissentire ab adversariis. Quos ut amice inter se componamus, nota primo, cognitionem debere voluntati proponere objectum ut bonum et conveniens; deinde, aprehensiones bonum voluntati proponentes posse esse suasivas et non suasivas (n. **208**).

431. Propositio i.ª **Simplex apprehensio non suasiva de convenientia vel disconvenientia objecti non sufficit ad ullum actum voluntatis: suasiva sufficit quidem ad affectum inefficacem ac merae complacentiae, non vero ad efficacem, qui sit prudens, et ad mediorum electionem determinare valeat, sed ad ejusmodi affectum requiritur omnino formale judicium.**

Prima pars *de apprehensione non suasiva* probatur, quia voluntas nequit appetere id, cujus convenientia vel non convenientia non sufficienter ei ostendatur. Atqui simplex apprehensio non suasiva non sufficienter ostendit ejusmodi convenientiam vel disconvenientiam. Ergo... Et praecise propter hanc rationem S. Thomas docet ad actum appetitus sensitivi non sufficere sensationem externam nec imaginationem, quarum apprehensiones sunt non suasivae, sed requiri actum aestimativae (n. **149**).

Secunda pars *de apprehensione suasiva, quae sufficiat ad actus voluntatis inefficaces*, probatur. Quia non videtur plus requiri ad actus inefficaces voluntatis, quam ad actus appetitus sensitivi. Atqui appetitus sensitivus, sive in nobis sive in brutis animantibus, non requirit ad actus suos judicium formale, sed contentus est virtuali, cui aequivalet apprehensio suasiva (n. **154**). Ergo et voluntas poterit, simili praecedenti cognitione, saltem inefficaces affectus elicere. Praeterea suasivae apprehensiones reapse satis manifestant bonitatem vel malitiam, convenientiam vel disconvenientiam objecti, saltem quantum sufficit ad leviores actus voluntatis. Ergo...

Postrema pars communissima est ac probatur, «quia nemo prudenter intendit aut eligit ex primo aspectu boni, sed prius debet juxta prudentiae regulas non solum aspicere sed circumspicere, et ad judicii trutinam expendere convenientiam finis et utilitatem mediorum» (3). Quod si aliter se gereret, profecto imprudenter ageret.

Caeterum non desunt qui cum P. Oviedo censeant posse hominem temere ac contra prudentiae regulas efficaciter intendere objectum, solum praecedente apprehensione illius suasiva, sicut bruta intendunt, quae certe formalis judicii sunt expertia (1).

---

(1) *Metaphys* disp. 23. sect. 7; et tract. *de voluntar.* et *involuntar.*, disp. 6, sect. 5.

(2) Vide v. g. Pontium, *de anim.*, disp. 13, quaest. 2, conclus. 5.ª, um. 22; et Mastrium, *de anim.*, disp. 7, quaest. 6, art. 1.

(3) Lossada, *de anim.* disp. 7, cap 5, num. 84.

II.—An et quale judicium practicum requiratur ad actum voluntatis.

432. **Practicum judicium hic intelligitur,** «quod proponit objectum modo *proxime apto*, ut voluntas velle illud possit, non expectata alia suasione intellectus»; speculativum vero, e converso, «quod non est *proxime aptum*, ad excitandum voluntatis affectum, quia scilicet representat bonum abstracte ac sine respectu ad judicantem, vel non ut ipsi amabile hic et nunc» (2). Ac certum est judicium ejusmodi requiri ad actum voluntatis. Certum pariter videtur non fore practicum judicium, nisi proponat bonum ut *cognoscenti conveniens* (sive quia delectabile, sive quia utile, sive quia honestum), et quidem ita ut judicetur hic et nunc convenire illud *velle* et *amplecti* (3). Voluntas enim dum movetur ad operandum, non solum vult objectum, sed exercite ipsum quoque suum actum. Unde necesse est, ut non solum de convenientia et bonitate objecti, sed etiam de convenientia ipsius actus hic et nunc feratur judicium (4). Et in his quidem convenire omnes possunt. Controvertitur autem utrum aliquid amplius requiratur in hujusmodi judicio practico, nempe

433. **Utrum requiratur imperium intellectus vel rationis,** id est, tale judicii practici dictamen, ita proponens objectum hic et nunc, omnibus pensatis, esse amplectendum ut voluntas ad actum ineluctabiliter determinetur. Imperium istud patroni ejus arbitrantur significari non posse per verbum indicativi temporis, sed solum per imperativum: *Fac hoc*, ideoque prae se ferre modum non purae enuntiationis sed denuntiationis (5). Judicium practicum sic explicatum vel imperium rationis necessarium esse ad volendum putant Thomistae (6), quibus e nostra Societate adstipulantur B. cardin. Bellarminus (7) et P. Gregorius de Valentia (8). Contrariam sequuntur sententiam communissime nostrates cum Suarez (9), Fonseca, Didaco Ruiz de Montoya, Azor, Salas, Arrubal, Granado, Ripalda, Lossada (10), etc.: et pro hac laudantur multi veteres Scholastici a Suarez et Ripalda (11). Consentiunt recentiores PP. Tongiorgi, Mendive, Schiffini, Van der Aa, Boedder, etc.

---

(1) Cfr. volum. 6, num. 53, ubi quaedam alia.

(2) Lossada, loc. nup. cit. num. 85.

(3) Vide S. Thom. *de malo*, quaest. 6, art. unic., post medium.

(4) Suarez, tract. 2.° *de voluntario* et *involuntario*, disp. 6; sect. 5, num. 5, 6; et *Metaphys.*, disp. 23, sect. 7. num. 12.

(5) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 19, sect. 6.

(6) Negat Collegium S. Thomae Complutense imperium hujusmodi *communiter* requiri a Thomistis. *De anim.*, lib. 3, quaest. 11.

(7) *De grat.* et *liber. arbit.*, lib. 3, cap 8 et 9.

(8) In 1.^{am} 2.^{ae} disp. 2, quaest. 4, punct. 1; et quaest. 12, punc. 1.

(9) *Metaphys.*, disp. 19, sect. 6; disp. 23, sect. 7, num. 11; *de voluntar.* et *involuntar.*, disp. 6, sect. 5, num. 5 seqq.

(10) *De anim.*, disp. 7. cap. 5, num. 86.

(11) *De ente supernatur.*, disp. 62, sect. 2,

434. Propositio 2. **Non requiritur judicium practicum vel dictamen rationis per modum imperii expressum, ut voluntas ad actum efficaciter moveatur, vel determinetur.**

Prob. 1.° Judicium practicum talis indolis voluntati prorsus supervacaneum est. Ergo...

Prob. antec. Per solum actum judicii, quo et objectum proponatur ceu hic et nunc conveniens aut disconveniens dignumve, quod appetatur aut respuatur, et declaretur conveniens esse vel non conveniens hic et nunc illud velle, jam praesto adest voluntati sufficiens motivum, ut ponat vel non ponat actum. Atqui ubi adest sufficiens hujusmodi motivum, nihil amplius requiritur. Ergo...

Minor patet. Major probatur, nam judicium ita proponens convenientiam vel disconvenientiam hic et nunc objecti et actus voluntatis, ex terminis ipsis, videtur posse allicere voluntatem in genere causae finalis. Voluntas enim est potentia de se inclinata ad bonum. Ergo quid amplius debet expectare, ut ad illud tendat hic et nunc, nisi videre illud esse reapse bonum et conveniens dignumque, ut appetatur?

Prob. 2.° Judicium practicum per modum imperii tale statuitur ab abversariis, quod efficaciter et infallibiliter secum trahat actum voluntatis, ut, illo posito, hunc non sequi repugnet (1). Atqui judicium ejusmodi pugnat cum libertate.

Prob. α) Judicium istud vel est necessarium, vel liberum. *Si necessarium*, actum est de libertate, quandoquidem ante actum voluntatis ponitur antecedens necessarium, quo posito non potest non sequi actus voluntatis. *Si liberum*, peto, num imperium illud sit ex se atque intrinsece liberum, vel solum extrinsece et ex praevio actu libero voluntatis illud imperantis. *Si primum horum dicas*, constituis libertatem formaliter in actu judicii, contra communem et veram sententiam infra probandam. *Si alterum eligas*, ille actus liber voluntatis judicium practicum imperans, et ipse aliud prius judicium per modum imperii requireret ex adversariorum sententia; ac de illo idem iterum quaerendum esset, num esset necessarium, an liberum, et ita idem instauraretur argumentum sine fine, donec aut concederetur actus voluntatis non egens tali judicio practico per modum imperii, aut negaretur ipsa libertas actus voluntatis. β) Praeterea ante judicium practicum immediate praecedens primam volitionem in quavis serie nulla profecto dari potest volitio prior. Ergo si, stante judicio practico adversariorum per modum imperii, ineluctabiliter sequitur actus voluntatis, prima illa volitio non fuit libera, sed necessaria. Et quoniam haec prima volitio est, quae antecedit judicium practicum antevertens secundam volitionem, haec quoque non libere, sed ineluctabiliter ponetur; et ita porro per totam seriem nulla amplius remanebit libertas (2).

Prob. 3.° Judicium intellectus non movet voluntatem efficienter, sed in genere causae finalis (n. **389**), videlicet proponendo bonitatem objecti. Ergo eatenus posset voluntatem ineluctabiliter movere ad actum, quatenus objectum proponeret undequaque bonum, voluntatem determinans ad unum. Atqui certum est objectum, judicio practico propositum voluntati, saltem plerumque, non esse hujusmodi. Ergo judicium practicum per modum imperii non est admittendum (1).

---

(1) Id fatetur totidem verbis Magister Bartholom. Medina, In 1.^{am} 2.^{ae}, quaest. 9, art. 1, *Secunda conclusio:* «Stante imperio efficaci ex parte voluntatis, inquit, *nulla restat libertas in voluntate ad contradicendum...*» Cfr. B. Bellarmin., loc. cit., cap. 8, *Sexta propositio*, et cap. 9, in respons. ad 7.^{um} argum.

(2) Cfr. in alio opere, volum. 6.°, num. 55, post *Prob. 2.°*, instantiae adversus hoc argumentum dissolutae.

435. **Objic. 1.°** Voluntas, cum sit potentia caeca, debet ductum sequi rationis. Eo igitur determinate fertur, quo ducit ratio per ultimum judicium practicum. — **Respond.**, *disting.*, conseq.. libere atque omnino ita, ut possit etiam hoc judicium practicum, quod de facto sequitur, non sequi, *conc.;* secus, *neg.* Caecus profecto non potest sine alterius ductu ambulare. Quis autem dixerit caecum ita ducatum ab altero oblatum sequi, ut non possit illum pro lubitu acceptare vel respuere?

Objic. 2.° Voluntas nihil potest velle sine praecedente rationis judicio. Ergo si judicium sit indeterminatum, et ipsa indeterminata remanebit; si autem determinatum, et ipsa determinata erit ad rem propositam determinate volendam. Atqui judicium ultimum practicum est omnino determinatum. Ergo voluntas eget judicio, quo infallibiliter determinetur ad suum actum (2).

Respond., *conc.* antec., *disting.* primam part. conseq. Si judicium sit objective indeterminatum, id est, nihil determinate proponens, sed tantum vage, *conc.;* si judicium sit indeterminatum subjective, id est, rem proponens non per modum imperii ut ineluctabiliter amplectendam, *nego. Contradist.* alteram part. conseq. Minorem etiam subsumptam *disting.* Judicium ultimum practicum est omnino determinatum objective, seu proponens bonitatem hic et nunc convenientem et appetitione dignam, *conc.;* est determinatum subjective, nempe in sensu adversariorum instar imperii, *neg.*

Objic. 3.° Judicium practicum vel proponit unum duntaxat bonum eligendum, vel plura. Si unum, illud sequetur voluntas, cum non habeat aliud, quo se convertat. Si plura, etiam non poterit non sequi majus vel melius, et ita semper determinabitur a praevio judicio.

Respond., *conc.* disjunctionem dilemmatis. Primum assumptionis membrum *nego*, quia dum non proponatur bonum ut undequaque perfectum, poterit voluntas illud pro lubito acceptare vel respuere. Alterum etiam assumptionis membrum *nego*, tum quia possent illa bona etiam esse aequalia, tum quia quamvis essent inaequalia, quamdiu unum eorum non sit undequaque perfectum, possunt omnia illa rejici, vel etiam minus perfectum eligi pro voluntatis libertate, ut modo probandum erit (3).

III.—Utrum voluntas possit amplecti bonum, quod non sibi proponitur ut majus vel melius.

436. **Sententiae auctorum.** Negant P. Gabriel Vazquez (4) et quidam alii, posse voluntatem ex duobus mediis inaequalibus elige-

---

(1) Cfr. quaedam alia in opere fusiori, loc. cit. ubi etiam ostenditur nobiscum stare S. Thomam, parag. *Confirmatur...* et n. 56, *Objic. 5.°*

(2) Ita fere B. cardin. Bellarminus, loc. cit., cap. 8, *Sexta propositio.*

(3) Quaedam alia et haec ipsa magis declarata videri queunt in volum. 6.°, num. 56.

(4) Vazquez. In 1.^{am} 2.^{ae}, disp. 43. cap. 2; et disp. 128, cap. 5.

re quod minus bonum proponitur, vel ullum ex duobus, quae ut aequalia proponuntur, stante tali propositione. Quod vero fines attinet, idem censet, concedendo tamen posse amari minus bonum, dummodo vividius et clarius proponatur, quam alterum in se melius. Eidem doctrinae adhaerent Leibnitzius et ejus asseclae, dicentes voluntatem, si bona inaequalia sibi proponantur, in majus suo pondere inclinari, si vero aequalia, in neutrum propendere, donec aliunde accedat aliqua alia ratio, quantumvis exigua, quae tollat aequilibrium (1). Longe tamen communior est sententia statuens posse ex aequalibus bonis utrumlibet eligi, vel etiam minus bonum inter inaequalia (2). Quae priusquam defendatur, nota cum dicitur minus bonum prae majori eligi posse non id eo sensu propugnari, ut ipse defectus bonitatis sit motivum, cur minus bonum eligatur, defectus enim bonitatis non potest inducere ad appetendum, sed in hoc sensu, bonum voluntati sufficienter propositum etiam in conflictu majoris boni, vel alterius aequalis, posse appeti. Et quamquam hic majus minusve bonum objective praesertim et in se sumatur, posset etiam accipi subjective et secundum repraesentationem, pro eo nimirum, quod clarius minusve clare proponatur voluntati.

437. PROPOSITIO 3.ª **Voluntas propositis duobus bonis, sive aequalibus sive inaequalibus, potest utrumlibet eligere.**

Probatur. Potentia, quae ex duobus bonis, sive aequalibus sive inaequalibus, etiam sufficienter propositis, potest utrumque respuere, potest a fortiori utrumvis, etiam minus bonum, eligere. Atqui voluntas potest ex duobus hujusmodi objectis utrumque respuere, seu non actu amplecti. Ergo...

Minor patet ex inferius probandis de voluntatis nostrae libertate.

Major probatur. Nam in quolibet illorum bonorum sufficiens bonitas supponitur; bonitas vero quae in singulis seorsim consideratis inest, non destruitur etiam in comparatione ad alteram majorem bonitatem: quare intellectus potest illam judicare appetitione dignam. Atqui voluntas nostra nata est ad amplectendum quodcumque bonum hic et nunc conveniens et appetitione dignum sibi proponitur ab intellectu (n. **381, 425**). Ergo... Praeterea eatenus concipi posset, minus bonum appeti non posse in comparatione majoris, quatenus vel, ut modo innuebam, desineret esse bonum in comparatione majoris, vel majus efficaciter ad se attraheret voluntatem. Atqui utrumque falsum est, saltem si sermo sit de bonis finitis, ideoque non penitus implentibus capacitatem voluntatis. Ergo...

438. PROPOSITIO 4.ª **Quando adsunt plura media, sive sint aequaliter sive inaequaliter bona vel utilia, potest voluntas utrumlibet eligere.**

Probatur primum: *si sint aeque bona vel utilia*. Sermo est in propositione de mediis, quorum nullum judicatur absolute necessarium. Media ergo hujusmodi habent, unde possint eligi ad finem assequendum, quia reapse juvant ad illum; aliunde vero habent, unde etiam possint non eligi, quia non judicantur necessaria. Ergo utrumvis eorum potest eligi, et potest etiam non eligi a voluntate. Praeterea, ratio id omnino suadere videtur, ut in praesentia duorum mediorum aeque utilium utrumlibet adhibeatur. Cur enim voluntas fine frustrabitur solum, quia media aeque ad illum juvantia sibi suppetunt?

---

(1) Vide apud Georg. Fonsegrive, *Essai sur le libre arbitre*, 1.ère partie, liv. 3, chap. 4.

(2) Vide Suarez *(Metaphys.* disq. 19, sect. 6, num. 13. et sect. 7, num. 6; tract. *de voluntar.* et *involuntar.*, disp. 8, sect. 4; *de Gratia*, lib. 1, cap. 12, num. 15), Lossada *(de anim.*, disp. 7, cap. 5, num. 94), etc., etc.

Probatur secundum. 1.° Propositio medii utilioris, cum agitur de mediis non absolute necessariis, nullam imponit necessitatem voluntati, ut non possit haec cessare ab illius electione. Ergo postquam voluntas decrevit non uti medio utiliori, poterit minus utile eligere; nan propositio utilioris medii per se et immediate non retrahit ab electione minus utilis, sed solum consequenter, casu nempe quo utilius praeferatur; ideoque si utilius de facto non eligitur, minus utile servat plenam eligibilitatem. 2.° Intentio finis efficax tantum obligat ad id, quod simpliciter necessarium est ad illud obtinendum. Atqui medium utilius supponitur non esse simpliciter necessarium, aliunde vero sufficit minus utile. Ergo poterit voluntas, relicto utiliori, minus utile eligere.

439. **Objic.** 1.° Voluntas, cum sit potentia rationalis, nequit unum alteri praeferre sine ratione. Atqui saltem inter bona ejusdem generis nulla est ratio praeferendi unum alteri aequali, multoque minus alteri potiori, siquidem nulla est vis attrahendi in uno, quae non aeque vel melius inveniatur in altero. Ergo...—**Nec dicas,** non alia opus esse ratione, nisi quia sic libet ipsi voluntati ad exercendam libertatem.—**Quia jam tum** aliqua praeponderans ratio apprehenditur in minori bono, nimirum quod ejus electio sit aptior ad ostendendum libertatis dominium.

Respond., *dist.* Major. Non potest voluntas praeferre unum alteri sine ratione praecise objectiva petita ex ipsis mediis, quae eliguntur, *neg.;* sine ratione aliqua, *conc.*, potest enim eligere utrumlibet, quia sibi placet, et quia non vult carere fine. Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. **Et ad instantiam** dico, statum quaestionis non esse, quod voluntas eligere valeat inter diversa media sine *ulla prorsus ratione* sed sine *praevalente ratione objectiva.*

Objic. 2.° Bonum minus in concursu majoris (loquor de his, quae nequeunt simul obtineri) apparet ut exclusivum alterius. Ergo apparet ut malum, ideoque indignum, quod appetatur.

Respond., *dist.;* apparet ut purum malum, *neg.;* apparet simul ut partim bonum, ac proinde suam servans appetibilitatem, *conc.*

Objic. 3.° Bonum non est amabile nisi ut cognitum. Ergo non est amabile, nisi cognoscatur praeferibile alteri. **Confirmatur,** quia secus cur electioni mediorum praemittitur consultatio vel collatio?

Respond., *dist.* conseq. Non est amabile, nisi cognoscatur praeferibile propter rationem objectivam, ut superius dicebam, *neg.*; nisi cognoscatur praeferibile subjective ac pro lubito voluntatis, *conc.* **Ad confirmationem** respondeo, cum adest consultatio et mediorum collatio, supponi voluntatem efficacem obtinendi finem per medium, quod utilius apparuerit vel commodius. Nos autem non agimus de hac hypothesi, sed de sola volendi necessitate, quae adsit ex eo, quod proponatur voluntati medium utilius. Caeterum finis consultationis generatim est cognoscere media diversa, ut iis perspectis, eligat voluntas pro sua libertate ac fine sibi proposito. Et quamquam eligatur minus utile medium, finis consultationis semper obtinetur, quia ita non caece procedit voluntas in electione (1).

---

(1) Quaedam alia in opere fusiori, volum. 6, num. 57-62, ubi etiam (in num, 61, *Objic. 4.°)* expenditur mens S. Damasceni, S. Thomae atque Aristotelis.

ARTICULUS V

De variis actibus voluntatis.

440. Duo sunt latissima genera actuum in voluntate, prosecutionis et aversionis, eorum nempe quae circa bonum, et eorum quae circa malum versantur (n. **380**). De quibus est quaedam opinionum varietas relate ad modum, quo invicem comparatur amor vel prosecutio boni et fuga vel aversio mali. Ac disputatur, utrum nullus sit actus, qui sit mera fuga et purum odium, quin per illum quidpiam ametur. Variae sunt sententiae; probabilius tamen dici posse videtur in primis, *odium, sive includat; sive non includat virtualiter volitionem aut amorem carentiae mali, formaliter tamen non consistere in ea volitione.* Secundo dici posse videtur, *actum odii, quamvis formaliter sit fuga, tamen aliquo modo, saltem indirecte et in obliquo, attingere aliquam rationem boni, quam respiciat saltem extrinsece ac praesupositive:* unde odium vel est indirecte amor et prosecutio alicujus boni, vel certe supponit amorem boni, ex eoque oritur. Ex quibus tertiò fit id quod communissime dici solet, *actum odii virtualiter et aequivalenter esse actum amoris et prosecutionis* (1).

I.—Actus voluntatis circa finem

441. Cum voluntas sit potentia rationalis, consequens actum intellectus, qui cognoscere ac discernere valet rationem finis ac mediorum. potest actum suum circa utraque exercere, secus ac appetitus sensitivus qui non potest finem ut talem intendere.

Actus vero voluntatis circa finem tres numerantur cum S. Thoma (2): *velle*, *frui* et *intendere*, seu *voluntas* sumpta pro actu, *fruitio* et *intentio*. Voluntas, actus seu volitio, est actus simplicissimus nullum alium priorem supponens, nullumque alium vel virtualiter includens, quia est «quasi prima inclinatio potentiae rationalis in objectum propositum tamquam per se amabile, cujus primus effectus formalis non potest esse alius, quam velle illud objectum propter se sine ordine ad aliud» (3). Videturque in re non distingui ab amore, qui est pondus quoddam vel tendentia in bonum absolute spectatum, praecisione facta ab hoc, quod sit praesens vel absens, etcetera.

442. Fruitio jam describenda est. Frui dicimur, cum rem aliquam assecuti, quam ut ultimum quiddam expetivimus, in ea cum amore delectamur, et conquiescimus. In fruitione tres, re vel solum ratione distincti, actus interveniunt: *amor*, *possessio* et *gaudium*: amor quidem, quia sine illo nec datur delectatio vel gaudium sine quo non concipitur fruitio; possessio, quia sine illa, licet adsit amor, poterit quidem dari desiderium, non tamen fruitio; demum gaudium vel delectatio, quia quamvis quis possideat rem, quam amavit, v. g., medicinam amaram, non potest dici frui, quamdiu non accedat delectatio. Ex his tribus actibus amor et gaudium sunt in voluntate, ut patet, possessio vero pertinet ad eam potentiam, quae tenet amatum bonum, sive illa sit intellectus sive sensus (1).

---

(1) Haec explicata et probata habes in opere fusiori, volum. 6, num. 62 66.

(2) S. Thom., 1, 2.^{ae}, quaest. 8 in prooem. et art. 1 corp. et ad 1.^{um} et art. 2.

(3) Suarez, *de voluntar. et involuntar.*, disp. 6, sect. 1, num. 1.

Quod si quaeras, in quonam ex hisce tribus actibus formaliter consistat fruitio; communis sententia tenet fruitionem formalem esse in primis actum voluntatis, et consistere non in amore nec in nuda possessione, sed in gaudio vel delectatione, propter rationem modo insinuatam (2).

Quod fruitionis actum attinet, doctrina est S. Thomae, primo fruitionem non esse proprie nisi de fine ultimo, cujusmodi est objectum beatificum, improprie autem solum et non secundum rationem etiam de fine non ultimo (3): quapropter S. Augustinus docuit, creaturis non esse *fruendum*, sed *utendum*, referendo nempe illas ut media ad Deum (4). Quae cum ita sint, sicut solae creaturae rationales finem perfecte ac formaliter cognoscere queunt, sic solae in ejus possessione conquiescunt; bruta vero solum imperfecte ac materialiter frui valent, sicut etiam solum materialiter finem cognoscunt.

443. Intentio denique, quae vox communiter pertinet ad potentias cognoscitivas et appetitivas, ad voluntatem restricta, est actus ejus elicitus circa finem ut prosequendum per media (5). Unde colliges, quo pacto se habeant inter se amor seu voluntas sumpta pro actu, intentio et desiderium. Amor respicit finem prout simpliciter amandum, intentio autem ut obtinendum per aliquod medium, ideoque solum datur in absentia finis, dum amor datur etiam in finis possessione. Desiderium porro, si sit inefficax, distinguitur ab intentione; secus vero, si sit efficax, prout probabilius dicendum videtur (6). Caeterum intentio, quamvis semper sit circa finem non debet tamen versari necessario circa finem ultimum, sed potest etiam circa finem proximum et medium versari, quamdiu habeat rationem termini respectu motus praecedentis.

Utrum possit voluntas simul plura intendere. Potest procul dubio, si sint inter se subordinata, ut si quis intendat comparare medicinam, et quaerere propriam sanitatem. Possunt etiam plura simul intendi, quamvis non sint praecise inter se ordinata, ut constat experientia; sic enim potest aliquis malle pecuniam, quam libros, propterea quod pecunia vult comparare et libros et vestes et cibos. Cum tamen ita plura intenduntur, solent illa omnia ordinem ad aliquid aliud distinctum habere, ut patet in hoc exemplo, nam et vestes et cibi ordinantur ad vitam sustentandam, vel ad assequendam scientiam. (7) Non possunt plura simul intendi tamquam fines ultimi, quorum nempe nec aliter ad alterum, nec uterque ad alium distinctum referatur, prout communis tenet opinio, et fuse probat S. Thomas (1).

---

(1) Vide Suarez, loc. cit., num. 5.
(2) Cfr. opus fusius, volum. 6.°, num. 67.
(3) S. Thom., 1, 2.ae, quaest. 11, art. 3.
(4) S. August., *de doctrin. christ.*, lib. 1, cap. 33; et lib. *Octoginta trium quaestion.*, quaest. 30.
(5) Vide S. Thom., 2.° dist. 38, quaest. 1. art. 3.
(6) Vide Suarez, loc. cit., disp. 6, sect. 1, num. 6, 7 et 8.
(7) S. Thom., 1. 2.ae, quaest. 12, art. 3; Valentia, in hunc locum.

Intentio finis vel expresse vel implicite ac virtute importat mediorum appetitionem *in communi* et in hoc differt ab amore vel voluntate sumpta pro actu. Quia finis intentio est idem ac *efficax* desiderium rei adipiscendae; desiderium autem ejusmodi profecto importat voluntatem adhibendi ad finem necessaria media. Quod si quaeras utrum eodem actu voluntas velit finem et media, non una est veterum sententia; communior tamen est S. Thomae doctrina (2), quae huc revocatur: α) *Voluntas non semper eodem actu vult finem et media,* nimirum quando appetit finem *absolute et secundum se*, vel etiam quando appetit quidem illum *ut assequendum per media* quae supponuntur non defutura, quin tamen ullum adhuc occurrat in particulari. β) *Voluntas interdum uno eodemque actu fertur in finem et media*; videlicet cum movetur in media propter finem, vel etiam in finem tamquam in rationem formalem volendi hoc vel illud medium: et tunc intentio et electio sunt unus re actus, quamvis ratione distinctus (3).

II.—Actus voluntatis circa media.

444. Circa medium duo *praecipue* actus eliciuntur a voluntate, *electio* et *usus.* Postquam enim voluntas finem intendit, intellectus de mediis ad illum assequendum idoneis *consiliatur*, eaque voluntati proponit, quae aliquod illorum acceptat, seu eligit, et postea executioni mandandum curat, applicando potentiam ad operationem, quod est usus.

Electio est volitio efficax medii ad finem aliquem obtinendum: in qua duo actus occurrunt, judicium rationis concludentis unum medium prae aliis esse amplectendum, et acceptatio ejusdem. Ex quibus solus secundus formaliter constituit electionem, praesupposito tamen priori, ut tenet communis cum S. Thoma (4); electio enim speciali quodam modo requirit rationis directionem. Unde brutis non potest competere, cum careant cognitione mediorum et proportionis eorumdem cum fine. Caeterum quamvis electio, si stricte et secundum vim vocis sumatur, debet fieri inter plura media, unum reliquis praeferendo; tamen in morali Philosophia generalius accipitur pro volitione cujuslibet rei quae non propter se, sed propter aliud amatur, etiamsi sola proponatur.

Quod spectat ad objectum electionis, illud debet esse α) medium aliquod particulare, qua tale, seu bonum utile, non autem finis, qui ut talis appetatur: β) secundo debet esse possibile, saltem in eligentis apprehensione, quia electio procedit ex efficaci finis obtinendi intentione, efficax vero voluntas nequit ad impossibile inclinare: γ) debet esse aliquid per nos faciendum, quia quae ab aliis facienda sunt, probari quidem vel desiderari dicuntur, non autem eligi (1). Denique si quaeras,

---

(1) S. Thom., ibid., art. 5; Valentia, In 1.^{am} 2.^{ae} disp. 1, quaest. 1, punct. 6; Suarez, *de ultimo fine hominis*, disp. 3. sect. 3.

(2) 1. 2.^{ae}, quaest. 8, art. 3. Cfr. ibid., quest. 12, art. 4; et *de verit.*, quaest 22, art. 14; 2.° dist. 38, art. 4.

(3) Haec enucleatius evoluta videri queunt in opere fusiori, vol. 6.°, num. 66 69.

(4) *De verit*, quaest. 22, art. 15.

Quo pacto intentio finis influat in mediorum electionem, physicane efficientia, an vero solum morali; physicam requirunt Vazquez, Salas, Ruiz de Montoya et alii, moralem forte probabilius sufficere putant quidam Thomistae, Valentia (2), Oviedo, Soarez lusitanus et Lossada (3), ut probatum breviter habes in alio opere (4).

445. Paulo superius innuimus ante electionem praecedere *consilium* vel consultationem rationis: idque intelligendum est de dubiis et contingentibus, nam de certis ac determinatis, sicut nec de parvis, quae parum interest, ut sic vel aliter fiant, non solet esse consultatio, ut docet Aquinas (5). Caeterum consilium istud non est actus simplex, sed varios alios complectens, nempe *inquisitionem mediorum*, quae non fit sine discursu et consideratione circumstantiarum et difficultatum quae ad rectum ferendum judicium requiruntur, et *judicium* de inventis. Quamquam non desint, qui malle videntur consilium solam importare inquisitionem mediorum, quam sequitur postea judicium et resolutio aut sententia unum medium caeteris praeferentis. Quidquid de hoc dicere velis, certum est, in dubiis et incertis utrumque requiri ante electionem, et mediorum inquisitionem et judicium. Post hos vero actus succedit

Consensus, actus nempe voluntatis probans judicium vel sententiam rationis de mediis. Non autem convenit inter scriptores, utrum iste consensus identificetur, an distinguatur ab ipsa electione formali. Identificari re, ac solum ratione differre vult Suarez (6); S. Thomas vero, quamvis concedat ita dicendum esse, ubi unum tantum occurrit medium quod placeat, distingui tamen re putat consensum ab electione, quando plura suppetunt media ejusmodi, ac tunc docet proprium esse consensus probare quodlibet ex mediis per rationis judicium propositis, electionis vero unum eorum caeteris praeferre (7). Quae cum ita sint, haec est series actuum respectu mediorum ex mente S. Thomae: *Amor* et *intentio finis*, faciens, ut voluntas decernat quaerere media, *consilium* et *investigatio* eorum, *judicium* concludens, quaenam sint magis idonea, *consensus* probans proposita per rationem media, et tandem *electio* alicujus, caeteris relictis. Post quae solum restat exsecutio mediorum vel *usus.*

446. **Usus in hac materia contraponitur fruitioni,** docente S. Augustino: *Utimur his, quae ad aliud referimus, quo fruendum est* (8). Versatur itaque usus circa media, sicut electio, nec potest circa finem ultimum versari, et sic definitur *applicatio rei ad aliquam operationem.* Cum enim voluntas vult aliquid, ad quod requiratur actio manus, pedis, oculorum alteriusve rei, potestatem habet eam ad opus applicandi. Si jam quaeras,

---

(1) Vide S. Thom., 1. 2.^{ae} quaest. 13, art. 2, art. 3 corp. et ad 2.^{um}; art. 4 et 5; Suarez, de *voluntar.* et *involuntar.*, disp. 8, sec. 1.

(2) In 1.^{am} 2.^{ae}; disp. 2, quaest. 3, punct. 3, fin.

(3) *De anim.*, disp. 9, cap. ultimo, num. 121.

(4) Volum. 6.°, num. 69 fin.

(5) 1. 2.^{ae}, quaest. 14, art. 1 et 4.

(6) Loc. cit., disp. 8, sect. 2, num. 5.

(7) S. Thom., 1. 2.^{ae}, quaest. 15, art. 3, ad 3.^{um}

(8) *De Trinit.*, lib. 10, cap. 10. Cfr. *de doctrin. christ.*, lib., 1, cap. 33; et libr. *Octoginta trium quaest.*, quaest. 3.

Ad quam potentiam proprie spectet usus, nota quod ipsa quoque *operatio, ad quam applicamus rem aliquam, dicitur usus ejus, sicut equitare est usus equi,* et *percutere est usus baculi* (1), et videre est usus oculi. Haec tamen operatio non dicetur usus, nisi quatenus imperatur, et ordinatur ab illa potentia, cujus est proprium applicare vel movere caeteras ad operandum, qualis est voluntas. Quare in usu distinguenda est actio voluntatis applicantis aliam potentiam vel rem ad opus ab actione potentiae sic applicatae, nam actio rei txternae, utpote quae ad operandum non applicatur nisi mediis potentiis vel membris corporis, remotius est usus. Usus ergo, secundum S. Thomam, probabilius est proprie ac principaliter actus interior voluntatis, quamvis deinde minus principaliter dici possit tum de ratione, voluntatem in suis actibus dirigente, tum de caeteris potentiis exsequentibus, internum voluntatis decretum applicans eas ad opus (2). Ad majorem vero perspicuitatem actus voluntatis vocari solet a multis *usus activus,* operatio autem aliarum potentiarum exsequentium *usus passivus.* Caeterum quia voluntas potest etiam suos proprios actus vel operationes velle atque imperare, potest etiam se ipsa uti, et ad operationem applicare (3).

III.—Divisio actuum voluntatis in elicitos et imperatos; ubi quid sit imperium, et ad quam potentiam pertineat.

447. Imperium propie ac primario dicitur actus, quo superior injungit subdito, ut aliquid faciat: hinc vero imperium dicitur etiam secundario actus unius potentiae, ex cujus determinatione sequitur actus alterius, et sic dicitur voluntas imperare actus aliarum potentiarum. Itaque actus elicitus vocatur, qui ab ipsa voluntate immediate efficitur, v. g. amor, desiderium; imperatus, qui efficitur ab aliqua potentia ex imperio ac motione voluntatis. Possunt dari actus imperati etiam in ipsa voluntate, ut longe communior tenet sententia, illi nempe qui alio praecedente actu imperantur: quo pacto actus v. g., castitatis, abstinentiae, etc., imperari valent per actum charitatis, ut docent Theologi. Actus, quo voluntas hoc modo respicit pro objecto alium actum suum, decernendo illum elicere, ut hic v. g.: *Volo elicere actum contritionis*, vocatur *imperium reflexum.* Circa quod disputatur inter Theologos, utrum detur naturaliter imperium reflexum efficax relate ad actum voluntatis determinate ac de praesenti eliciendum, nempe utrum voluntas possit imperare imperio efficaci actum determinatum nunc statim ponendum, qui sit realiter distinctus ab ipso imperio. Sententia tamen valde communis et probabilis affirmat (4).

448. Utrum imperium sit actus voluntatis, an vero intellectus, est quaestio pene insolubilis. Inter eos autem, qui reponunt imperium in intellectu, postea controvertitur, utrum illud sit actus specifice distinctus a vulgata triplici operatione, an vero revocandum sit ad aliquod ejus membrum. Thomistae cum S. Thoma, Cajetano, Medina, etc., volunt imperium esse actum intellectus, eisque adhaerent Fonseca, Molina, Azor, Valentia (1), Vazquez, Salas, Quiros aliique nostri. Scotistae autem cum S. Bonaventura, Henrico et aliis, quibus aperte favet S. Augustinus (2) et S. Anselmus (3), arbitrantur imperium esse voluntatis actum: idemque tuentur e nostra Societate Suarez (4), Lossada (5) et multi alii. Quaestio, magna ex parte, videtur potius de nomine. Omnes enim facile, opinor, concedent, in imperio quaedam concurrere, quae rationis, quaedam alia, quae voluntatis propria sunt. Imperii enim est *denuntiare, intimare, ordinare, praescribere*, quid faciendum sit; itemque *movere, determinare, ex dominio statuere*: quorum priora ad intellectum, ad voluntatem posteriora pertinent (6). Tota ergo controversia in eo sita esse videtur, ut statuatur, quidnam illorum primo ac praecipue mereatur nomen imperii. Rationes utriusque opinionis expositas cum solutionibus adversariorum videre poteris, si lubet, in opere fusiori (7).

---

(1) S. Thom. 1. 2. ae, quaest. 16, art. 1.
(2) Vide S. Thomam, 1. 2.ae, quaest. 16, art. 1.
(3) S. Thom., loc. nup. cit.; art. 4, ad 3.um Cfr. opus fusius, volum. 6, num. 71.
(4) Vide opus fusius, volum. 6.°, num. 72; et Lossada, *de anim.*, disp. 9, cap. ult., num. 124-127.

ARTICULUS VI

An et quo pacto voluntas moveatur, et moveat alias potentias.

I.—A quibus moveri voluntas queat.

449. Praenotanda. Cum motus sit actus entis in potentia, eatenus voluntas moveri potest ad aliquid, quatenus est ad illud in potentia. Ad duo autem potest esse voluntas in potentia, ad exercitium actus, quia non semper actu vult, et ad specificationem, non enim habet natura sibi determinatam speciem unam actus. Porro moventia possunt esse causa efficiens et finalis.

In genere causae finalis et quoad specificationem voluntas, ex hactenus disputatis, moveri potest a quolibet bono rite ac sufficienter proposito (n. **425-439**). Dubitatur autem, **utrum moveri queat etiam quoad exercitium, et efficienter inclinando illam ad actum.** Quod bifariam intelligi potest: primo, directe et immediate ita, ut voluntas impellatur aut inclinetur per aliam causam ad actum; secundo indirecte ac mediate ita, ut alia causa vel potentia apponat aliquid, unde voluntas se ipsam determinet ad ponendum actum. Quae vero voluntatem movere ad actum possent, vel sunt internae causae, id est, potentiae ejusdem subjecti, vel externae, sive spiritus (Deus et angeli), sive corpora. Causae demum internae intelligi possent potentiae ordinis vel sensitivi, vel intellectivi.

---

(1) In 1.^{am} 2.^{ae}, disp. 2, quest. 12, punct. 1.
(2) *Confession.*, lib. 8, cap. 9.
(3) *De conceptu Virginis*, cap. 4.
(4) *De voluntar.* et *involuntar.*, disp. 9, sect. 3; *De legibus*, lib. 1, cap. 5, num. 8.
(5) *De anim.*, disp. 7, cap. 5, num. 102.
(6) Vide S. Thom., *Quodlib.* 9, art. 12.
(7) Volum. 6.°, num. 74, 75.

450. **An et quae potentiae movere valeant voluntatem.** Vegetativae nihil possunt efficere ut per se patet, quia sunt materiales. Idem dicendum est de sensibus, si sermo sit de motione directa et immediata, quia sensitiva cognitio non sufficit ad volitionem (n. **425**); medio tamen appetitu sensitivo possunt sensus aliquo modo voluntatem movere (n. **404, 405**). Intellectus utique cognitione sua movet voluntatem, non tamen efficienter, sed in genere causae finalis (n. **389, 384**), nimirum proponendo bonum illam ad actum alliciens. Denique voluntas, cum non solum eliciat, sed etiam imperare valeat aliquos suos actus (n. **447**), potest se ipsam immediate ad exercitium multorum actuum movere, non tamen ad primum, quem elicit circa finem, sed ad illum extrinsecus movenda est, ut mox declarabitur.

451. **Corpora non possunt movere immediate voluntatem quoad exercitium,** quasi aliquid efficiendo circa illam, ut e potentia transeat ad actum; quia nihil materiale potest per se immediate agere in rem immaterialem vel spiritualem: quare ut absurda rejicitur sententia illorum (1), qui putarunt corpora coelestia directe imprimere in humanam voluntantem, determinando illam ad actus suos. Indirecte tamen ac remote possunt externa corpora influere in voluntatem accendendo suis illecebris passionum flammas in sensitivo appetitu (2).

452. **Angeli similiter** nequeunt interius voluntatem movere, immediate inclinando eam ad actum; nam immutare hoc pacto voluntatem est proprium solius Dei, qui naturae intellectuali suam dedit virtutem sese inclinandi ad bonum (3). Exterius tamen et indirecte potest angelus voluntatem movere, ostendendo ei bonum aliquod, ejusque honestatem vel utilitatem ponderando, non quidem ita, ut ineluctabiliter obtineat consensum, sed ut tantum alliciat per modum suadentis, sicut potest unus homo alium exhortando et persuadendo movere (4). Possunt praeterea angeli, nempe mali, voluntatem indirecte movere concitando passiones appetitus sensitivi (5).

453. **Deus potest movere voluntatem** non solum per modum objecti, et quidem efficaciter et necessario, ut fit in visione beatifica; nec solum exterius et indirecte, sicut angeli modo explicato; sed etiam directe et immediate atque efficienter, prout scimus fieri per gratiam in actibus salutaribus. Cum enim Deus sit auctor voluntatis potest ingenitam inclinationem, quam ad bonum dedit, augere cum vult, et prout vult (6).

Quae cum ita sit, voluntas quidem a variis causis moveri potest indirecte ac mediate ad exercitium; directe vero atque immediate a solo Deo, et a se ipsa etiam respectu multorum actuum.

---

(1) Vide apud S. Augustin. (*Confession*, lib. 4, cap. 3; *de civit. Dei*, lib. 5, cap. 1), S. Thom. (1. 2.ae, quaest. 9, art. 5); Suarez (*Metaphys.*, disp. 19, sect. 2, num. 10).

(2) Lege S. Thom., loc. nup. cit.; et 1 p., quaest. 115, art. 4; *Contr. Gent.*, lib. 3, cap. 85.

(3) Lege S. Thom., ibid.; et 1 p., quaest. 121, art. 2; *Contr. Gent.*, lib. 3, cap. 68, *Item ab illo agente...*

(4) Egregie rem declarat S. Thomas, *Contr. Gent.*, lib. 3, cap. 88 initio.

(5) S. Thom., 1 p., quaest. 111, art. 2. Cfr. 1. 2. ae, quaest. 80, art. 1; *de verit.*, quaest. 22, art. 9; *de malo,* quaest. 3, art. 3.

(6) S. Thom., 1 p., quaest. 105, art. 4; quaest. 106, art. 2, quaest. 111, art. 2; 1. 2. ae, quaest. 9, art. 6.

II.—A quo et quomodo moveatur voluntas ad primum actuum.

454. **Status quaestionis.** Voluntas eatenus se movet ad quosdam actus, quatenus volendo finem, reducit se ad volendum ea quae sunt ad finem (1). Non potest autem se movere ad primum actum qui sit circa finem; cum enim non semper voluerit illum, non potest transire de potentia ad actum talis volitionis per se ipsam, sed per aliquam causam extrinsecam, siquidem omne quod movetur ab alio movetur (2), prout suo loco declaratum est (3). Hanc porro causam externam, cujus instinctu voluntas movetur ad primum actum, docet S. Thomas esse Deum (4). Circa quam doctrinam notandum ante omnia est, S. Doctorem nomine primi actus vel primae volitionis non intellexisse *primam volitionem ultimi finis*, quemadmodum interpretatus est cardin. Cajetanus, sed *primam finis appetitionem in quocumque negotio*, cum nempe, nulla praecedente circa illud deliberatione aut consilio, inchoatur series volitionum: sic eruitur ex contextu, et sic illum intelligunt Medina, Conradus, Sylvius, Vazquez, Valentia, etc. Verum quaeres,

455. **Quo sensu Deus dicendus sit voluntatem movere vel applicare ad primam finis volitionem.** Variae sunt interpretationes minus rectae, quas videre potes rejectas in fusiori opere (5); sed vera videtur haec esse: *Primus voluntatis actus circa finem tandem refunditur in Deum, non* α) *quod proxime non possit procedere ex causarum secundarum motione, nec* β) *quod requirat* **semper specialem motionem** (physicam praemotionem) *intellectui vel voluntati humanae* **immediate** *a Deo impressam, sed* γ) *quod debeatur inclinationi in bonum universale inditae voluntati ab auctore naturae.*

Probatur primum α) **membrum.** Quia jam vidimus ex doctrina S. Thomae (n. **450** seqq.) multa esse quae indirecte possunt voluntatem movere; sanctus vero Doctor non contraxit sermonem ad mediorum electionem, sed generatim locutus est, nec ulla apparet ratio excludendi a generali assertione appetitionem finis. Praeterea experientia ipsa novimus, primam cogitationem cujusvis finis et consequentem appetitionem ex diversarum causarum interventu procedere. Itaque causae primam finis alicujus cogitationem injicientes, et sic ad ejus appetitionem incitantes, possunt esse: 1.° sensus externi: 2.° imaginatio per associationem idearum et excitationem specierum consopitarum: 3.° alii homines, amici, parentes erga filios filii erga parentes, etc., per suggestiones, consilia, hortationes, propositiones, petitiones: 4.° angeli diversimode. Haec vero omnia, ut vides, sunt tantum causae *proximae* atque indirecte tantum applicantes voluntatem. Ultima causa et primus motor est Deus per suam providentiam, quae tali tempore, loco, modo et caeterorum adjunctorum occursu res singulas constituere decrevit, unde tota series actionum ordinatissime, suavissime ac consentanee ad illarum naturam succederet, interveniente saepe peculiari et studiosa causarum et eventuum dispositione infinitae bonitatis, sive per se immediate, sive per medios angelos et alias causas secundas, in custodiam et salutem electorum suorum (1). Et hujusmodi sapientissimae providentiae dispositione possunt explicari etiam exempla prosperae adversaeque fortunae, quae in hominum vita contingunt, quemadmodum ipsemet Aristoteles agnovit (2). Sic ergo voluntas mota ad primum actum circa finem, potest deinde se ipsam ad alios movere.

---

(1) S. Thom.. 1. 2.^{ae}, quaest. 9, art. 3.

(2) Cfr. Compend. volum. 3.^{um}, num. 164.

(3) Vide S. Thom., 1. 2.^{ae}, quaest. 9, art. 4, corp. et ad 3.^{um}; *de malo*, quaest. 6, art. unic., *Sic ergo...*

(4) 1. 2.^{ae}, quaest. 9, art. 6 collat cum 4.° et *Contr. Gent.*, lib. 3, cap. 29 fin; *de malo*, quaest. 6, art. unic. post med., *Relinquitur ergo...*

(5) Volum. 6.°, num. 78.

Probatur secundum β), quia potentia natura sua satis inclinata ad amandum quidquid habet rationem boni, dummodo rite proponatur, non indiget novo impulsu in se recepto, ut amet illud. Atqui talis est voluntas, et objectum sufficienter ipsi proponitur modo hactenus declarato. Ergo voluntas non eget etiam ad primum actum circa finem *speciali motione* a Deo *immediate* proveniente. *Potest* nihilominus Deus, quae summa bonitas est, *interdum* voluntatem specialiter tangere, ut evenit fortasse, cum experimur aliquando subitaneum impulsum aut instinctum ad aliquid volendum vel faciendum, quin causam sciamus: quibus motibus obsecundantes quidam et pericula vitae cavisse, ac fortunatos eventus nacti esse feruntur, divina scilicet providentia disponente (3).

Probatur tertium γ), qui enim dat virtutem et inclinationem naturalem ad aliquid, recte dicitur in aliquo vero sensu movere et applicare ad faciendum id, quod in virtute illius inclinationis procedit. Atqui Deus, et solus Deus, indidit voluntati naturalem inclinationem in bonum, in cujus virtute procedit prima finis cujuslibet vel boni noviter occurrentis appetitio. Ergo...

Minor quoad priorem partem constat, quia Deus solus est auctor animae humanae, et consequenter virtutum et inclinationum naturalium. **Quo ad alteram vero partem** probatur, tum quia sine hac inclinatione naturali voluntas nihil potest appetere, quantumvis vivide proponatur; tum quia relate ad primum actum nihil aliud apparet, quod voluntatem ad operandum impellat (4).

Idem facile probatur ex toto contextu articuli S. Thomae (5), cujus doctrinam hic exponimus, ut videre licet in opere fusiori (6).

---

(1) Vide Fonseca (*Metaphys.* lib. 9, cap. 2, quaest. 5, sect. 2), Vazquez (In 1.am 2ae, disp. 38, cap. 3).

(2) *Ethicor. ad Eudem.*, lib. 7, cap. 18. Vide P. Silvestr. Mauri, in *Paraphrasi* in eumdem locum.

(3) Vide haec fusius evolventem P. Gregorium de Valentia, In 1.am 2.ae, disp. 2, quaest. 4, punct. 4, *Est autem observandum...*

(4) Vide instantiam solutam in volum. 6.°, num. 79, γ) *Primus actus... post probation. 1.am*

(5) 1. 2.ae, quaest. 9, art. 6.° collat. cum 4.°; et lib. 3.° *Contr. Gent.*, cap. 29 fin.; *de malo*, quaest. 6, art. unico.

(6) Loc. nup. citat., *Probatur 2.° assertio...*

III.—An et quas potentias et quomodo moveat voluntas.

456. **Proprium voluntatis est movere alias potentias ad exercitium suorum actuum**, ut patet experientia cujusque ac ratione. Nam illius potentiae, ad quam pertinet finis, officium est movere potentias, ad quas pertinent media ad finem. Atqui ad voluntatem pertinet bonum, quod est finis, et per actus potentiarum assequimur bonum voluntate concupitum. Ergo ad eam pertinet actus aliarum potentiarum imperare. Praeterea *in omnibus potentiis activis ordinatis illa potentia, quae respicit finem universalem, movet potentias, quae respiciunt fines particulares... Objectum autem voluntatis est bonum et finis in communi. Quaelibet autem potentia comparatur ad aliquod bonum proprium sibi conveniens, sicut visus ad perceptionem coloris, et intellectus ad perceptionem veri* (1) Ergo... - In primis vero

Voluntas se ipsam movet, ut constat experientia. **Movet etiam intellectum** quoad exercitium, et quoad applicationem attentionis ad objectum, et quoad materiam cogitationis, quamvis interdum ob vehementiorem sensuum operationem nequeat intellectu voluntas uti pro lubito. Non potest tamen movere intellectum ad primam cogitationem, nam voluntatis actum actus intellectus praecedat necesse est (2).

Voluntas movet etiam appetitum sensitivum, quamvis non inmediate, sed medio interno sensu, nec despotice, sed politice (n. **406**). **Sensus internos,** ac nominatim imaginationem, movet pariter voluntas, quamvis saepe actus imaginationis praeveniant illius imperium. Interdum vero potest voluntas vagantis imaginationis ludibria compescere, alias non potest omnino, sive ob corporis indispositionem sive ob luxuriantis phantasiae excitationem. **Sensus externos non directe, sed indirecte, movet voluntas,** quia nempe solum imperare potest applicationem eorum, quae fieri solet motu locali, organum convertendo ad objectum; semel enim applicati sensationem eliciunt independenter a voluntatis motione.

Vires vegetativae non subjacent imperio voluntatis directe, indirecte autem et improprie dici possunt subjici, quatenus a voluntate pendet appositio materiae, unde sequatur operatio vegetativa.

Potentia demum loco-motiva imperante voluntate movetur, ut constat experientia, quoad motus spontaneos vel voluntarios (n. **51**), nam motus naturales et automatici vel pure organici, ut v. g. motus cordis, circulationis sanguineae, etc., effugiunt voluntatis imperium. Motus vero voluntarii a voluntate imperantur despotice (n. **406**), non politice, sicut motus appetitus sensitivi (3). Et ratio est, quia membra corporis non moventur per proprium objectum, sed inmediate imperio superioris potentiae tamquam ejus instrumenta; appetitus vero sensitivus habet proprium objectum, a quo allicitur, et propterea quando aliquid illi praecipitur contrarium objecto suo, non potest non reluctari (4). Restat, ut dicatur,

---

(1) S. Thom., 1 p., quaest. 80, art. 4.

(2) Haec magis declarata reperiuntur in volum. 6.°, num. 80.

(3) Vide S. Thom., 1 p. quaest. 81, art. 3 ad 2.^{um}

(4) Cfr. Suarez, *de voluntar.* et *involuntar.*, disp. 10, sect. 2, num. 10.

457. **Quomodo voluntas caeteras potentias moveat.** Res est valde dubia. Omnes in eo videntur convenire, quod moveat *quodammodo efficienter.* Thomistae cum Cajetano (1) putant voluntatem potentias movere imprimendo illis aliquid intrinsecum reale ac physicum, quo ad operationem determinentur, sive illud sit qualitas aliqua, sive potius motio virtuosa (2). Cui sententiae non uno in loco favet S. Thomas (3). Conimbricenses arbitrantur voluntatem movere non physicum aliquem influxum potentiis immittendo, sed concurrendo cum illis ad earum actus (4). Alii longe communis praeferunt influxum vel causalitatem moralem. Cum enim omnes potentiae in eadem anima radicentur, ac tendant omnes ad bonum subjecti, sic sunt harmonice constitutae, ut voluntate imperante, per quamdam sympathiam ac naturalem subordinationem ad actum et exercitium applicentur, quemadmodum superius etiam docuimus (n. 60). Ita opinantur Mastrius (5) cum Scoto, et nostrae Societatis scriptores communissime cum Suarez (6), Lossada (7), etc., etc., quorum doctrina probatur in opere fusiori (8).

ARTICULUS VII

Utra potentia sit perfectior, intellectusne, an voluntas.

458. **Status quaestionis et sententiae.** Triplex comparatio inter has potentias institui potest, quibus (sumptis substantive ac radicaliter) homo in sua specie constituitur: prima *relate ad ordinem*, secunda *relate ad capacitatem*, tertia *relate ad dignitatem et perfectionem.* Si comparentur relate ad ordinem, *cognitiva potentia naturaliter prior est, quia prius est perfectio rei in se ipsa, quam secundum ordinem ad alia.* Quantum ad capacitatem *sunt aequales, quia sicut cognitiva est respectu omnium, ita et appetitiva: unde etiam mutuo se includunt, quia intellectus voluntatem cognoscit, et voluntas ea quae ad intellectum pertinent, appetit et amat* (9). Et in his quidem nulla est discordia, sed circa tertiam comparationem in duas se scindunt Philosophi sententias. Scotistae cum suo capite, subtili Doctore (10), voluntatem putant intellectu perfectiorem esse; Thomistae vero cum Aquinate (11), quibus nostri communiter assentiunt (12), intellectum perfectiorem esse contendunt.

---

(1) In 1.^{am} 2.^{ae}, quaest. 23, art. 8.

(2) Vide Joann. a S. Thoma *(de anim.*, quaest. 12, art. 6), Joann. Martinez de Prado *(de anim.*, lib. 3, quaest. 32), etc.

(3) Vide v. g.. 1. p. quaest. 82, art. 4; 1. 2.^{ae}, quaest. 17, art. 1; quaest. 56, art. 2.

(4) *Ethicor* disp. 4, quaest. 3, art. 3. Cfr. Mastrius, *de anim.*, disp. 7, quaest. 7, art. 2, num. 168, 169.

(5) Loc. nup. cit.

(6) *De anim.*, lib. 5, cap. 7, num. 7.

(7) *De anim.*, disp. 7, cap. 5, num. 109.

(8) Volum. 6.°, num. 82.

(9) S. Thom. 3.° disp. 27, quaest. 1, art. 4.

(10) 4.° disp. 49, quaest. 4. Vide Mastrium, *de anim.*, disp. 7, quaest. 8.

(11) 1. p. quaest. 82, art. 3; *de verit.*, quaest. 22, art. 11; 3.° dist. 27, quaest. 1, art. 4.

(12) Vide Suarez *(de anim.*, lib. 5, cap. 9), Conimbricens. *(de anim.*, lib. 3, cap. 13, quaest. 2), Lossada *(de anim.*, disp. 7, cap. 5, num. 110 seqq.) etc., etc.

Utraque sententia et extrinsece et intrinsece probabilis est, nec multum inter se discrepat, quia S. Thomas et ejus asseclae ultro fatentur voluntatem secundum quid perfectiorem esse.

459. PROPOSITIO. **Quamvis voluntas secundum quid, et ratione habita particularium considerationum, partim intellectum excedat, partim ab eo excedatur; simpliciter tamen, omnibus perpensis, intellectus perfectior dicendus est.**

Prima pars probatur 1.° Intellectus attingit res secundum suum *esse* intentionale, voluntas autem tendit ad illas secundum *esse* reale ipsarum. Atqui actus hominis attingens secundum *esse* intentionale res illo imperfectiores perfectior est actu attingente illas secundum *esse* reale; et vice versa actus attingens res perfectiores. Ergo intellectus secundum quid partim excedit, partim exceditur in perfectione a voluntate (1).

Prob. 2.° Praeterea voluntas intellectum, sicut caeteras potentias, movet (n. 450), et cum propria libertate polleat, ejusdem extrinsece participes facit alias omnes potentias, quarum actus ex libera voluntatis directione liberi denominantur. Ergo ex hoc duplici capite excellit supra intellectum. Verum e converso vincit voluntatem intellectus, tum quia movet illam quoad specificationem actus proponendo bonum appetendum, tum quia etiam relate ad ipsum exercitium nihil potest voluntas nisi sub intellectus directione (2).

Probatur secunda pars. Inter potentias ejusdem ordinis, quae se invicem in quibusdam excedunt; illa simpliciter nobilior censenda est, quae α) objectum habet abstractius et immaterialius, β) majorem prae se fert independentiam ac prioritatem in essendo et operando, et γ) ex modo ipso suo tendendi magis arguit perfectionem. Atqui talis est intellectus. Ergo...

Major videtur per se patere. **Probatur Minor per partes**, et primo quidem **membrum** α). Nam proprium est intellectus ferri in rem praescindendo a concretione singularitatis et existentiae, et vero voluntas, quidquid sit de actu simplicis complacentiae, qui minus perfectus est, habet pro objecto rem concretam et singularem, non enim amat nec vult rem, nisi prout est in sua realitate. Ergo intellectus objectum est abstractius: *Quanto autem aliquid est simplicius et abstractius, tanto secundum se est nobilius et altius* (3).

Probatur membrum β). Etenim 1.° Appetitivum fundatur in cognoscitivo, estque illius sequela. 2.° Ipsa radix libertatis, quae praecipua voluntatis est proprietas, stat in judicii indifferentia: unde quod homo sit liber sequitur etiam ex eo, quod sit intellectu et ratione praeditus. 3.° Voluntas, quippe quae caeca potentia est, nihil prorsus appetere potest, vel per divinam omnipotentiam, nisi dependenter ab intellectu, seu praeeunte objecti propositione ac convenientia actus hic et nunc ponendi. Et intellectus proprio lumine, quo se dirigat, pollet, at quamvis in multis actibus pendere possit a voluntate, at non quoad primum. **Nec dicas** voluntatem pendere ab intellectu sicut a *materia ministrante*, sicut intellectus ipse pendet a sensu. **Non enim ita pendet**, sed potius tamquam *a magistro et consolario;* intellectus enim agit aliquid circa phantasma speciem ab illo abstrahendo, et sic aliquid perfectius eliciendo, voluntas vero nihil facit circa propositionem intellectus nisi eam excipere. At subesse hoc pacto alterius directioni, semperque indigere paedagogo, multum deprimit conditionem principis et aestimationem dominii (1). 4.° Denique intellectus praebet regulam morum, cui debet se voluntas conformare, ut recte operetur. Negari ergo nequit multo magis dependere voluntatem ab intellectu, quam vicissim.

---

(1) Vide S. Thom. 2.ª, 2.ªᵉ, quaest. 23, art. 6, ad 1.ᵘᵐ; *de verit.*, quaest. 22, art. 11; 3.° dist. 27, quaest. 1, art. 4; 1 p., quaestionem 82, art. 3.

(2) Quaedam alia in opere fusiori, volum. 6.°, num. 84, *Prima pars*.

(3) S. Thom. 1 p., quaest. 82, art. 13.

Probatur membrum γ). Modus tendendi intellectus is est, ut actus ejus ex propria indole afferat subjecto perfectionem (n. 76, 5.°), voluntas autem habet modum tendendi *ex se* indifferentem ad perfectionem, et alterutram sortitur pro objecti, quod amat, conditione (n. 92). *Unde etiam multarum rerum, quarum est malus amor, est bona cogitatio* (2). 2.° Hinc dignitas hominis ex intellectu praecipue desumitur; et ideo tamquam essentialis ejus differentia communiter habetur, quod sit rationalis, rationalis autem est intellectus primo et principaliter, voluntas per participationem.

Argumenta Scotistarum soluta videri possunt in opere fusiori (3).

DISPUTATIO SEXTA

De libertate.

Libertas dos est voluntatis, cujus actus dividuntur in necessarios et liberos. Necessarii sunt qui sic procedunt a sua causa, ut, positis omnibus praerequisitis ad agendum, non possint non procedere; liberi autem ita procedunt de facto, ut, etiam positis omnibus ad agendum praerequisitis, possint non procedere. De necessariis nullam necesse est instituere disputationem specialem; liberi vero praetermitti non possunt, tum quia libertas perfectio est praestantissima scituque dignissima, tum quia nostris praesertim temporibus acerrime impugnatur opera deterministarum, non sine dedecore scientiarum nec sine magnis moralis ordinis incommodis.

CAPUT I

VINDICATUR LIBERTATIS EXISTENTIA

Quidquid de libertate disputandum est, ad duo capita revocari potest, ad existentiam nimirum et naturam ejus. Prima itaque ante omnia nobis vindicanda est.

---

(1) Cfr. Lossada, loc. cit., num. 111.
(2) S. Thom., 3.° disp. 27, quaest. 1 art. 4 fin. corp.
(3) Volum. 6.°, num. 85.

ARTICULUS I

Libertatis hostes et vindices.

460. **Quinam libertatem inficientur**. Omissis veteribus materialistis et Stoicis fatalismi sectatoribus negarunt libertatem manichaei, priscillianistae, atque arabes quidam mahumetani fatalismum renovantes. Proximioribus vero temporibus libertati bellum indixere Joannes Wicleffus, ac Lutherani et Calvinistae, quos Cornelius Jansenius, Imprensis episcopus, secutus est; cum enim hic ad merendum et demerendum sola libertate a coactione contentus fuerit, omnino inter verae libertatis osores recenseri debet. Hos omnes ad negandam libertatem impulisse videtur aliquod ex tribus capitibus doctrinae, quae cum illius componere nesciebant existentia: *α*) primo constantia et necessitas legum physicarum et influxus corporum in animum, unde seriem eventuum omnium mundanorum indeclinabili successione sese evolventem statuerunt veteres materialistae, genethliaci atque astrologi judiciarii. β) Secundo difficultas in concordiam revocandi libertatem cum divini intellectus praescientia futurorum ac voluntatis decretis: quare Stoici et mahumetani fatalistae, ut Deo asserent futurorum scientiam et providentiam, negarunt homini libertatem, et M. Tullius Cicero, cum hanc videret negari non posse, Deo eripuit praescientiam futurorum. γ) Tertio impotentia componendi gratiae necessitatem et efficacitatem ac praedestinationem cum libertate Pelagium induxit, ut negaret gratiam necessariam esse ad actus salutares, praedestinationemque divinam ad salutem. Novatores autem protestantes maluerunt hominis libertatem sub efficaci gratia et praedestinatione inficiari. Horum vestigia in respuenda libertate secuti sunt impius Hobbes et multi Lockiani ac materialistae inde a duobus saeculis, ut Collins, Hartley, Priestley, Toland, Hume, La Mettrie, Helvetius, d'Holbach seu auctor *Systematis naturae*, Diderot aliique multi, inter quos Voltaire modo asseruit libertatem, modo in regionem illusionum amandavit. His adde Spinozam et pantheistas, monistas, evolutionistas et ingentem materialistarum positivistarumque turbam.

461. **Determinismus.** Idem error nostris diebus percrebrescit, novo scientifico apparatu ornatus, sub nomine *determinismi*, qui est systema arbitrantium, seriem omnem eventuum ac phaenomenorum mundanorum ita in se consertam contextamque esse, ut quaelibet actio cujuslibet entis etiam humanae voluntatis, in antecedenti aliquo alio actu indeclinabiliter praeparata et *determinata* sit, ut aliter esse non possit (1). Triplex a quibusdam distinguitur determinismus: *scientificus* vel *physicus, psycho physiologicus* et *psychologicus*. Physicus tenet leges naturae physicae ad actus animi nostri esse extendendas, illumque propugnant Augustus Comte, Stuart Mill et Herbertus Spen-

---

(1) Id fusius et enucleatius explicatum habes in alio opere, volum. 6.º, num. 87, *Verum nostris diebus...*

cer. Formam determinismi psycho-physiologici profitentur Richet, Herzen, Büchner, ac quotquot cogitationem et omnes actus mentis nostrae opinantur esse puros motus vibratorios, qui mensurari queant, et proinde judicandi sint secundum physicas leges, prout contendut multi *Psycho-Physiologiae* sectatores: quod si verum forret, actus intellectus et voluntatis constituerent partem operae vel laboris mechanici, ex necessaria activitate mundanae energiae resultantis. Eamdem formam determinismi videntur sequi illi, qui quamvis nolint partem operae mechanicae constituere saltem cogitationem, ut vult Bain, nec etiam volitionem ac desiderium, quemadmodum docet Theodorus Ribot, contendunt nihilominus actus istos esse mere passiva phaenomena mentis, meras repraesentationes et passivas expressiones actuum organicorum ac materialium aut diversorum statuum nervei systematis, totam vero activitatem nostram residere duntaxat in organismo. Denique psychologici determinismi assertores suam doctrinam tuentur ex Psychologiae penu depromptis argumentis, videlicet ex modo quo determinationes nostrae perficiuntur; sive enim humani generis historia consulatur, inquiunt, sive conspectus *(estadísticas)* morum publicorum, sive influxus indolis propriae cujusque hominis, sive conscientiae testimonium, sive demum ipsum principium causalitatis, libertati vale dicendum est, quemadmodum argumentatur Schopenhauer et alii (1). In quibus Alfredus Fouillée dum fuse nititur probare non dari libertatem, nec valere quidpiam rationes, quibus ea solet ostendi, concedit inesse nobis ideam et persuasionem libertatis, eamdemque sufficere, ut agamus quasi liberi essemus.

462. **Schola anthropologica et criminalista**. Ut porro videas, quos determinismus ferre fructus valeat, nova nuper apparuit in Italia schola anthropologica, secundum quam jus poenale mutandum penitus est, quandoquidem nullae sunt in crimine quovis patrando libertatis partes, utpote quae reapse non datur, ideoque peccatur quidem, sed solum ex nativo defectu vitiove insanabili anatomicae constitutionis. Etenim nasci quosdam homines ad crimen existimare licet nec posse cavere malum, fere sicut claudi aut myopes nati recte ambulare aut videre nequeunt. Vitia demum haec organica, unde crimina procedunt, generatione transmitti filiis a parentibus posse definiunt isti novi libertatis osores; et sic agnoscendum est genus quoddam hominum, qui *delinquentes nati* dicuntur, ad quos jure revocaveris *delinquentes instinctivos*, de quibus Henricus Ferri, et *amentes morales*, de quibus agit Lombroso, qui *monomania* tactis comparari possunt; cum enim in aliis rebus cordati sint, in genere

---

(1) Haec fusius evolvuntur in alio opere, volum. 6.°, loc. nup. cit.

morum carent omni recti pravique discernendi facultate, ac velut insanientes ad vitium necessario rapiuntur. Praeter hos agnosci debent, inquiunt, *delinquentes ex occasione*, qui non ex ingenito naturae vitio, sed ex passionis aestu, vel ex plurium aliarum complexu causarum, sive physicarum (coeli, variae tempestatis anni), sive socialium (educationis, lectionis librorum, morum, opinionum, religionis, politicarum institutionum), scelerate operantur, sed sine libertate (1).

463. Italicae hoc fuit Scholae anthropologicae, ut, positivismi Comte atque evolutionismi vestigia premens, assereret unicam esse methodum possibilem, sc., empiricam, qua scientia Criminalogiae superstrueretur; unde et Schola positiva nuncupata est. Neve tamen illa omnia, quae in hoc systemate undequaque constantia prius habebantur, remanserunt; sed documenta non pauca sensim per posteros rescissa sunt, ita ut jam recentiores efficacem influxum in nostram generationem tribuant socialibus causis seu *factoribus* qui dicuntur. Sic sane apud omnes est in confesso quod in criminalitatem influant; Schola vero positiva, ultra procedens, vim determinantem iisdem largitur in delinquentibus. Facinorosorum stigmata, juxta ipsam, et haereditati et sceleris exercitio magnam partem tribuenda. Hi, anthropologicum scelesti typum considerant, alii sociologicum. Quae maxime Scholae positivae tendentia, in Germania incrementum habuit.

In Italia deinde alia Schola coacta est (terza scuola) per oppositionem ad positivam et classicam; in qua qui professi sunt juris periti, positivistarum documenta, crisi subjecta, et harmonice regere et perficere voluerunt, finem juridicum poenis designantes. Eorum porro idea ceteras regiones Europae pervadens, creavit *Internationalem Unionem Juris Poenalis*. Quae huc tendit ut criminum numerus minuatur; criminosi vero rationis via tractentur, ideoque, nomine ac re, Jus hodiernum Poenale nihil volunt esse aliud nisi *Tutelam socialem*. Sint utique poenae, sic ajunt, quae timori sint quaeque societatis adversus crimina defensioni conferant, sed vialiter tantum i. e. dum criminosi typici consistant; ne tamen interea oblivioni mandentur tutandi rem publicam modi, verum adhibeantur opportuna emendationis civilis seu externae remedia sontibus, cum emendationi sit locus; sin aliter, coerceantur, ne via ulla delictis patrandis supersit. In hunc modum sese isti auctores expediunt. Omnibus tamen hoc commune vitium est, quod ab humana interna libertate, praescindant saltem, multi etiam explicite negent.

Patroni praecipui sunt: In Belgia Prins, qui libertatis moralis existentiam tenet, dum respuit eam esse responsabilitatis moralis fundamentum; adsequitur pro Germania Von Liszt, pro Hollandia Hamel, pro Italia Alimena; cui unus et alter adhaerent hispani nobiles poenalistae.

---

(1) Cfr. opus fusius, loc. nup. cit.

Alimena vult infirmari probationem pro libertate deductam e testimonio conscientiae, ex eo quod ipsa tantum procedentiam actus testatur, minime modum procedentiae. Testatur insuper, juxta ipsum conscientia libertatem in externis actibus, quin ideo etiam libertas in volitionibus sequatur: scl. liber sum in eo peragendo quod volui, non in volendo. Si sedere placet, sedeo; si ambulare arridet, ambulo. Quid vero inde sequatur me, in volendo sessionem, libere gessisse? Ergo libertatem *a necessitate* in suo systemate penitus delet, tametsi, ut planum est, libertatem *a coactione* servet.

His haudquaquam contentus, ultra negat etiam concipi liberum arbitrium posse; etenim asserit semper et ubique voluntatem motivo validiori determinari, non prout in se abstracte consideratur, sed quod in illius volitionis adjunctis validius est. Autumat denique velle plerumque nos caece, motivis volitionem determinantibus nullatenus perceptis (1).

464. Jam, si quaeras quo pacto conceptus imputabilitatis ac responsabilitatis a positivistis et Tutelae Socialis patronis intelligantur, sunto haec breviter responsiones quae veniunt: Philosophiae traditionalis et verae, atque Scholae classicae fundamentale dogma fuit criminariam imputabilitatem totam insistere in imputabilitate morali quae libertatem internam necessario exigit in agente. Imputabilitatem responsabilitas consequitur. Poena ergo nulla justa esse poterat ubi noxia operatio reo imputabilis non esset. Novae solutiones, quae post classicam inventae sunt, triplici theoria contineri videntur. Prima est eorum qui pro responsabilitate morali, responsabilitatem socialem injiciunt; altera nova ratione gestit explicare subjectivam responsabilitatem, omisso libero arbitrio; tertia demum, affert *statum periculosum* (sic vocant), cui ab homine sonte societati impendit.

1.ª Solutio: Responsabilitas socialis, a positivistis rigidioribus inducta, nihil est aliud delinquenti nisi naturalis consequentia damni societatis quae necessitate eadem qua delictum actum est, reagit contra noxios sibi homines. Frustra igitur in medium proferatur jus puniendi, ubi naturalis societati imperat necessitas.

2.ª Solutio: Alteri theoriarum genere, quas ut eclecticas impugnat Ferri, insidet consilium servandi, modificatum tamen, imputabilitatis et responsabilitatis moralis conceptum, tandem exclusa libertate.

---

(1) *Principios de Derecho Penal*, trad. E. Cuello Calón, Madrid, 1915. *Notas filosóficas de un Criminalista*, trad. Campos Pulido, Madrid, 1913.

Sit primus Gabriel Tarde, a quo tamquam elementa essentialia pro sua responsabilitate morali, afferuntur et identitas personae, permanentia του εγω delinquentis, et simul similitudo socialis seu conformitas quaedam sensorum ac judiciorum in membris diversis societatis; hoc solo absque libero arbitrio, adest responsabilitas moralis, quam responsabilitas poenalis necessario praesupponit.

Von Liszt aequum agendi modum pro responsabilitate requirit seu normalitatem, ut dicere solemus, i. e. capacitatem sese in societate normaliter gerendi, aptitudinem ad normaliter percipiendam vim quae legis tum juridicae, tum moralis, tum religiosae, etc. ortum determinavit, ac secundum normam etiam reagendum. Unde imputabilitas definienda: Facultas determinationis normalis.

At his differt Bernardinus Alimena, pro quo illud est imputabilitatis subjectum quod timore pertingi valet; siquidem responsabilitas dicenda est esse capacitas sentiendi vim seu coactionem psychologicam quam poena secum fert, atque aptitudo ad excitandum in membris societatis sanctionis sensum.

Accedit postremus huic classi *Autodeterminismus* Quintiliani Saldaña. Fundamentum affigit responsabilitatis istud, quod nostrae operationes fructus sint vitae cuiusque totius vitae, inquam, plene liberae ac moraliter responsabilis, etsi momento ipso actionis, necessario actuum nostrorum servi simus. Quod ut roboret, insistit in deliberationum et attentionis nostrae mechanismo. Libertatem actualem agnoscit nullam; si quae existit, est virtualis, potentialis, antecedens ac intus latens. Id unum quod apparet, scl. actus, sicuti quodvis phaenomenum, legibus necessariis obedit in suo processu. Determinismus vero psychologicus habet quod sit autonomus et noster, i. e. Autodeterminismus. Responsabilitas moralis neque directa est neque actualis, ex actu criminoso; sed indirecta ac aetiologica ex objecto, ex finibus, ex actibus praeviis unitis voluntati, rationi, sensibilitati, per attentionem, per judicium, per characterem (1).

3.ª *Solutio:* Prins et alii theoriam *status periculosi* defendentes, responsabilitatem objectivam omnino quaerunt separare a subjectiva quae pro ipso a libertate dependet; cum tamen, juxta alios, nihil de ea capere ratio nostra possit. Objectiva responsabilitas originem duxit e discrimine ac periculo quod societati creatur ab exemplo et vitae ratione quam nequam homines gerunt. Ex quo colligitur Jus Poenale disquisitione de libero arbitrio ac determinismo utilitatis fructum nullum posse percipere. Notio vero *status periculosi* unice dicenda est poenalistis esse maximi momenti: namque simul ac status ille adesse ostendatur, necessitas exurgit defendendae societatis, idque sive determinatus sive a responsabili sive ab innocuo procedens. Advertendum, ut pro electione mediorum defensionis socialis, conditioni subjecti periculosi consulatur, ut individuale remedium adhibeatur (1).

---

(1) *Defensa Social y Perfección Social*, Madrid, 1916.—*Los orígines de la Criminalogía*, Madrid, 1915.

465. Contra hos omnes pugnant uno agmine libertatis jure tuentes nobilissimi antiquitatis Philosophi, Plato et Aristoteles, et ecclesiastici scriptores cum SS. Patribus, Theologis ac Philosophis scholasticis, itemque aliae plures philosophicae scholae ac praeclari scriptores recentiores, ut videre licet in opere fusiori (2).

ARTICULUS II

Notio libertatis declaratur.

466. **Libertas a coactione et necessitate.** Omissis aliis libertatis acceptionibus aut metaphoricis aut theologicis (3), sermo est hic de libertate naturae, quae ex communi Philosophorum Theologorumque consensu dispescitur in libertatem a coactione ac libertatem a necessitate. Libertas a coactione, quae libertas etiam spontaneitatis vocatur, est immunitas a violentia, et *liberum* in hac acceptione idem sonat ac *voluntarium* seu *spontaneum* in strictiore sensu intellectum, nempe quod est secundum inclinationem voluntatis aut appetitus eliciti, et opponitur *coacto* vel *violento*, quod importat vim extrinsecus illatam (4).

Libertas a necessitate, quae vocatur etiam **libertas indifferentiae ac liberum arbitrium,** importat immunitatem a necessitate; et liberum in hac acceptione intelligitur quod non est ineluctabiliter determinatum ad unum. Haec est quae nomine libertatis simpliciter designatur, et de hac nobis est in hac disputatione agendum; nam de libertate a sola coactione dubium nullum esse potest, nec negari ea homini potest nisi per ignorantiam vocis, cum illa nec belluae careant in omnibus actibus, quos secundum inclinationem appetitus eliciunt. Libertas itaque a necessitate considerari potest et in facultate et in ejus actu vel operatione: prima proprie vocatur liberum arbitrium, et est libertas in actu primo, altera vero libertas in actu secundo.

---

(1) Prins, *La defensa social y las transformaciones del derecho penal*, vers. hispana, Madrid, 1912.—In his gravissimis quaestionibus consulendae omnino sunt Annotationes clarorum Professorum Universitatis catholicae Deusto-Bilbaensis.

(2) De quibus in opere fusiori, volum. 6, num. 89.

(3) Cfr. Beraza *De Gratia* (Bilbao, a. 1916), pag. 450, et seqq.

(4) Cfr. opus fusius, volum. 6.°, num. 89, ubi haec magis enucleantur.

Definitio liberi arbitrii. Liberum arbitrium vel libertas in actu primo definitur *potentia quae, positis omibus praerequisitis ad operandum, potest operari et non operari.* Quae definitio egregia est et inferius propugnabitur contra quorumdam impugnationes. Interea, ut in probanda libertatis existentia, praescindamus ab omni alia quaestione, definiri libertas potest *facultas* vel *potentia eligendi inter plura*, vel, si mavis *potentia rationalis ad opposita*, nempe non ad opposita simul facienda, sed ad utrumlibet ex oppositis. Ex qua definitione illico sequitur, quod

467. Libertas importat dominium actus, indifferentiam et independentiam quamdam. *Et primo quidem dominium.* Dominium enim est facultas utendi vel non utendi re sua, vel potestas etiam non agendi id quod quis agit, aut aliud agendi, et consequenter est potestas immediate determinandi, ut actus existat vel non existat (1). *Deinde indifferentiam*, quippe quae opponitur *necessitati* quae non est nisi *determinatio ad unum.* Hic tamen duo probe notanda sunt: α) indifferentiam, quam libertas implicat, non esse *passivam*, seu meram capacitatem receptivam diversorum terminorum, sed *activam*, sitam, ut mox declarabitur, in potentia sese ab intrinseco determinandi ad unum vel aliud: β) indifferentiam istam non requirere perfectum aequilibrium inter opposita, sed salvari etiam cum inclinatione majori ad unum, dummodo adsit vera potestas resistendi huic propensioni, et aliter operandi. *Denique independentiam*, nam eam necessario continet dominium et indifferentia. Noli tamen independentiam hanc interpretari absolute, quasi excludat subjectionem etiam a Deo, sive in essendo sive in operando, immo stare amice potest etiam cum motione Dei ad unum ex oppositis, dummodo illa relinquat veram et expeditam potentiam contradicendi.

468. **Libertas indifferentiae** vel a necessitate **dividitur in libertatem contradictionis** vel **quoad exercitium** et **libertatem contrarietatis** vel **quoad specificationem.** Prima est potestas volendi et non volendi, vel exercendi actum et ab eo abstinendi. Libertas specificationis est potestas exercendi actus diversae speciei et aliqualiter oppositos, ita nempe, ut positio unius excludat alterius positionem, et propterea vocatur contrarietatis, et vocatur etiam libertas circa objecta. Essentia libertatis salvatur in sola libertate contradictionis, nec requirit praecise potestatem eligendi inter extrema vel objecta opposita, multoque minus exigit potestatem etiam ad malum, haec enim prorsus accidentalis est ad rationem libertatis, et solum competit creatis

---

(1) S. Thom. 2.° disp. 39, quaest. 1, art. 2; *Cont. Gentr.*, lib. 1, cap. 68 fin.; 1 p. quaest. 82, art. 1, ad 3.^{um}

entibus, propter suam imperfectionem ac defectibilitatem. Et ita libertas ad malum solum creaturis inest, Deo autem, quantumvis perfectissime libero, essentialiter repugnat (1). Libertas enim salvatur in dominio actus, quod profecto adesse potest perfectissimum sine potestate ad malum.

Illa quoque probe notanda est divisio libertatis in *physicam et moralem:* prima consistit in immunitate a necessitate entitativa; altera vero in immunitate a morali ligamine, quod existit ex lege, praecepto vel quavis obligatione.

ARTICULUS III

Impugnatur determinismus.

Antequam directe libertatis existentiam demonstremus, prius juvat determinismum tum in suis fundamentis tum in se ipso examinaret.

I.—Expenduntur determinismi fundamenta.

469. Propositio. **Inania prorsus sunt nulliusque ponderis argumenta, quibus hactenus innixus est determinismus, ut universalem etiam humanarum actionum necessitatem obtruderet.**

Probatur expensis praecipuis argumentis.

1.um argumentum *desumitur ex energiae conservatione.* Est enim principium inter Physicos communi calculo receptum, summam energiae eamdem conservari semper in mundo, quin augeri minuive queat (2). Illud autem non solum in actionibus corporeae naturae, sed in omnibus actibus animae humanae valere censendum est. Atqui conservatio ista energiae pugnat cum libertate. Ergo nulla est libertas.

Major patet. Quia fatentibus ipsis Scholasticis, motus cerebrales, qui organici profecto sunt, comitari debent vel ipsas operationes spirituales animae (n. 247, 248). At motus cerebrales totam suam, qua producuntur, energiam derivant ex communi penu mundanae activitatis per nutrimentum, per atmosphaeram in respiratione ac solis calorem.

Minor probatur α) quia conservatio energiae talem statum actualium motuum vel operationum in singulis mundi causis importat quolibet temporis momento, qui necessario sequitur ex determinatis motibus momenti praecedentis ita, ut non sint possibiles alii diversi motus vel actus pro eodem momento. β) Si daretur libertas, posset motus ejusmodi vel in membris proprii corporis vel in corporibus circumstantibus cohibere, vel determinare vel aliter dirigere contra vel praeter ordinem et exigentiam activitatis in mundo residentis (1). Ergo jam non conservaretur energia, siquidem per hujusmodi liberi arbitrii interventum magis magisque illa augeretur.

---

(1) Vide S. Anselmum, id egregie declarantem, *De libero arbitrio*, cap. 1. Cfr. S. Thom. 2.° disp. 25, quaest. 1, art. 1, ad 2.um; *de verit.*, quaest. 22, art. 6.

(2) Cfr. Compend., volum. 3.um, num. 393, 395 seqq.

Respond., *dist.* Major: conservationis energiae principium valere censendum est in actibus spiritualibus animae, quales sunt actus voluntatis, *nego*, nam hi actus sunt alterius prorsus ordinis qui nihil habent commune cum energia mundana, quae pure physica et materialis est. Praedictum principium valere censendum est in aliis actibus, *permitto* nunc, quia necesse non est modo de hac re disputare. Solum noto duo: *primum*, me jam alibi rejecisse perfectam conservationem energiae pro actibus vitalibus etiam ordinis organici, quorum fons est anima (2); *secundum*, non deesse viros naturalium scientiarum peritos, qui negent principium conservationis energiae universale esse (3). Verum quidquid de hoc sit,

Nego Minorem argumenti. Ad cujus probation. α) *dist.* assert. Conservatio energiae postulat, ut quolibet momento tales dentur motus, ut non sint possibiles alii diversi hypothetice, *trans.;* absolute, *neg.* Nempe si motus procedant ex concursu causarum necessario agentium, necessario tales erunt, nec in hac hypothesi dari alii diversi poterunt, v. g. si concurrant in hoc momento ignis et materia disposita, combustio aderit ita, ut non possit non esse. At nonne fieri potest, ut inter antecedentia phaenomeni alicujus vel actionis numeretur causa aliqua libera, quae interveniat, ut detur, vel non detur concursus illorum agentium, unde tale phaenomenum procedit? Tunc ergo phaenomenum ita de facto aderit, ut potuerit non adesse: sic in exemplo allato ignis non semper praesto habet fomitem, qui proinde debet applicari ab homine, et nonnisi hujus ope datur concursus ignis et fomitis, ex quo sequitur combustio; et e converso haec ab eodem homine impediri potest remoto fomite, vel etiam apponendo novam causam contrariam, aquam, quae ignem extinguat. Ergo combustio, quae in suppositione concursus ignis et fomitis dispositi necessario sequitur, potest non sequi in alia hypothesi, ac proinde non est *absolute*, atque universaliter verum, combustionem ita adesse in hoc momento ex praeparatione suarum causarum, ut non potuerit non adesse. Id eatenus solum verum esset, quatenus nulla daretur causa libera in mundo, quae interveniret in praeparandis causis phaenomenorum vel motuum actuumve. Atqui hoc est praecise in quaestione. Ergo deterministae solum petendo principium possunt asserere, quod, posita energiae conservatione, actiones omnes et effectus ita contingant, ut non possint non contingere.

---

(1) Vide Dubois-Reymond in sua oratione academica, *Die sieben Weltraethsel*, id est, *Septem aenigmata mundi.*

(2) Vide Compend., volum. 3.^{um}, num. 182., 2.^{um}; 338, 8.°

(3) Vide opus fusius, volum. 6.°, num. 93, in respons. ad *1.^{um} argumentum.*

Ad probation. β), *neg.* conseq. Certum enim est voluntatem reapse intervenire, motus proprii vel alienorum corporum cohibendo, determinando ac varie dirigendo, nec id negari ab adversariis potest. Si autem totum hoc fieri potest, conservata energia mundi in hypotesi adversarium contendente voluntatem liberam non esse, cur non fieri potest posita voluntatis libertate. **Dices disparitatem esse**, quia si voluntas libera est, inducitur nova energia distincta a mundana energia.—**Atqui energia voluntatis liberae**, reponam, utpote spiritualis, est prorsus alterius ordinis. Ergo ea inducta, nullatenus augetur mundana energia, quae materialis et necessaria est sed eadem prorsus permanere poterit.

2.^{um} **argumentum** urgetur ex causalitatis principio, quod praecipit nihil fieri posse sine causa efficiente ac proinde ante quamlibet actionem, per quam aliquid efficitur, aliam praecedere actionem vel motum. Atqui hoc verum non foret admissa libertate. Ergo haec contrariatur causalitatis principio. **Prob. Minor.** Nam α) liberum arbitrium importat potentiam, quae ex se ipso, nulla praecedente alia actione vel determinatione ac motivo novam actionum seriem inchoare valeat (1). Unde β) continet potentiam se determinandi, ac proinde absolutam quamdam independentiam importat ac velut aseitatem, γ) itemque potestatem transeundi ab indifferentia et indeterminatione ad determinationem, a potentia ad actum, ac proinde ab imperfectiori ad perfectius. δ) Denique ex principio causalitatis licet nobis in naturalibus scientiis futuros causarum effectus praevidere, quippe qui ex determinatis antecedentibus necessario atque ineluctabiliter consequuntur; admissa vero libertate, omnia erunt incerta, quandoquidem poterit ex una causa sequi vel non sequi effectus, aut etiam diversus effectus ab eo qui sperabatur. Actum ergo erit de Physica, Astronomia, Physiologia caeterisque scientiis.

Respond., *nego.* Majorem, quantum attinet explicationem principii causalitatis, quae absurda est. *Nego* etiam Minorem.

Ad probat. α) *disting.* asser.: liberum arbitrium id importat in Deo, *trans.;* in ente creato, *nego.* Liberum enim arbitrium est in voluntate; voluntas autem, utpote appetitus elicitus, non potest ponere ullum actum, sive liberum sive necessarium, quin praecedat actus cognitionis (n. 386). **Ad probation.** β) *neg.* assertum (n. 467 fin). **Ad probation.** γ) *dist.* assert.: liberum arbitrium importat potestatem transeundi ab indifferentia et potentia pure passiva ad actum, *neg.*, a potentia activa, *conc.* (n. 467), unde ultimum membrum *nego*, quia potentia activa non est imperfectior actu. **Ad probation.** δ) *nego* pariter antecedens quoad alteram partem. Nam assertores libertatis non eam ponunt in causis naturalibus, quae constantes sunt ac necessariae in sensu alibi explicato (2), sed solum in voluntate formaliter, ac solum mediate ac denominative in iis, quae voluntatis imperio subjiciuntur. Quare sive ponatur necessaria voluntas, sive libera, eodem modo praevideri poterunt effectus ex naturalibus causis secuturi (n. 340), et eodem modo stabunt naturales scientiae. Desinant ergo deterministae ridicula terriculamenta nobis objicere, quae nihil nostrae doctrinae officiunt, sed solum produnt ignorantiam, in qua ipsi versantur, elenchi.

---

(1) Ita post Spinoza, Collins, Helvetium, etc., arguunt nostris diebus Kuno, Fischer, Kirchmann, Hoffding aliaque praeclara lumina recentioris sapientiae.

(2) Vide Compend., volum 3.°, num. 103 seqq.

3.^{um} **argumentum.** Omnis actus psychicus vel est purus motus materialis et organicus, vel nonnisi passiva expressio aut symbolum, sub quo innotescit nobis per actum conscientiae activitas et energia, quae tota conclusa est in organismo (n. 461). Atqui utralibet admissa theoria, nullus est possibilis actus liber, siquidem libertas essentialiter activitatem importat, eamque non necessariam, qualis est activitas organica. Ergo ferrea regnat in toto mundo necessitas.

Respond., *neg.*, Major. quoad utrumque membrum, ostendimus etiam invicte spiritualitatem intellectionis et volitionis (num. 243 seqq. et 411), itemque activitatem immanentem, qua procedunt hae operationes a suis potentiis (n. 73, 91).

4.^{um} **argumentum** petitur ex historia et publicis moribus. Nam α) historia diversorum populorum habet magnam similitudinem sive in modo evolutionis, sive in civilibus perturbationibus, sive in mutuis relationibus principum subditorumque. β) Catalogi *(estadísticas)* criminum singulis annis patrati eumdem ferme continent criminum numerum. Atqui uniformitas haec agendi necessitatem ostendit, signum enim libertatis est variabilitas in operando (1).

Respond., *disting.* Major. Historia diversorum populorum exhibet magnam similitudinem, et catalogi criminum similem continent quotannis numerum, admixtis tamen multis dissimilitudinibus, *conc.*; secus, *neg.*

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Ad membrum α) speciatim dico similitudinem illam in primis existere in quibusdam generalibus capitibus, ac proinde *ad summum* probaret solum circa illa capita non dari libertatem. Verum deinde quanta inest diversitas agendi in variis individuis non solum diversarum, sed ejusdem nationis, immo et ejusdem individui in variis temporibus, ubi sermo est de infinitis casibus particularibus. Caeterum illa uniformitas generalis facile explicatur sine praejudicio libertatis. Influxus v. g. religionis ac timoris divini in prima populorum origine oritur ex primaeva traditione humani generis filiis a parentibus communicata. Civiles perturbationes et defectus principum in administranda republica et subditorum in servandis officiis erga magistratus, qui similiter accidunt in populis, rationem habent in identitate vel similitudine naturae humanae, quae iisdem fere passionibus agitatur ubique, iisdem bonis allicitur, iisdem premitur malis. Certum tamen est, ut modo dixi, quamvis adsit quaedam similitudo in communitatibus populorum, in individuis tamen esse magnam diversitatem.

Ad membrum β) respondeo magis adhuc speciosam esse argumentationem, tum quia verum non est, catalogos criminum esse fere aequales quotannis, cum magna sit in hoc diversitas inter varias nationes, et in eadem in diversis temporibus; tum quia crimina illa in catalogis notata nec ab iisdem individuis, nec in iisdem semper locis ejusdem nationis committuntur; tum demum quia nullatenus repugnat omnia illa crimina potuisse a singulis individuis libere patrari.

---

(1) Ita Quetelet, Backle, Ferri, Morselli, etc.

5.um **argumentum** eruitur ex variis indiciis psychologicis. α) Propensiones, naturales, passiones, habitus, educatio, temperamentum, etcetera, ita homines ad determinatos actus inducunt, ut probabili conjectura praevidere liceat, quid facturi sint. Unde β) animus noster instar campi est, in quo diversi appetitus ita luctantur, ut fortior praevaleat, quin proinde sit potestas illi resistendi γ). Ut ex Leibnitzii doctrina potest argui, voluntas non habet rationem appetendi nisi bonum majus, nam bonum minus prae majori non potest ullo modo appetere, bona vero aequalia non dantur, et quamvis darentur, nullum eorum appetere posset voluntas, sed utroque necessario careret, siquidem nulla esset ratio unum alteri praeferendi.

Respond., ad argumentum per partes. **Ad probation.** α), *neg.* conseq., tum quia non raro etiam solent homines contra passiones, temperamentum, habitus, etc., operari, ut constat experientia; tum quia ratio solum probat, non dari perfectum aequilibrium in voluntate circa opposita extrema, id autem non requiri ad libertatem, supra monuimus (num. 467); libertas enim salva manet etiam in maxima propensione ad unum, dummodo adsit vera potestas ad oppositum. Caeterum si ex propensionibus et passionibus habitibusque solum probabiliter aut etiam probabilissime conjici effectus potest, certum est non dari necessitatem, nam ex causis necessariis non solum probabiliter, sed certo certitudine physica praevidentur futuri effectus. Illud denique notatum velim, homines cum operantur, non semper passione, habitibus caeterisque causis ad unum extremum vehementer inclinantibus duci. Perperam ergo eripitur libertas homini in omnibus prorsus operationibus, contra leges rectae ratiocinationis. **Ad probation.** β) *negatur* assertum, donec probetur. **Ad probation.** γ) desumptam ex Leibnitziano optimismo, negatur pariter assertum ex superius demonstratis. (n. 437 seqq.)

6.um **argumentum** fieri potest ex novae scholae *criminalis (criminalista)* placitis. Nam est typus quidam proprius facinorosorum hominum, qui ex pluribus notis facile dignoscitur (1), et, si Lombroso credere velimus, nativus est, ac generatione ipsa receptus. At quicumque typum ejusmodi prae se fert, ineluctabili pene vi ad crimen fertur. Ergo...

Respond., *neg.* Major., Minor. et conseq. **Major quidem**, tum quia non probatur, et doctrina in ea contenta jam publice conclamata est judicio sapientium et congressuum anthropologicorum, Parisini

---

(1) Vide Garofalo, *La criminologia*, 2.ª parte, cap. 1. Et lege Rev. Dom. Piat, *La liberté*, 1.e partie, pag. 185-194, ubi ex operibus Lombroso et aliorum typum ejusmodi describit.

(ann. 1889) et Bruxellensis (1892); tum quia notae illae typi a Lombroso conficti non insunt omnibus sceleratis, et reperiuntur etiam in probis hominibus, etc. **Minor,** quia experientia et communi omnium sensu constat, scelera passim libere committi. **Demum consequens,** quia *dato*, quod scelerati carerent libertate, tolerari nequit, ut idem concludatur generatim de omnibus hominibus.

Quaedam alia et haec ipsa enucleatius evoluta videri queunt in alio opere (1). Plura alia argumenta contra libertatem inferius solventur post directam ejusdem probationem. Quae autem deterministae ac fatalistae urgent ex divina futurorum praescientia et decretis providentiae, commodius declarabuntur in Theodicea (2).

II.—Impugnatur positive determinismus.

Rejectis telis, quo determinismus contra libertatem jacit, ipse jam positive in se ceu systema doctrinae adoriendus est.

470. Propositio.—**Cum determinismus ex multis capitibus absurdus demonstretur, sustineri nullatenus potest.**

Prob. 1.° Determinismus peccat contra Fidem divinam. Ergo absurdus est, etc.

Anteced. probatur *a*) ex Sacris Litteris (3), Patrum communi consensu (4), ac definitionibus Ecclesiae, quae damnavit libertatis osores (5) in solemnibus documentis Tridentini ac Vaticani concilii (6). Quae omnia refert et confirmat Leo XIII, Pontifex Maximus, in suis encyclicis Litteris *de libertate humana*, prout videre licet in opere nostro fusiori (7).

Prob. 2.° Determinismus praeterquam quod rationibus, quae in favorem libertatis in sequenti articulo afferentur, impugnatur, potissimum prout nunc defenditur, supponit vel materialismum et positivismum, vel pantheismum, vel evolutionismum ac transformismum, quorum nullus non est error perniciosissimus.

Prob. 3.° Determinismus totum ordinem moralem evertit, cujus fundamentum est in discrimine boni malique moralis, honesti et inhonesti. Atqui ubi non est libertas sed omnes actiones humanae sunt necessariae, nullus est locus bono maloque morali, honestati et inhonestati, quandoquidem, sublata libertate, non remanet modus distinguendi inter bonum et malum physicum ac morale. Hinc vero

---

(1) Volum. 6.°, num. 93.

(2) Cfr. opus fusius, volum. 6.°, loc. cit. *Argum.* VI.^{um}

(3) *Eccli.* cap. 31, vers. 10, 11; *Genes.* cap. 4, vers. 6 seqq. *Deuteron.* cap. 30, vers. 11 seqq.; *Math.* cap. 9, vers. 17; *Corinth.* cap. 7, vers. 37, etc. Et lege Berlarmin., *De grat. et liber. arbitr.*, lib. 4, cap. 7; lib. 5, cap. 18 24. Murillo S. J. *Jesucristo y la Iglesia Romana.* Parte segunda, t. 2. (Madrid 1902), pag. 129 134.

(4) Vide illos apud B. Bellarmin. (loc. nup. cit., lib. 3, cap. 5; lib. 4, cap. 9; lib. 5, can. 25, 26), Suarez (*De voluntar. et involunt.*, disp. 1, sect. 2), Petav. (*De opificio sex dier.* lib. 3 et 4).

(5) V. g, Manichaeos, Priscillianistas, Wicleffum, Jansenium.

(6) Sess. 6, cap. 6. Cfr. Vatican., *de Fide cathol.* cap. 3, et can. 5 *de Fide.*

(7) Volum. 6, num. 94, *Probatur prima pars.*

Prob. 4.°, quia stante determinismo perit ratio laudis et vituperii, meriti ac demeriti, praemii ac poenae, officii et obligationis et generatim imputabilitatis *(responsabilidad);* quod patet ex communi omnium sensu, et ex eo quod nihil horum locum habeat in brutis animantibus, propterea quod in omnibus operentur ex naturae determinatione (1).

Prob. 5.° Determinismus est fons vitiorum et interítus saltem omnis praestantioris actus virtutis, tum quia nemo sciens se necessario semper operari, excitabitur ad arduum quidpiam aggrediendum et ad compescendos impetus et passiones naturae ad malum trahentes, nec proinde a male agendo deterrebitur immo vero facile judicabit cum *liberis muratoribus*, moralis universalis sectatoribus, concupiscentiae motus esse voces naturae nos ad operandum hortantes, quibus sancte obsecundatur; tum quia ex determinismo sequitur nullam esse in homine legem naturalem distinctam ab ipsa physica potentia quaedam necessario operandi, et physica impotentia aliter operandi; ipsae quoque leges civiles vel humanae omni obligandi vi carebunt, et sic incitari facile quivis poterit ad eas violandas, quoties id impune facere licebit. Hinc vero quaenam consectaria sequantur, nemo est, quin videat (2).

ARTICULUS IV

Probatur directe libertatis existentia.

Quae hactenus disputata sunt in praecedenti articulo, sufficere possent ad stabiliendam libertatem; oportet tamen rem tanti momenti directe demonstrare.

471. PROPOSITIO 1.^{a}—**Homo in multis actionibus libertate praeditus est.**

Propositio est de Fide (n. **470**, *Prob. 1.°*) (3).

---

(1) Haec fusius evoluta reperies in alio opere, volum. 6, num. 94, *Probatur tertia pars, Prob. 2.°*

(2) Systema Alfredi Fouillée (num. 673 fin.) confutatum videri potest in opere fusiori, volum. 6, num. 95. *Scholium.*

(3) Vide S. Thom. 1 p., quaest. 82, art. 2, quaest. 83, art. 1, 1. 2.^{ae}, quaest. 10, art. 2; quaest. 13, art. 6; *de verit.*, quaest. 22, art. 6; quaest. 24, art. 1 *de malo*, quaest. 6, art. unic.

Prob. 1.° a priori. Sed ante argumenti propositionem oportet quaedam praemittere.

a) Sicut obiectum adaequatum intellectus est omne verum, sic obiectum voluntatis est omne bonum. Tamen quoad rem nostram duplex discrimen datur in utriusque facultatis obiecto. Quod veritas particularis quamvis sit finita, non ideo habet falsitatem: limes enim veritatis non est falsum sed limitatio entitatis. In bonis autem particularibus bonum finitum eo quod sit bonum habet iam limitem in ratione boni et ideo est defectuosum et admixtum malo respectu voluntatis humanae cujus obiectum summum bonum est: proin quodlibet bonum finitum caret perfectione debita humanae voluntati et appetibilitati.

Jam vero si voluntas sequitur rationis ductum, valde inordinatum esset, ut quod ratio proponit tamquam non undequaque bonum, sed partim bonum et appetibile, partim malum vel defectuosum, ideoque repudiabile, voluntatem necessario ad actum determinaret.

Alterum discrimen inter obiecta utriusque facultatis rationalis est quod verum vero numquam opponi possit: bonum autem bono saepe opponitur.

Hinc deducitur clare intellectum esse ita constitutum ut cuilibet vero evidenter cognito debeat assentiri: voluntas autem recte constitui nequit si cuilibet bono finito necessario consentiat. Etenim in assensu intellectuali vero evidenti nulla datur inordinatio neque erroris periculum, neque deordinatio. In consensu autem voluntatis bono finito si ex determinatione obiecti procedat haberetur inconstantia et periculum contradicendi bono excellentiori, immo saepe ex necessitate impediretur bonum maius.

b) Intellectus in ordine speculativo procedit ex primis principiis deveniendo ad conclusiones: voluntas autem in serie actionum procedit ex fine proposito ad mediorum electionem et executionem. Finis vero ultimus hominis (felicitas in abstracto, Dei possessio in concreto), explet totam capacitatem voluntatis illumque sufficienter propositum homo necessario amplecti debet mediaque necessario connexa cum fine ultimo necessario quoque eligenda sunt.

c) Homo sine facultate active electiva esset quoque male constitutus. Quia quoties obiectum non sufficienter moveret aut assensum opinativum intellectus aut consensum voluntatis, non operaretur actus vitae rationalis: et naturalis esset ei maxima abulia, gravissimum malum voluntatis, et ignorantia fere universalis cum initio non habeat notas nisi paucissimas veritates evidentes, probabiles autem nequiret amplecti et careret stimulo scientiae investigandae.

d) Judicium objective indifferens dicitur judicium proponens bona finita non necessario connexa cum fine ultimo. Dicitur indifferens quia in omnibus bonis particularibus finitis non necessario connexis cum fine ultimo, invenitur ratio mali simul cum ratione boni: unde objectum est bonum admixtum malo respectu voluntatis humanae cujus est tendere ad bonum summum.

Hisce adnotatis sit ergo argumentum.

Judicio objective indifferenti respondere debet indifferentia electiva activa voluntatis: atqui in hac indifferentia activa electiva consistit humanae voluntatis libertas. Ergo voluntas humana libertate praedita est.

Major patet ex dictis praenotandis: Siquidem bonum particulare in judicio indifferenti propositum si traheret voluntatis consensum, induceret periculum opponendi sese bono altiori immo et obligatorio. Traheret secum inconstantiam in modo agendi, quia mutaretur voluntas cum mutatione boni propositi. Quamvis voluntas semper bonum excellentius aut majus hic et nunc necessario intenderet, deesset saepe hic et nunc regula discernendi bonum majus cum saepe diversi ordinis bona sint. Praeterea eo quod bonum propositum in judicio indifferenti sit finitum et non necessario connexum cum fine ultimo, non conveniret homini undequaque, siquidem careret perfectione debita humanae appetibilitati quae in bonum summum tendit. Natura ergo humana tunc solum est bene constituta cum voluntas habeat facultatem eligendi active inter bona et media non necessario connexa cum fine ultimo.

Minor constat ex notione libertatis.

Hoc argumento a priori refutatur ex visceribus rei determinismi objectio ex repugnantia libertatis. Non modo libertas non repugnat, sed repugnat non libertas in creatura intellectuali (1).

Prob. 2.° ex conscientiae testimonio.

Adverte conscientiam directe testari voluntarietatem actus: libertatem autem obvio ratiocinio ex elementis a conscientia conglobatis deduci. Haec elementa sunt: ante determinationem consilium, deliberatio, in gravibus negotiis, perplexitas agendi; in ipso actu absentia motivi determinantis et ideo stante eodem motivo potest voluntas diversum modum agendi induere: post actum si agitur de ordine morali aut quies animae aut remorsus conscientiae moralis ex lège interna naturali.

Actus imperatus externus sedendi, deambulandi, loquendi, eatenus liber est quatenus a libera determinatione voluntatis imperatur. Sane sentimus nos in multis ex propria determinatione agere, quin ulla nos premat necessitas, hoc pacto sentio me nunc scribere, sedere, etc., ita ut cum velim, surgam, ambulem, tardius celeriusve incedam, oculos modo huc, modo illuc conjiciam, pro meo lubitu.—

---

(1) Cfr. S. Thomam, 1, 2; q. 10, a. 2.

Nemo est qui, cum ambulare vel aliud quidvis agere proposuerit, non sentiat se posse pro arbitrio designare tempus inchoandi actionem, v. gr. post unum, duo, quinque... momenta, vel suspendendi tantisper opus ceptum, absque ulla objectiva ratione nova, solum quia ita placet mihi et quia volo libertatem meam experiri. Persuasum quoque est ex quotidiana experientia nos posse actus voluntatis immutare circa idem obiectum ex nolle ad velle, et vicissim ex velle ad nolle. Sicque confirmatur ex psychologicis experimentis (1).

Hisce praenotatis sit igitur argumentum.

Conscientia actus voluntatis circa bona finita talia elementa conglobat ut nullam rationem sufficientem habeat determinatio voluntatis nisi ipsa electio voluntatis. Atqui in electione voluntaria stat ratio libertatis. Ergo ex testimonio conscientiae patet humanae voluntatis libertas.

Ideo libertatis notio viget apud omnes gentes. Omnes agnoscunt ingens discrimen, ratione imputabilitatis et meriti ac demeriti, quae libertatem omnino requirunt, inter actiones naturales vel necessarias, et inter morales actus virtutis et peccati, inter actiones deliberatas et indeliberatas, inter delicta pueri vel amentis et adulti ac sani hominis. Eamdem persuasionem leges et praecepta, suasiones et consilia, hortationes, laudes, reprehensiones, promissiones et comminationes, praemia et poenae: quae omnia inutilia prorsus forent, si homo necessario ageret. Demum ii ipsi qui libertatem speculative negant, practice se gerunt, quasi libertatem homines haberent.

472. Propositio 2.ª **Actus, quo voluntas, sua utens libertate operatur, dicitur determinatio.**

Probatur. Ea est agentium necessariorum tessera, ut ex natura sua sint ad unum determinata, nec proinde possint dici, cum agunt, *se determinare;* e converso agentia libera, quia non sunt ad unum determinata, sed ad unum vel alterum indifferentia habent potestatem utrumlibet eligendi, et cum unum prae alio eligunt, dicuntur *se determinare* ad illud (2). Atqui hoc praecise importat ipsum libertatis exercitium seu ipse actus liber. Ergo...

Dices. Determinatio concipitur instar decreti cujusdam liberum actum imperantis, et sic dicitur homo *se determinare* ad volendum hoc vel illud, ad scribendum, ad studendum, etc.

Respondeo distinguendum esse inter actus imperatos et elicitos voluntatis (n. **446**). Respectu actuum imperatorum, v. g. intellectus vel potentiae loco-motivae et actuum externorum ab ea elicitorum, etc., determinatio est internus actus voluntatis illos decernens quippe qui non sunt in se ipsis formaliter liberi, sed solum per participationem voluntatis, a qua libere imperantur. Sed respectu actuum elicitorum ipsius voluntatis determinatio formalis non est aliquis alius praevius actus, sed ipsi actus eliciti sunt determinatio. Et sic quamvis voluntas ad scribendum, v. g., vel aliter extrinsecus agendum *determinetur* per actum praevium distinctum, qui est determinatio; sed ad *volendum*, nisi agatur de actibus imperatis ac posterioribus voluntatis, non determinatur per praevium actum, qui sit determinatus, sed ipsa libera volitio est determinatio. Sane determinatio formalis non est sola potentia agendi, sed actus aliquis. At cujusnam, quaeso, potentiae nisi voluntatis? Atqui determinatio non potest esse actus necessarius. Ergo erit actus liber voluntatis. Aliunde vero nullus actus formaliter et in se liber potest esse in voluntate, qui non sit quaedam determinatio, nempe actus non a natura impositus, sed ita de facto positus, ut potuerit non poni. Ergo corrigendae sunt vulgares imaginationes, nec concipienda est determinatio instar actus cujusdam medii inter potentiam liberam et volitionem, sed est ipsa formalis volitio libere elicita a voluntate.

---

(1) Cfr. Boyd-Barret, S. J. *Motive-Force and Motivation Tracks* (Longmans London, a. 1911.

(2) Vide S. Thom., 2.º dist. 39, quaest. 1, art. 1 et 2.

473. PROPOSITIO 3.ª **Actus hominis bifariam possunt esse liberi, formaliter et immediate in se ipsis et denominative ac mediate.**

Propositio non eget probatione. Formaliter atque immediate liberi sunt, qui eliciuntur, seu procedunt efficienter physice a potentia libera. Denominative ac mediate liberi dicuntur actus aliarum potentiarum, qui ponuntur ex imperio potentiae liberae, de cujus proinde participant libertate, quia ita ponuntur hic et nunc, ut potuissent etiam non poni vel aliter poni, si sic imperasset libera potentia.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

474. **Objic. 1.°** cum Hobbes. Nulla res incipit moveri, sed omne quod movetur, ab alio movetur. Atqui si voluntas ab alio movetur, ita vult, ut non possit aliter velle; non enim motio illa aliunde proveniens est in ejus potestate. Ergo... (1).

Respond., *dist.* Major. quoad primam part. Nihil incipit moveri a se ipso penitus, qui vel efficienter moveatur, vel certe moraliter seu per boni propositionem alliciatur (n. 389), *trans.;* quin praecise efficienter moveatur extrinsecus, *neg. Distinguo* etiam secundam partem: omne quod movetur, ab alio movetur aliquo modo, *conc.;* efficienter vel per actionem extrinsecus impressam, quae determinetur ad agendum, *neg.* (2). *Contradist.* Minor.; si moraliter movetur, *neg.;* si physice, *transeat*, licet adhuc *negari* generatim debet in actibus supernaturalibus, ad quos Deus quidem physice movet voluntatem per gratiae auxilium, quin tamen determinet, aut necessitet ad unum.

Objic. 2.° cum eodem Hobbes. Omnis causa sufficiens debet necessario effectum obtinere; secus enim aliquid ei deest, nec est proinde sufficiens. Atqui sunt multa bona sufficientem appetibilitatem habentia, quae cum adsunt, voluntas quoque sufficienti pollere virtute ad actum est dicenda. Ergo voluntas, proposito sufficienter appetibili bono, determinatur ad volendum (3). **Confirmatur**, quia bonum voluntatem movens comparatur ad illam, sicut activum ad passivum. Atqui potentia passiva necessario movetur a suo activo, si sufficiens sit (1).—**Respond.**, *neg.* Major. et ration. additam, cum sermo sit de voluntate, cujus capacitas appetitiva est infinita, ideoque a nullo bono particulari finito licet sufficiens sit, penitus expletur, nec ad actum necessitatur. Et idem respondetur ad confirmationem, nam ut activum penitus determinet passivum, debet illius penitus capacitatem superare.

---

(1) Hoc argumentum multo ante Hobbesum sibi objecerat, et solverat S. Thomas, *de malo*, quaest. 6, artic. unic., argum. 20. Cfr. 1 p., quaest. 83, art. 1, argum. 3.°

(2) Cfr. Compend. volum. 3.^{um}, num. 164.

(3) S. Thom., 1. 2.^{ae}, quaest. 10, art. 2, argum. 1.°; *de malo*, loc. cit., argum. 15; 1 p. quaest. 82, art. 2, argum 7.°

Objic. 3.° Liberum arbitrium indifferentiam importat. Atqui quod indifferens est, nihil agere potest, donec aliunde determinetur. Ergo liberum arbitrium vel est pure passivum, vel si activum, contradictionem involvit. **Et confirmatur** paritate intellectus, qui, propterea quod indifferens est, determinari et actuari debet per intentionalem speciem, ut intellectionem eliciat.

Respond., *dist.* Major. Liberum arbitrium importat indifferentiam passivam, *neg.;* activam, *conc.* (n. **467**). *Contradist.* Minor. Quod est indifferens passive, *trans.;* quod est indifferens active, *nego*, vel *subdist.:* donec aliunde determinetur, id est, alliciatur bono, *conc.;* proprie determinetur, seu ineluctabiliter ad actum permoveatur, *neg.*—**Ad confirmationem** *nego* paritatem, quia nec bonum propositum voluntati nec cognitio illud proponens sunt causae physice influentes in appetitionem (n. **384**, **389**).

Objic. 4.° Nisi dicatur voluntas penitus determinari ab objecto ad actum, tandem ratio, cur voluntas se ad actum determinaret, esset, *quia vult.* Atqui haec ratio absurda est utpote motivum objectivum excludens.

Respond., *disting.* Major.; ratio, cur voluntas se determinaret esset, *quia vult*, nempe excludendo omne motivum objectivum seu bonum sufficienter alliciens, *neg.*; excludendo motivum necessitans, *conc.* Et *contradist.* Minor., cujus *nego* probationem.

Objic. 5.° Saltem post originale peccatum non amplius restat in homine libertas, tum quia, teste S. Agustino, *libero arbitrio male utens homo, et se perdidit et ipsum* (2), tum quia ita diserte docet S. Paulus in haec verba: *Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago* (3).

Respond., *neg.* assert. Ad primam probationem dico, mentem S. Augustini non esse, quod primus homo naturalem libertatem amiserit, quam S. Doctor multis in locis tuetur, sed tantum libertatem, quam Theologi nominant *gratiae* vel immunitatem a peccato, et praesertim libertatem advenientem ex illis praeclarissimis donis, quibus Adam ante peccatum fruebatur, ut ipsemet Sanctus vir declarat (4). Ad alteram probation. respondeo, S. Pauli testimonium intelligendum esse de motibus concupiscentiae, qui praeveniunt rationem, vel de iis, qui existunt obnitente voluntate, qui proinde liberi non sunt, nec ad culpam imputantur.

Objic. 6.° Si voluntas esset libera in quibusdam actibus, deberet esse in omnibus. Atqui non est in omnibus, ut ipsi fatemur. Ergo in nullis. **Major probatur**, nam α) operatio necessaria est naturalis, naturale autem et liberum se excludunt. β) Nulla potentia necessaria potet libere operari: ergo nec libera necessario.

Respond., *neg.* Major., cujus probation. α) *disting.:* aliqua operatio necessaria et naturalis, *conc.*; omnis, *subdist.*, quatenus naturale idem sonat, ac indeclinabiliter fluens ex naturae impetu, *conc.;* quatenus naturale importat id quod est conforme naturae ac propensioni rei, *neg.* Et secundum hanc subdistinctionem *contradist.* Minor. Ad probation. β) *neg.* conseq., nam cum potentia dicitur *necessaria*, id intelligitur in sensu adaequato et universali, secus vero cum libera denominatur.

---

(1) Vide apud S. Thom., *de malo*, loc. cit., argum. 7.°

(2) S. August, *Enchirid.*, cap. 39.

(3) *Roman.* cap. 7, vers. 19.

(4) Vide *Contr. duas epist. Pelagii*, lib. 1, cap. 2, num. 5. Cfr. Beraza, *De Deo Elevante* (Bilbao, a. 1924) pag. 375 et seq.

Objic. 7.° Causa libera est quae, positis omnibus praerequisitis ad agendum potest agere et non agere. Atqui unum ex praerequisitis est motio Dei, quae non est in ejus potestate posita; eaque recepta, jam non potest voluntas non agere, sicut ea non recepta, non potest agere. Ergo nulla causa secunda potest esse libera.

Respond., *conc.* Major., *disting.* 1.um Minoris membrum. Motio Dei, nempe concursus simultaneus, *conc.;* praevia aliquo motio, *subdist.:* voluntatem ad unum determinans, *neg.*; voluntatem non determinans, iterum *dist.*; ejusmodi motio praevia est requisitum ad actus supernaturales, *conc.*; ad actus naturales, *neg.* *Distinguo* etiam 2.um membrum. Motio Dei non est in nostra potestate absolute, *conc.*; hypothetice ac supposito decreto Dei se accommodandi naturis rerum *neg.* (1). *Nego* denique 3,um membrum, quia nec datur praevia motio voluntatem praedeterminans ad unum, ut suo loco probabitur, nec ipse concursus simultaneus voluntatem ita facit operari, ut non possit non operari.

Instabis. Concursus etiam simultaneus eripit voluntati omnem potestatem non operandi, tum quia identificatur cum ipsa voluntatis operatione, quamdiu autem voluntas operatur, non potest non operari; tum quia concursus divinus, quamvis detur in momento quo voluntas operatur, decretus tamen est a Deo in aeternitate, quod autem ab aeterno decretum est, jam non potest non dari in tempore.—**Respond.**, *neg.* assert. **Ad primum probation.**, *dist.* Minor.; quamdiu voluntas operatur, non potest non operari, id est, non potest operationem simul cum operationis carentia conjungere, *conc.*; id est, quamdiu operatur, non potest pro lubito cessare ab operatione, *neg.* **Ad alteram probation.**, *dist.* pariter Minor. Quod ab aeterno decretum est, non potest non dari, impotentia, quam dicunt, consequente, *conc.*; impotentia antecedente, *subdist.*: si decretum est independenter a scientia media, *conc.*; si dependenter ab ista scientia, *neg.* Haec in Theodicea declaranda sunt. Summa haec est secundum nostram sententiam. Deus non decernit concursum dare tali tempore voluntati, nisi cum videt voluntatem, si haberet in promptu concursum eo tempore, se determinaturam esse ad actum. Decretum ergo talem praevisionem supponens, quamvis duratione antecedat determinationem voluntatis in tempore existentem, nihilominus nullam huic imponit necessitatem vel oppositi impotentiam natura antecedentem, sed tantum consequentem (2).

ARTICULUS V

In quibusnam actibus sit homo generatim liber.

475. Cum inter praerequisita voluntatis ad operandum recenseatur propositio boni sufficienter appetibilis; ex duplici generatim capite deficere libertas potest, ex objecti appetendi natura et ex ejus propositione per intellectum. Quid sit dicendum de hac re, spectato secundo capite, declaravit sequens

---

(1) Cfr. Compend. volum. 3.um, num. 105, *Prima pars, Prob Minor.* β) et *Secunda pars, Absolute.*

(2) Quaedam alia in opere fusiore, volum. 6.°, num. 99 et 100.

Propositio 1.ª—**Homo non est liber in illis actibus, qui non possunt dirigi judicio rationis rei naturam et conditionem sufficienter considerantis.**

Prob. 1.° Ex communi hominum sensu nec pueri, nondum rationis usum adepti, nec furiosi, ebrii, amentes ac somniantes, quamvis non careant actibus intellectus, et consequenter voluntatis (nam saepe ratiocinantur etiam de rebus spiritualibus), non habent tamen libertatem. Atqui nulla alia causa hujus defectus afferri potest, nisi impotentia ad rei propositae naturam et conditionem considerandam. Ergo...

Ob eamdem causam motus, quos Theologi *primo-primos*, non imputantur ad culpam, quia praeveniunt deliberationem rationis, ideoque carent sufficienti consideratione.

Prob. 2.° Cum omne liberum sit voluntarium, actus liber necessario supponit praeviam cognitionem finis vel boni, quae requiritur ad rationem voluntarii. Ergo actus qui respiciunt bonum vel finem, liberi esse nequeunt, saltem respectu earum rationum objectivarum aut formalitatum, quae ex defectu cognitionis et sufficientis advertentiae nequeunt dici voluntariae (1).

476. Jam quod attinet objectum actuum voluntatis, multorum est sententia, dicentium voluntatem non esse liberam in amore atque intentione finis sed tantum in mediorum electione. Quae tamen doctrina et nimis vaga est, et potest etiam falsum sensum habere. Ut ergo melius res declaretur, revocanda est in mentem divisio libertatis in libertatem specificationis et exercitii, et finis in proximum vel particularem et remotum vel universalem. Finis particularis est quodlibet bonum privatum quod propter se amatur, ut sanitas, scientia, etc.; ultimus est ipsa felicitas hominis sive haec constituatur in aliqua re determinata, sive in communi sumatur, vel sub ratione formali beatitudinis, vel sub universaliori ratione boni in communi (2).

477. Propositio 2.ª—**Voluntas circa finem ultimum sub universalis boni vel felicitatis ratione non habet libertatem quoad specificationem, bene tamen quoad exercitium.**

Prima pars probatur 1.° experientia cujusque; nemo enim est qui nolit esse beatus, vel nolit bonum ita in communi. **2.° Ratione.** Quia cum nequeat voluntas odio habere bonum, sed solum amare ac velle (n. **381**), nemo potest odisse bonum, in quo nulla ratio mali apparet secundum quamlibet considerationem. Atqui ejusmodi bonum est beatitudo et objectiva ratio boni universalis. Ergo beatitudinem et bonum in communi amandi aut odio habendi nulla est libertas.

Secunda pars etiam probatur 1.° experientia. Quamvis enim incidat cogitatio felicitatis vel boni in communi, nemo experitur se necessitari ad ponendum actum amoris erga illud, sed potest ponere, ac potest etiam non ponere. **2.° Ratione.** Quia quamvis in ipsa objectiva beatitudine ac bono universali nulla aprehendatur ratio mali, non repugnat tamen, ut actus amoris exercendus erga illud possit apprehendi ut malus, vel minus conveniens, vel certe non reddens me felicem hic et nunc, et e converso apprehendatur omissio ejus ut bona vel commoda (1).—Et haec est communis Theologorum Philosophorumque doctrina saepe a S. Thoma tradita (2).

---

(1) Quaedam alia in volum. 6.°, num. 101.

(2) Suarez, *Metaphys.*, disp. 19, sect. 8, num. 8.

478. Propositio 3.ª **Valuntas circa fines particulares bonaque concreta libertate gaudet non solum quoad exercitium sed etiam quoad specificationem; nisi forte illa ad ipsam naturalem hominis constitutionem spectent, vel sint necessario connexa cum felicitate.**

Prima pars patet ex argumentis praecedentis propositionis; quia nullum bonum finitum et particulare, v. g. scientia, magistratus, etc., apprehenditur a nobis secundum quamlibet considerationem bonum, vel cum felicitate necessario connexum. Ergo respui omnia ejusmodi bona possunt, nedum ab actuali eorum amore abstinere (3).

Secunda pars *excipiens ea quae ad naturalem hominis constitutionem pertinent*, ut sunt *esse*, *vivere* et alia id genus, quae quamvis sint bona particularia, solent necessario amari, ut ex conscientiae testimonio patet, tamquam media cum felicitate prorsus conjuncta (4). Nisi forte quis per accidens ista bona apprehenderet ut fontem aerumnarum et miseriae; tunc enim posset etiam odio habere propter falsam apprehensionem (5).

479. Propositio 4.ª **Circa bonum infinitum, Deum, intuitive cognitum voluntas necessitate gaudet; secus vero si tantum abstractive, ut in praesenti vita, cognoscatur.**

Prima pars probatur, quia bonum infinitum intuitive cognitum non solum *est*, sed etiam *proponitur*, et clare apparet ut undequaque bonum, summe conveniens sub omni respectu, summe honestum, summe perficiens appetentem, summe delectabile, ita ut non possit apprehendi ullus defectus ullumve inconveniens, sive in ipso sive in actuali ejus amore. Ergo nullum est caput, unde voluntas circa ejusmodi bonum possit esse libera, sive quoad specificationem, sive circa exercitium (6).

Secunda pars patet 1.° experientia, 2.° ratione. Bonum enim appetitur, prout cognoscitur. Atqui cognitio abstractiva Deum non exhibet ut hic et nunc explentem capacitatem appetitivam voluntatis, et satiantem omnia desideria nostra, ac proinde talem, qui necessario sit in praesenti amandus. Ergo... (7). Immo vero amor Dei abstractive cogniti in hac vita «liber est non solum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem. Quia licet Deus secundum se sit universale bonum, apprehendi tamen potest per modum cujusdam particularis boni et in eo apprehendi potest aliqua ratio mali seu incommodi, saltem in ordine ad effectus ejus. Multoque magis potest inveniri haec incommoditas vel difficultas in intentione vel amore ipsius Dei; et ideo facile potest a voluntate refutari, et interdum etiam Deus ipse odio haberi» (1).

---

(1) Vide S. Thom., 1.ae 2., quaest. 13, art. 6; *de malo*, quaest. 6, art. unic., ad 7.um; et Suarez, *Metaphys*. disp. 19, sect. 8, num. 14.

(2) Vide in opere fusiori, volum. 6.°, num. 103.

(3) Vide S. Thom., 1.ae 2., quaest. 10, art. 2; 1 p., quaest. 82, art. 2, fin; *de malo*, quaest. 6, art. unic.

(4) Vide S. Thom., 1. 2.ae, quaest. 10, art. 2, ad 3.um

(5) Cfr. volum. 6 um, num. 104.

(6) Vide Suarez, *de ultimo fine hominis*, disp. 9, sect. 1 et 2; et Valentia, Salas, Medina et passim Scholasticos.

(7) Vide S. Thom., 1 p., quaest, 82, art. 2 fin.; *de malo*, quaest. 6, art. unic., ad 7.um

480 PROPOSITIO 5.ª **Libertas voluntatis evidentius et perfectius exercetur in electione mediorum adeo, ut omnis actus liber, quatenus talis est, participet aliquo modo rationem electionis, et sub consultationem cadere** (2).

Haec propositio statuitur ad temperandam et explicandam sententiam superius relatam (n. **476**).

Probatur prima pars, quia ad intentionem finis movetur voluntas in virtute inclinationis naturalis divinitus impressae ad bonum (n. **454**), quamvis libere feratur; ad electionem vero mediorum movetur ex intentione finis (n. **443**). Ergo specialiori modo magisque ex propriis se movet voluntas in electione mediorum, quam in finis intentione. Atqui voluntas eo perfectius operatur libere, quo magis se movet. Ergo stat prima pars propositionis.

Secunda pars probatur. Nam libertas cujuslibet actus provenit ex collatione variarum rationum quae occurrunt vel in ipso objecto bono vel in actu circa illud exercendo. Nempe libertas quoad specificationem requirit in objecto rationem boni, propter quod diligi possit, et aliquem defectum aut rationem mali, propter quam respui vel odio haberi valeat; libertas vero quoad exercitium requirit, ut in objecto, vel saltem in ipso actu, sit simul cum bonitate aliquis defectus vel carentia bonitatis, ob quam possit actus apprehendi ut hic et nunc disconveniens, vel certe non necessarius. Et sic in omni actu libero circa finem fit aliqua collatio istarum rationum, implicita vel explicita, et consequenter electio quaedam virtualis. Electio vero hujusmodi saltem virtualiter videtur tunc ordinari ad felicitatem, cum qua non necessario connectitur possessio ullius finis particularis, quamquam apprehendi possit ut medium aliquo modo ducens ad illam (2).

Denique quamvis homo, cum efficaciter intendit finem, libertate polleat in plerisque electionibus; potest tamen fieri, ut eficax intentio tollat immediatam libertatem electionis, ut, v. g., si unicum suppetat medium ad talem finem assequendum: quo pacto si efficaciter intendas Americam petere, necessario tibi navis conscendenda est. Sic etiam imperium efficax determinatum ac de praesenti videtur tollere immediatam libertatem actus imperati. Quod probatur in opere fusiori (4), ubi etiam explicatur quaestio illa, utrum dari possit omissio libera (5), quamquam resolutio ejus Theologis relinquitur.

---

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 19, sect. 8, num. 16, Cfr. opus fusius, volum. 6.°, num. 105.

(2) Suarez, loc. nup. cit., num. 13.

(3) Lege Suarez haec declarantem, *Metaphys.*, disp. 19, sect. 8, num. 19, 20. Cfr. *de voluntar.* et *involuntar.*, disp. 8, sect. 4, num. 4.

(4) Volum. 6.°, num. 107, 108.

(5) Ibid., num. 109.

CAPUT II

NATURA LIBERI ARBITRII DECLARATUR

Quamquam dum libertatis existentia probaretur, multa quoque insinuata sunt ad ejus naturam spectantia, operae tamen pretium est accuratius rem tanti momenti pertractare.

ARTICULUS I

An et quaenam potentia sit liberum arbitrium.

Liberum arbitrium, inquit Aquinas, *si vis vocabuli attendatur nominat actum, sed ex usu loquendi tractum est, ut significet id quod est principium actus. Cum enim dicimus hominem esse liberi arbitrii, non intelligimus, quod actu libere judicet, sed quod habeat in se, unde possit libere judicare* (1). Caeterum quoniam liberum arbitrium, sumptum pro principio liberae operationis, non est ipsa anima, quippe quae non per se immediate, sed per accidentales potentias operatur, necesse est, ut sit accidens quoddam animae. Et quale illud sit, nunc inquirimus.

I.—An liberum arbitrium sit potentia quaedam, eaque indifferens.

481. **Sententia quorumdam veterum** fuit liberum arbitrium esse habitum quemdam, prout docuit S. Bonaventura (2). Verum communem hac in re sententiam sequens exprimit

Propositio 1.ª **Liberum arbitrium non est habitus, sed potentia naturalis, eaque indifferens. Indifferentia vero, quam importat, non est pure passiva, nec sola objectiva, sed activa.**

Prima pars. Liberum arbitrium est principium operandi cum dominio sui actus (n. 467), ac proinde importat potentiam novum ejusmodi genus operationum eliciendi. Atqui habitus naturalis non importat virtutem novum genus operationum eliciendi, sed tantum dat facilitatem eliciendi operationes, quae sine ipso etiam possunt effici. Ergo liberum arbitrium non est habitus. 2.° Praeterea munus proprium habitus est potentiam ad certum genus operationis inclinare ac determinare. Atqui e converso proprium liberii arbitrii est potestatem ad opposita retinere. Ergo attributa liberi arbitrii et habitus diversa sunt, ac proinde illud non est habitus, sed potentia naturalis (1).

---

(1) *De verit.*, quaest, 24, art. 4.

(2) 2.° dist. 35, prim. part., art. 2, quaest. 4. Et vide apud S. Thom. 1 p., quaest. 83, art. 2; 2.° dist. 24, quaest, 1., art. 1, *de verit.*, quaest. 24, art. 4.

Secunda pars non eget probatione, nam potestas ad diversa et opposita indifferentiam involvit (n. 467).

Tertia pars probatur simul et explicatur. *α*) *Indifferentia pure passiva* est capacitas vel potentia receptiva actus, quae in quovis ente etiam inanimato ac prorsus necessario inest, quia non importat nisi conjungibilitatem cum actu vel ejus omissione, ab extrinseca causa determinandam: quo pacto paries passive indifferens est ad album vel alium colorem. Ergo indifferentia propria libertatis non est passiva. Et quamvis in omni potentia libera creata detur indifferentia passiva, siquidem potentia libera in se recipere debet actum liberum, non est tamen essentialis tali potentiae, qua tali, utpote quae non minus reperitur in potentia necessaria; nec proinde requiri potest ad rationem generalem libertatis, quatenus praescindit a creata et increata, sed prorsus repugnat libertati increatae vel divinae, cum Deus sit actus purus, expers omnis potentialitatis.

β) *Indifferentia objectiva* est propria intellectus, et consistit in judicio indifferenti, seu proponente bonum ut non absolute ac necessario amandum. Haec quidem indifferentia necessaria est ad libertatem (n. **471**, *Prob. 1.°*); non tamen sufficit, quia non est libertas sine dominio actus (n. 467), dominium autem importat indifferentiam activam seu potestatem ponendi vel non ponendi actum circa objectum, quod per indifferens judicium proponitur ut non undecumque bonum, sed bonum malo mixtum (Cfr. n. **471**). Requiritur ergo essentialiter dominium ad libertatem.

γ) *Indifferentia activa*, quae eminentiam quamdam actus importat, talem requirit perfectionem potentiae, quae ita agere possit, ut possit etiam requirit actionem, si non velit agere; non quod desit virtus (nam omittere actionem cum deest virtus, non arguit dominium, nec est potentia non agendi, sed impotentia agendi), verum solum quia non vult agere. Patet hoc ex dictis. Et probatur amplius, quia liber actus praecise est ipsa libera determinatio potentiae (n. **472**). Atqui determinatio libera essentialiter implicat activam potentiam se constituendi in actu. Estque haec doctrina Ecclesiae, Patrum (2) et S. Thomae (3) et communissima inter Theologos (4), nisi misceatur cum aliis controversiis.

482. Caeterum liberum arbitrium proportionata indifferentia activa pollet, sive in actu proximo sive in actu primo remoto spectetur. Si enim libertas est potentia quaedam naturalis, debet in quovis statu possidere indifferentiam sibi propriam. In quibusdam tamen est in actu primo valde remoto, sicut in pueris et amentibus, qui quamvis propter rationalem, qua gaudent, naturam, reapse non destituantur naturali potentia liberi arbitrii, habent tamen illud prorsus impeditum, et propterea etiam dicuntur carere libertate, quia usu privati sunt, sicut dici solent carere ratione, quia ea uti nequeunt, vel nonnisi perturbate. Qui vero quamvis sint in expedita possesione libertatis, carent aliquo praerequisito necessario ad operandum, sunt adhuc in actu primo remoto indifferentiae activae, quia quamdiu deest sibi praerequisitum, adhuc non habent proxime expeditam potestatem agendi et non agendi, sed veram hic et nunc impotentiam. Illi demum qui habent omnia praerequisita in promptu, possident perfectam indifferentiam activam in actu primo proximo (1).

---

(1) Quaedam objectiones solutae videri queunt in alio opere, volum. 6.°, num. 112.

(2) Vide apud Suarez, in *Prolegom.* 1.° *de Gratia*, cap. 2.

(3) Vide 1 p., quaest. 83, art. 2 fin., corp, et ad 2.um; *de verit.*, quaest. 22, art. 9, corp. et ad 1.am; quaest. 24, art. 4, corp. et ad 15.um, etc.

(4) Vide Suarez, loc. nup. cip.; et *Metaphys.* disp. 19, sect. 3, num. 3 seqq.; B. Bellarmin., *de grat. et liber. arbitr.*, lib. 3, cap. 10.

II.—Utrum liberum arbitrium sit voluntas.

483. **Status quaestionis et sententiae.** Cum libertas sit dos entis rationalis, et praesupponens cognitionem intellectivam vel judicium indifferens (n. **471**, **481**, β), debet esse potentia quaedam rationalis. At quaenam? intellectusne, an voluntas, an aliqua, alia nondum a nobis declarata? Quidam tacite nominati a S. Thoma voluerunt liberum arbitrium esse complexum plurium potentiarum distinctarum (2). Durandus (3) putavit liberum arbitrium *integrari* et coalescere ex intellectu et voluntate. Halensis Alexander docuit liberum arbitrium esse facultatem ab intellectu et voluntate distinctam. Communis demum sententia cum S. Thoma (4) tenet liberum arbitrium formaliter esse in voluntate, ac solum radicaliter in intellectu. Supponimus hic brevitatis causa, liberum arbitrium non esse potentiam multiplicem, nec distinctam ab intellectu et voluntate, prout ex communi sensu constat et breviter probatum legi potest in fusiori opere (5).

484. PROPOSITIO 2ª.—**Quamvis radix libertatis est in intellectu, ipsa tamen formaliter est dos voluntatis: quare liberum arbitrium est realiter ipsa voluntas, a qua solum ratione distinguitur.**

Prima pars. Voluntas, utpote caeca potentia, ductum requirit rationis. Ergo non potest indifferenter tendere ad objectum, nisi judicio indifferenti illud sibi proponatur (n. 481, *Tertia pars*, β) ut non undequaque bonum nec hic et nunc necessario amandum. Atqui hoc et nihil aliud intendimus, cum radicem libertatis constituimus in intellectu. Ergo ... (1). Lege S. Thomam (2).

---

(1) Cfr. volum. 6.°, num. 114.
(2) S. Thom., *de verit.*, quaest. 24, art. 5.
(3) 2.° dist. 24. quaest. 3. Cfr. S. Thom., loc. nup. cit. et 2.° dist. 2, quaest. 1, art. 2.
(4) 1 p. quaest. 83, art. 3 et 4; 2.° dist 24. quaest. 1, art, 3; *de verit.*, quaest. 24, art. 6.
(5) Volum. 6.°, num. 116.

Secunda pars 1.° Libertas potissimum manifestatur in electione (n. 476, 480). Atqui electio, licet praesupponat consilium et deliberationem rationis, formaliter tamen est actus voluntatis (n. 443). Idque confirmatur ex communi omnium sensu, omnes enim eam fere rationem suae reddunt libertatis, quod *voluerint* vel *noluerint* operari. 2.° In intellectu nulla est formaliter libertas, sive quoad specificationem sive quoad exercitium. Ergo ea est in voluntate. **Probatur antecedens.** Quia vel objectum est evidens vel non. Si est evidens, pertrahit intellectum necessario ad assensum (3). Si autem non est evidens, intellectus vere impotens est, ut se ad assensum determinet sed eget determinatione voluntatis, ut patet vel ex ipsa cujusque experientia (n. 224). Quod manifeste probat intellectum, ubicumque objectum sufficienter sibi proponitur, non posse non assentiri, et tum solum abstinere ab actu, cum objectum non sufficienter propositum est, seu est inevidens, ideoque carere actu non ex vero dominio ejus, sed ex impotentia sese determinandi (4).

ARTICULUS II

Utrum, stante judicio indifferenti voluntas, cogi a Deo, ac necessitatem pati possit.

Sermo est de coactione ac necessitate, quae a solo Deo inferatur, quia pro certo habetur nullam causam creatam posse vim et necessitatem facere voluntati directe atque immediate. Si enim nec angeli possunt voluntatem efficienter movere ad unum, nisi moraliter proponendo motiva et rationes (n. 452), multo minus poterunt eam cogere saltem directe.

I.—Utrum vis vel coactio inferri a Deo possit voluntati.

485. **Praenotanda.** Violentum est, *cujus principium est ab extrinseco, passo* (id est, subjecto, cui violentia infertur) *non conferente vim*, id est, reluctante (5). Voluntas vero potest considerari vel in se ipsa vel in ordine ad aliarum potentiarum actus, quos velle potest atque imperare. Et rursus in voluntate in se ipsa considerata spe-

---

(1) Quaedam alia in opere fusiori, volum. 6.°, num. 117, *Prima pars*.

(2) 1 2.^{ae}. quaest, 17, art. 1, ad 2.^{um}; quaest. 6. art. 2, ad 2.^{um}; *de verit.*, quaest. 24, art. 2.

(3) Vide Compend., volum. 1.$_{um}$, num. 317, 318.

(4) Haec fusius evoluta videri queunt in volum. 6.° alterius operis, num. 117, ubi num. 118 solvuntur quaedam difficultates.

(5) Cfr. Compend., volum. 3.^{um}, num. 300.

ctari possunt actus et habitus eorumque privationes. Demum vis inferri potest bifariam: *positive*, imprimendo voluntati formam vel actum contra suam inclinationem, et *negative*, negando ei formam vel actum connaturalem aut debitum. Et circa haec omnia potest controversia versari, in qua juvat sententias duntaxat sapientum exponere. Et primo quidem

486. **Circa actus et habitus** potest fieri voluntati vis **negative aut privative**, quia quamtumvis naturaliter debiti censeantur habitus et actus, Deus absolute potest illos negare. Idque relate ad actus bifariam fieri potest, primo impediendo propositionem boni vel alia praerequisita, et secundo negando concursum, etiamsi adsint parata omnia praerequisita. Habitibus etiam bifariam invita privari potest voluntas; primo, si Deus non conservet vel destruat habitum jam acquisitum; secundo, si non concurrat cum actibus voluntatis ad gignendum habitum. At vero

487. **Positive potest voluntas cogi** in recipiendis habitibus **respectu appetitus eliciti, non autem respectu appetitus innati**. Primum patet, quia non repugnat voluntatem nolle certum aliquem actum, cujus ipsa est capax. Quis autem dubitet, Deum posse illi ejusmodi habitum infundere. Alterum probatur, quia habitus vel est naturalis vel supernaturalis. Ad supernaturalem non datur reapse appetitus innatus. Naturalis vero vel est bonus vel malus. Malus non potest infundi a Deo; si autem bonus, erit secundum capacitatem, ideoque non contra appetitum innatum voluntatis. Nihilominus Arriaga et Soarez lusitanus probabiliter asserunt contrarium relate ad appetitum innatum (1).

Jam ut dicamus de violentia positiva voluntati in recipiendis actibus illata, duplicis generis distinguuntur actus, *eliciti* et *imperati*.

488. **Voluntatem cogi non posse circa elicitos actus,** communissima est sententia cum S. Thoma (2) et Suarez (3), paucissimis exceptis. Et ratio evidens haec est. De ratione actus coacti vel inviti est, ut procedat a principio extrinseco, passo renitente. Atqui e contrario de ratione actus *eliciti* a voluntate est, ut ab eadem intrinsece procedat. Ergo actum elicitum a voluntate coactum esse pugnat in terminis (4). Quamvis ergo possit *necessitari* voluntas, seu ita moveri, ut agat, quin possit actum omittere; non cogitur, quia non est de conceptu necessarii actus, ut sit a principio extrinseco, sed potest esse ab intrinseco, sicut sunt actus belluarum et entium inanimatorum, de ratione autem vis vel coactionis est, ut non sit ab intrinseco principio. Denique

489. **Quantum ad actus a voluntate imperatos** *voluntas violentiam pati potest, in quantum per violentiam exteriora mem-*

---

(1) Cfr. opus fusius, volum. 6, num. 123.
(2) 1. 2.ae, quaest. 6, art. 4; *de verit.*, quaest. 22, art. 5 et 8.
(3) *De voluntar. et involuntar.*, disp. 2, sect. 5.
(4) Quaedam objectiones solutae videri queunt in volum. 6.°, num. 124.

bra impediri possunt, ne imperium voluntatis exsequantur (1). Idque tenet communis opinio, et confirmat experientia. Ad praecavendas tamen difficultates, legi possunt, quae in alio opere ad majorem rei declarationem adjunguntur (2).

II.—Utrum, stante indifferentia judicii, voluntas necessitari a Deo queat.

490. Diximus paulo superius radicem libertatis esse in indifferentia judicii (n. 484). Hinc dubium exsurgit, utrum quandiu judicium intellectus est indifferens circa bonum aliquod, possit voluntas a Deo ad hoc amplectendum determinari vel necessitari. Negant communissime Thomistae (3) consequenter ad suum systema de *physica praedeterminatione*. Cum enim ad omnem operationem cujusvis causae, etiam voluntatis, requirant praeviam motionem Dei, qua posita impossibile sit causam non agere, contendunt non obstante hujusmodi praedeterminatione liberam adhuc remanere, quamdiu praelucet in intellectu judicium indifferens, quo stante, voluntas licet praedeterminetur non potest vere necessitari. Affirmant e converso nostrates voluntatem, stante indifferenti judicio, posse per divinam virtutem determinari (4).

491. Propositio. **Non repugnat, Deum, stante judicio indifferenti, voluntatem necessitare.**

Prob. 1.° Asserenda est Deo virtus efficiendi quidquid non apparet intrinsece repugnans. Atqui nulla apparet intrinseca repugnantia in eo, quod Deus, stante judicio indifferenti, voluntatem necessitet, tum quia rationes in contrarium afferri solitae non urgent, ut videbimus; tum quia indifferentia judicii non est ipsa formalis libertas, sed tantum radix ejus et exigentia naturalis, contra quam profecto non repugnat Deum operari.

Prob. 2. Si sufficeret ad libertatem servandam indifferentia judicii, libertas salva manere posset etiam cum gratia Dei, prout a Calvino et Jansenio propugnata; neque enim illi talem ponebant gratiam, quae judicii indifferentiam tolleret, sed tantum quae voluntati potestatem eriperet aliter operandi.

Prob. 3.° Quidquid sit de aliis, duo illico occurrunt modi, quibus voluntas, stante judicio indifferenti, posset a Deo necessitari: *α*) primo, sicut potest Deus profecto, intellectu indifferenter objectum proponente, voluntati concursum denegare, ita potest eumdem decernere pro una duntaxat operatione. Atqui tum simul cum judicio indifferenti adesset in voluntate impotentia nisi ad unam determinatam operationem, id est, necessitas. β) Potest Deus voluntati qualitatem imprimere infrustrabiliter connexam cum operatione, vel eam necessario inferentem. Talis nobis videtur esse praedeterminatio physica, quamvis id Thomistae vehementer inficientur, ut suo loco videmus. Praeterea in gratiae divinae motionibus experientia ipsa videmur magnam graduum diversitatem notare. Ergo incredibile videtur in thesauris divinarum divitiarum non esse auxilia tam efficacia, quae voluntatem creatam valeant penitus necessitare ad actum.

---

(1) S. Thom. 1. 2.ae, quaest. 6, art. 4.

(2) Volum. 6.°, num. 125.

(3) Vide Joann. a S. Thoma *(De anim.* quaest. 72, art. 2, *Dico 2.°)*, Salmanticens. Carmelit. *(Curs. Theolog.*, tom. 5, tract. 10, *de voluntar. et involuntar.*, disp. 5, dub. 3, num. 43), Billuart *(Curs. Theolog.*, tom. 2, *de actibus human.*, dissert. 2, art. 5).

(4) Vide Suarez *(De Grat.*, Prolegom. 1.°, cap. 4 et 5), Bellarmin. *(De grat. et liber. arbitr.*, lib. 4, cap. 11, *Tertio est observandum*, et cap. 14), Lossada *(De anim.*, disp. 9, cap. 1, num. 16), etc., etc.

492. Objic. 1.° Voluntas est appetitus rationalis, sequens cognitionem et ductum intellectus. Ergo sicut implicat voluntatem appetere objectum non propositum ab intellectu, ita implicat aliter appetere, quam sibi proponitur, et consequenter necessario appetere, quod sibi sub indifferentia proponitur.—**Respond.**, *conc.* antecedens, *disting.* conseq., naturaliter et ex meritis objecti, *conc.;* divinitus, *neg.;* donec probetur. Neque enim volitio sic divinitus necessario posita desineret esse *rationalis*, quia reapse nihil appeteret, quod non ratio proponit. Undenam autem probas illam *irrationalem* fore, solum quia necessario appetit, quod ratio indifferenter proponit? Hoc est praecise in quaestione, ac nos probavimus id ratione persuaderi.

Objic. 2.° Ita se habet voluntas circa bonum, sicut intellectus circa verum... Atqui implicat, ut intellectus habeat ut certissimum objectum, eique firmiter adhaereat, quod incertum esse advertit. Ergo implicat quoque, ut voluntas necessario adhaereat objecto, quod non ex omni parte bonum et plene satiativum, sed cum indifferentia proponitur.—**Respond.**, *trans.* anteced., et *disting.* conseq., sicut in praecedenti objectione; tum quia non ostenditur implicantia, etiam spectata omnipotente virtute Dei, tum quia est disparitas inter intellectum et voluntatem. Sane intellectus non potest certum judicare id, quod advertit certum non esse, quia id foret aperte falso adhaerere. Si autem voluntas necessario sequatur id, quod indifferenter proponitur, non ideo malum appetit, sed quod vere ut hic et nunc amabile atque appetibile sibi proponitur.

Objic. 3.° Implicat voluntatem agere sine ulla cognitione. Atqui ageret sine cognitione, si ferretur necessario in objectum indifferenter propositum. Nam non ageret, nec regeretur per illam cognitionem, quae objectum repraesentat ut indifferens, alioquin ferretur in illud indifferenter, nec per aliam, nulla enim alia supponitur. Ergo ageret sine ulla cognitione.—**Respond.**, *neg.* Minor. et probationem superadditam. Voluntas enim necessario operans non ferretur in incognitum, sed in bonum sibi ut hic et nunc conveniens et amabile propositum, et ad ejus operationem nihil refert, ut consideretur illud ut necessarium vel indifferens, nam hae rationes non sunt motivae pro illius actu.

Objic. 4.° Non potest Deus facere, ut potentia ex natura sua necessaria libere operetur. Ergo nec potest facere, ut potentia, quae ex natura sua libera est, necessario operetur.—**Respond.**, *nego* conseq. Nam operatio libera denominationem suam desumit a potentia in actu primo libera, et ideo non potest procedere a potentia, quae non sit formaliter libera. Sed potentia libera, suam retinens in actu primo libertatem potest habere plures actus necessarios etiam naturaliter (n. 475, 477) tum propter conditionem objecti, totam explentis amplitudinem potentiae appetitive, tum propter defectum praeviae deliberationis, ex parte intellectus requisitae. Et ideo nihil vetat, quominus necessitari queat quia per hoc non mutatur ejus natura, sed tantum impeditur, ne secundum integram suam potestatem operetur.—Plura in opere fusiori (1).

---

(1) Volum. 6.°, num. 127, 128.

ARTICULUS III

Utrum liberum arbitrium vel libertas recte definiatur potentia, quae positis omnibus ad agendum praerequisitis, potest agere et non agere.

Definitio haec, quamvis planissima videatur, diversimode tamen intellecta et applicata fuit inde a saeculo XVI, ex quo exortae sunt controversiae inter thomistas et nostrates circa modum divini concursus et auxilii divini efficacis. Duo ergo praestanda hic nobis sunt: primo definitionem generatim demonstrabimus, deinde verum ejus sensum interpretabimur.

I.—Demonstratur generatim definitio.

493. Propositio 1.ª **Liberum arbitrium vel libertas in actu primo recte definitur facultas, quae, positis omnibus ad operandum praerequisitis, potest operari et non operari.**

Declaratur propositio. Quae ad agendum requiruntur, duplicis generis sunt: alia requiruntur *praevie* ad operationem, ut v. g. principium vel naturalis virtus operandi, et conditiones variae quae necessariae sunt, ut actus primus causae complete constituatur. Et haec sunt *prae*requisita, quamvis hoc nomine passim intelliguntur ea, quae praeter naturalem operandi virtutem necessaria sunt ad actionem. Alia requiruntur ad operationem, quae non se tenent ex parte actus primi potentiae vel causae, sed ex parte ipsius actualis operationis: qualis est influxus Dei concurrentis ad omnes causarum creatarum actiones. Quod hoc pacto necessarium est, non dicitur *prae*requisitum ad operationem, sed requisitum, quia se habet concomitanter ad illam. In definitione itaque sermo est, non de requisitis quomodolibet, sed de *prae*requisitis, sine quibus potentia libera non est complete constituta in actu primo, nec proinde vere potens et expedita ad operandum.

Praerequisita haec pro voluntate ad libere operandum sunt: α) judicium indifferens (n. **481**, *Tertia pars*) bonum proponens hic et nunc amandum; β) ex parte voluntatis virtus ejus peculiaris, quae, si ex se non sit adaequata, complenda est per aliam activitatem: quare ad omnes actus supernaturales praerequiritur auxilium gratiae. γ) Tertio praerequiritur concursus decretus et praeparatus ex parte Dei; quamvis enim concursus *actu datus* non sit praerequisitum, sed requisitum, est autem vere praerequisitum concursus ab aeterno decretus, sine quo potentia libera non est in actu primo completo. δ) Denique praerequiritur, in nostratum opinione, carentia cujusvis dispositionis vel affectionis, quae necessario connexa sit cum uno determinato extremo libertatis, vel, ut aliis verbis dicitur, carentia cujusvis impedimenti per ipsum actum secundum inauferibilis.

Dicit ergo propositio potentiam liberam esse, quae, positis omnibus praerequisitis, potest operari et non operari, id est, ita potest operari, ut possit quoque non operari seu abstinere ab operatione.

Probatur 1.° ex communissima catholicorum scriptorum sententia, ut videre est in alio opere (1).

Prob. 2.° Potentia libera differt a necessaria, eique opponitur. Atqui potentia necessaria et libera conveniunt tum in eo, quod nequeant sine praerequisitis operari, tum in eo, quod cum praerequisitis possint operari; certum pariter est, potentiam necessariam, cum adsunt omnia praerequisita non posse non operari. Ergo non restat, in quo differat potentia libera a necessaria, nisi in eo quod, positis omnibus praerequisitis, possit operari et non operari.

Prob. 3.° Liberum arbitrium essentialiter importat indifferentiam activam (n. **481**, *Tertia pars*). Atqui activa indifferentia, non intelligitur, quid aliud possit esse, nisi potestas operandi et non operandi cum adsunt praerequisita.

II.—Quo sensu interpretanda sit praedicta definitio.

494. Status quaestionis et sententiae. Radix discordiarum est in doctrina Thomistarum, secundum quos causa libera, et generatim omnis causa creata, nequit operari sine praevia motione vel *physica praedeterminatione*, quae quidem non tempore sed natura praecedit operationem ita, ut sine illa non possit illa operari, ea vero posita, metaphysice repugnet, ut non operetur. Haec vero doctrina ab aliis impugnatur ex ipsa libertatis definitione in praecedenti paragrapho propugnata. Hinc nihil mirum, si Thomistae post exortas controversias de gratia et modo divini concursus, malint alias libertatis adhibere definitiones. Hanc vero, quae ipsorum de physica praedeterminatione doctrinam evertere videbatur, cum viderent communi calculo receptam, nec rejicere auderent, dixerunt veram quidem esse, si sermo sit de praerequisitis *tempore* praecedentibus actum, quales sunt, v. g., gratia sufficiens, habitus, etc., non autem veram esse, si agatur de praerequisitis solum *natura* et *causalitate* antecedentibus, qualis est *praedeterminatio physica*, nisi sub celeberrima illa distinctione *sensus divisi et compositi*. Nimirum statuunt, in praesentia vel in sensu composito praerequisitorum adesse quidem potentiam agendi, tamen non posse dari omissionem actus, sed omissionem actus, solum posse dari in sensu diviso praedeterminationis, seu cessante praedeterminatione (2). Unde etiam illam aliam usurpant loquendi formulam: in sensu composito praedeterminationis adest quidem *simultas potentiae*, non autem *potestas simultatis*, quia nimirum sub praedeterminatione adest potentia non agendi, quae tamen exerceri nequit, quamdiu perdurat illa motio, cum qua *simul* dari nequit omissio actus vel productio alterius actus distincti. Qui vero negant physicas praedeterminationes, contendunt, liberum arbitrium esse facultatem, quae in sensu composito quorumlibet praerequisitorum ita potest agere, ut possit etiam non agere, seu actum omittere. Quae est interpretatio definitionis inter Scotistas et nostrates communis.

495. PROPOSITIO 2.ª **Praedicta definitio libertatis ita interpretan-**

---

(1) Volum. 6.°, num. 130.

(2) Vide P. Billuart, op. cit., tom. 2, *de actibus humanis*, dissert. 2, art. 1, paragr. 4.

da est, ut in sensu composito quorumvis praerequisitorum non solum detur potentia ad non agendum, sed possit de facto actus omitti.

Prob. 1.° Quia hic est reapse obvius sensus, et procul dubio a veteribus intentus ante exortas controversias de gratia et modo concursus.

Prob. 2.° Nisi definitio intelligatur in sensu composito praerequisitorum, re vera nihil continet quod potentiam liberam a necessaria secernat. Ergo ita intelligenda est. **Prob. antec.** Non enim posse agere sine praerequisitis et posse agere cum illis, commune est potentiae liberae cum necessariis: item posse omittere actum in sensu diviso praerequisitorum, seu absente aliquo ex praerequisitis, et non posse cohibere actum, cum illa omnia adsunt, profecto non minus convenit causis necessariis. Ergo si potentia libera nequit componere praerequisita omnia cum omissione actus, non exprimit definitio, in quo potentia libera secernatur a necessaria (1).

Prob. 3.° Tessera liberae potentiae est ut habeat dominium actus (n. **467**); dominium vero actus importat potestatem ponendi et non ponendi. Atqui dominium actus reapse non datur, sed vera impotentia, ubi deest aliquod praerequisitum, nec dominium datur, si in praesentia omnium praerequisitorum, non possit omitti vel cohiberi actus. Ergo... (2).

Quae cum ita sit, quidquid generatim ita praecedit ipsum formalem actum secundum potentiae liberae, ut eo posito jam non sit possibilis omissio actus, vere tollit libertatem.

496. **Objic. 1.°** Eo ipso instanti, quo sunt praerequisita natura tantum priora ad agendum, jam est actio. Implicat autem posse componi simul non actionem cum actione. Atqui praemotio divina est unum e praerequisitis natura et causalitate prioribus ad actum. Ergo hic jam adest in eodem instanti, ac proinde non potest simul dari omissio illius.

Respond., *disting.* Major. In eo ipso instanti *naturae*, etc., *neg*; in eo ipso instanti temporis, *subdist.*: si actio non possit omitti in sensu composito praerequisitorum, *conc.*, sed *nego* suppositum, videlicet actionem ejusmodi liberam fore. In eo ipso instanti, in quo dantur praerequisita, datur etiam actio, si haec omitti valeat, *nego* saltem quod semper et universaliter dètur, ut constat ex probatis.

Objic 2.° Etiam in sententia Societatis homo sub gratia congrua, quae est unum de praerequisitis natura tantum prioribus ad agendum, non potest in sensu composito et potentia consequente omittere actionem, sed tantum in sensu diviso et potentia antecedente. Ergo... **Respond.**, *dist.* anteced. Idque accidit ex eo quod gratia congrua sit unum de praerequisitis natura prioribus ad actum, *neg.*; ex eo quod talis gratia praevisa est a Deo infalibiliter de facto connexa cum actione, *conc.* Et *neg.* conseq.

Objic. 3.° Etiam praevius concursus necessarius est voluntati ad agendum. Atqui eo posito non potest non agere. Ergo in omnium sententia verum erit, quod sint quaedam praerequisita, quibus positis, jam voluntas non potest actionem omittere.

Respond., *neg.* Major., nam in nostra sententia concursus divinus est simultaneus, praevius autem non est nisi quatenus ab aeterno decretus et praeparatus, ut detur in tempore.

Instabis. Concursus ergo, prout ita praeparatus ab aeterno, erit unum de praerequisitis ad agendum. Atqui stante decreto divino concursum praeparante, repugnat potentiam omittere actionem. Ergo dantur quaedam praerequisita, saltem quae se tenent ex parte Dei, cum quibus non potest componi omissio actus.—**Respond.**, *dist.* Minor.: repugnat impotentia consequente et supposita praescientia Dei, *conc.*; impotentia antecedente ac praecisa scientia Dei, et solo spectato modo tendendi talis decreti, *neg.* Nam illud decretum, quemadmodum in Theodicea explicabit, non habet tendentiam absolutam, sed imbibitam gerit conditionem, ut sit voluntas concurrendi cum libero hominis arbitrio ad hunc vel illum actum, si ipse velit operari, quod semper relinquitur in ipsius potestate (1).

---

(1) Vide Suarez, *Prolegom. 1.° de Gratia*, cap. 3, num. 8 et 9.

(2) Cfr. opus fusius, volum. 6.°, num. 132.

Unum supererat tractandum, utrum ratio liberi sit actui intrinseca ita, ut idem actus nequeat de libero transire in necessarium, et vicissim. Verum ne longius evadat hoc volumen, omitto hanc quaestionem, quam studiosus lector tractatam inveniet in opere fusiori (2).

DISPUTATIO VII

De habitibus.

497. Res tractanda determinatur. Quamquam varia est hujus vocis acceptio (3), hic tamen habitus sumitur pro accidentali quadam forma vel affectione durabili et difficulter amissibili, qua subjectum bene vel male se habet: quo pacto habitus a Scholasticis cum Aristotele ac S. Thoma in primo genere qualitatis (4) constituitur, in eoque distinguitur a dispositione, quod haec sit qualitas facile mobilis a suo subjecto. Verum adhuc haec acceptio latior est; nam habitus potest exprimere qualitatem durabilem bene vel male afficientem suum subjectum sive in ordine ad se, sive in ordine ad operationem: et nos hic controversiam restringimus ad qualitatem disponentem solum in ordine ad operationem.

CAPUT I

ASSERITUR HABITUUM REALITAS

Prius autem ipsa notio habitus est enucleanda.

---

(1) Cfr. volum. 6.^{um}, num. 133.
(2) Volum. 6.°, num. 134-137.
(3) Vide Suarez (*Metaphys.* disp. 42, sect. 3, num. 5). Valentia. (In 1.^{am} 2.^{ae}, disp. 4, quaest. 1, punct. 1).
(4) Vide Compend., volum. 2.^{um}, num. 356.

ARTICULUS I

Natura habitus declaratur.

498. Habitus describi generatim potest *qualitas permanens ac de se stabilis, potentiam juvans ultra ea, quae naturaliter requirit, ad operandum* (1). Dicitur *qualitas*, quia entitas juvans potentiam naturalem ad operandum, non intelligitur, ad quod aliud praedicamentum pertinere valeat. Dicitur *permanens*, ut distinguatur ab operatione; *de se stabilis*, ut distinguatur a qualitate quae vocatur dispositio (2). Denique per caeteras voces definitionis distinguitur habitus a potentia naturali et a speciebus; a potentia enim est proprietas naturalis, et species ad intellectionem a natura ipsa ita requiritur, ut sine illa dari nequeat; habitus autem est accidens non proprium, sed contingens et adventitium, quod nullatenus requiritur a natura. Caeterum juvamen istud, quod ad operandum praebet habitus *ultra naturaliter* requisita, diversum est in habitibus naturalibus et in supernaturalibus, qui *per se infuse* dicuntur; nam per se infusi dant *simpliciter posse*, quia potentia non potest actus supernaturales elicere solis suis viribus, et ab ejusmodi habitibus accipit permanentem virtutem illos eliciendi; habitus autem naturales dant facile posse, non simpliciter posse, quia sine illis potest naturalis potentia operari. Nos non agimus hic de habitibus supernaturalibus, sed tantum de naturalibus, qui repetitione actuum, ut videbimus postea, comparantur, et propterea dicuntur *acquisiti*, ad differentiam supernaturalium per se infusorum, qui divinitus infunduntur. Si quando autem Deus miraculose infunderet habitum naturalem, v. g. scientiae, ut eum infudit Adamo et Salomoni, habitus ejusmodi vocatur, *per accidens infusus*. Quare cum exposita definitio sub se complecti valeat omnem habitum etiam supernaturalem, et nos hic solum agere intendamus de naturali et acquisito; danda est

499. Alia definitio habitus soli naturali conveniens. Est nempe hujusmodi habitus *qualitas permanens de se stabilis, potentiam adjuvans facilitatem praebendo ad certas ac determinatas operationum species*; cujus descriptionis plana sunt verba. Ad hanc facile revocaveris definitionem S. Thomae, qua habitus dicitur *aliquid potentia superadditum, quo perficitur ad suam operationem* (3): cui similis est aristotelica illa descriptio: *Habitus est dispositio perfecti ad optimun. Dispositio*, inquam, *perfecti*, quia habitus advenit subjecto jam completo secundum naturam et naturales proprietates; *ad optimum* vero id est, ad operationem facilius et perfectius peragendam (1). Si enim *optimum* interpreteris pro operatione, praescindendo a modo quo fit, definitio solum quadrare posset in habitum bonum non autem in vitiosum.

---

(1) Vide S. Thom., 1, 2.^{ae}, quaest. 49, art. 1-2.
(2) Cfr. Compend., volum. 2, loc. nup. cit.
(3) *De verit.*, quaest. 20, art. 2.

Duplex ergo munus habitus: aliud in genere causae formalis, propensiorem ad operandum reddendo potentiam, quam informat (2); aliud in genere causae efficientis, juvando potentiam, ut facilius et cum minori labore conatuve operetur. Unde **triplex est indicium vel signum** ad cognoscendum habitum: facilitas operandi, uniformitas et delectatio. Nam facilitas operandi est in causa, ut potentia eodem modo operetur et cum quadam suavitate. Ideo etiam habitus dicitur esse instar naturae, videlicet propter constantiam et uniformitatem operandi; subjicitur tamen libertati: unde profluxit illud proloquium: *Habitibus utimur, cum volumus*, quamvis, ubi habitus est intensus, difficilius agitur contra ipsum (3).

500. **Quo pacto se habeat habitus respectu actus.** α) In primis realiter distinguitur ab actu, quia hic est qualitas illico transiens et pendet *in fieri* et *conservari* ab actuali influxu efficiente potentiae vitalis, habitus autem est qualitas permanens, nec pendet in su conservatione ab influxu *efficiente* potentiae, sed solum a materiali ejusdem causalitate (4). β) Actus et habitus differunt in perfectione. Habitus per se infusi secundum frequentiorem Theologorum sententiam perfectiores sunt actibus. Naturales licet perfectiores sint actibus secundum quid, nempe ratione diuturnitatis atque independentiae ab actuali potentiae influxu efficiente; simpliciter tamen sunt imperfectiores, quia cum solum dent facilius posse operari, sunt instar complementi duntaxat ad convenientius operandum. Et praeterea si habitus esset perfectior simpliciter actu, hic solus non posset esse sufficiens principium illius, ut communiter existimatur sed requireretur novus aliquis influxus potentiae ad habitum producendum (5).

---

(1) Cfr. S. Thom., *Physicor.* lib. 7, lect. 5, circa fin.

(2) Quod habitus tribuat ejusmodi propensionem vel inclinationem majorem ad actum, probatur in opere fusiori, volum. 6.°, num. 145.

(3) Vide S. Thom., *De virtute in communi*, art. 1. Cfr. 3.° dist. 23. quaest. 1.ª art. 1.

(4) Quaedam aliae differentiae videri queunt in opere fusiori, volum. 6.°, num. 193, initio.

(5) Vide S. Thom., 1. 2.ae, quaest. 71, art. 3; Suarez, *Metaphys.*, disp. 19, sect. 8, num. 18. Cfr. opus nostrum fusius, volum. 6.°, num 139.

ARTICULUS II

Vindicatur habitus existentia.

501. **Status quaestionis.** Non agitur de habitus existentia in sensu vago pro qualicumque modificatione subjecti usu comparata: qua vocis acceptione recentiores quidam habitus concedunt non solum homini, sed etiam animalibus, et plantis, immo et rebus inanimis. Sed quaerimus existentiam habitus secundum notionem in praecedenti articulo expositam. Quo sensu quicumque negant in rerum natura qualitates et principia operationum a motu distincta, consequenter negabunt etiam existentiam habituum. Non defuerunt etiam in antiquitate qui negarent, crebra repetitione actuum acquiri quidpiam positivum, quod habitus nomine designari valeat, sed assererent facilitatem operandi in mera impedimentorum ablatione consistere, vel saltem nihil afferre praeter quamdam moderationem vel ameliorationem temperamenti naturalis (1). Genuensis demum admisit quidem habitum, sed qui solum importet irritabilitatem ac flexibilitatem organismi et consistat in memoria et reminiscentia (2).

502. Propositio 1.ª—**In quibusdam potentiis admittendus est habitus distinctus generatim ab omni irritabilitate vel modificatione organica.**

Probatur prima pars. Habitus importat α) qualitatem positivam de se stabilem ac β) distinctam tum a potentiis, γ) tum ab eorum operationibus. Atqui negari nequit existentia ejusmodi qualitatis. Ergo...

Prob. Minor. per partes: α) *Qualitates positivae de se stabiles* negari nequeunt. Nam constat experientia, repetitione actuum comparari facilitatem ad eos exercendos, ut videmus in studio scientiarum, *Mathesis, Physices, Philosophiae,* etc. Facilitas enim ratiocinandi multasque veritates tractandi de hisce disciplinis non est aliquid naturale, sed fructus studii, nec est aliquid negativum, sed positivum, utpote positive influens in actus scientificos, nec intelligi potest, quid sit praeter qualitatem quamdam. Simili modo exercitio honestarum actionum acquiritur in voluntate facilitas parandi praepositis (obedientia), benefaciendi (charitas vel misericordia), irae motus compescendi (mansuetudo), etc. (3). Quod porro hae facilitates de se stabiles sint, per se liquet, quia diu durant.

β) *Distinctae a naturalibus potentiis.* Nam potentiae istae, cum sint proprietates ingenitae, abesse nequeunt, facilitates autem, de quibus loquimur, absunt in multis penitus, et in eodem homine non semper adsunt, sed exercitatione comparantur.

---

(1) Vide Lossada, *de anim.*, disp. 6, cap. 4 num. 93.

(2) Vide haec fusius declarata in volum. 6.°, num. 140, ubi exponuntur sententiae plurium neotericorum.

(3) Haec magis enucleata videri queunt in opere fusiori, volum. 6.°, num. 141, *Probatur prima pars.*

γ) *Distinctae ab actibus potentiae,* tum quia facilitates praedictae concurrunt ad producendos actus, tum quia perdurant post actus, hi vero momento evanescunt.

Secunda pars: *habitus ejusmodi generatim non potest, consistere in irritabilitate vel modificatione organica.* Nam quidquid sit, utrum *aliquis* particularis habitus possit consistere in aliqua organica affectione, quod dependet ex quaestione de subjecto habitus; hic solum contendimus non posse omnem generatim habitum talem esse. Et ratio est, quia dantur habitus intellectus et voluntatis, quorum exempla dedimus in probatione praecedentis partis. Atqui habitus potentiarum spiritualium non possunt esse affectiones organicae. Ergo dantur habitus distincti ab omni irritabilitate et modificatione organica (1).

503. PROPOSITIO 2.ª **Causa et radix existentiae vel necessitatis habituum est naturalis indifferentia aut indeterminatio ad diversimode operandum.**

Probatur. Habitus est qualitas facilitatem praebens potentiae ad certo modo operandum (n. **499**). Ergo illi soli potentiae asserendus est, quae ex natura sua non habet facilitatem et inclinationem certo modo operandi, sed est indifferens, ut hoc vel illo modo operetur, supervacaneus vero prorsus dicendus est in illis potentiis, quae natura sua determinatae sunt ad certo modo operandum. Atqui natura non frustra operatur. Ergo natura non providit habitus nisi pro illis potentiis, quae ex se indifferentes sunt atque indeterminatae ad diversimode operandum (2).—Ex hac propositione, ut vides, a priori demonstratur existentia habituum in homine, nam dantur in eo potentia natura sua indifferentes ad diversimode operandum, ut v. g. voluntas, quae proinde habitibus eget, ut ad certo modo operandum inclinetur.

Quaedam objectiones solutae videri queunt in opere fusiori (3).

ARTICULUS III

Quo pacto habitus concurrant ad actum.

504. **Status quaestionis et sententiae.** Quod aliquo modo concurrant, experientia ipsa notum est; modus tamen controvertitur.

---

(1) Cfr. volum. 6.um, num. 141, *Probatur quarta pars.*
(2) Vide S. Thom., 1.ae 2., quaest. 49, art. 4, ad 1.um et 2.um
(3) Volum. 6.º, num. 143.

Moralem concursum, vel potius in genere causae duntaxat formalis (n. **499**, *Duplex ergo)*, concedunt habitui Durandus et alii veteres, in eo situm, ut habitus informando potentiam, promptam ac facilem reddat ad operandum, quin ipse habitus efficienter physice actum potentiae efficiat. Communis tamem opinio cum S. Thoma (1), Suarez (2), etc., concursum physicum efficientem simul cum potentia, similem concursui speciei (n. **254**, **263**) tribuit habitui, ita ut hic producat ipsam substantiam actus, et non solum modum ejus, situm vel in majori intensitate vel in quadam facilitate ac delectabilitate, ut pauci quidam voluere.

505. Propositio **Habitus concurrit ad actum physice efficienter, et quidem producendo ipsam actus substantiam.**

Prima pars probatur. Concursus physicus asserendus est habitui, si experientia ipsa videtur illum suadere, nec ulla sit improportio ex parte habitus. Atqui ita se res habet. Ergo...

Minor probatur. Experientia in primis videtur, id suadere, quia re vera influxui habitus solent omnes tribuere multos actus; et quamquam conscientiae testimonium non satis discernit, utrum actus ejusmodi debeantur concursui morali, an physico, non est ratio physicum excludendi, si nulla obstet improportio inter habitum et actum. Cum potissimum experiamur non solum propensionem ad agendum, sed etiam minorem laborem in ipsa operatione, quorum primum moralem, alterum vero physicum arguit concursum. Improportio autem nulla est, tum quia habitus gignitur ab actibus similibus illis, ad quos ipse mox eliciendos concurrit, tum quia, cum sit qualitas potentiae inhaerens, debet se huic acommodare, ut concurrat ad operationem, sicut ipsa potentia; tum demum quia cum ad actum influat simul cum potentia, non apparet, cur non sit proportionatus, ut saltem partialiter et instrumentaliter concurrat physice ad actum.

Secunda pars probatur 1.° ex praedicta experientia, quia non solum advertimus nos, dum habitum possidemus, inclinari ad operandum, sed etiam cum minori labore ac conatu operari; hoc autem omnino videtur probare, quod habitus ipsam substantiam actus efficiat. Praeterea non potest habitus intensionem majorem actus causare, quin producat ipsam substantiam, quippe quae re non distinguitur ab ejus substantia. Nec demum intelligitur, quo pacto habitus concurrat ad facilitatem, et non ad actus substantiam; quia facilitas non videtur modus intrinsecus substantiae actus, sed tantum denominatio extrinseca desumpta ex agente sic disposito vel habente majorem virtutem ad operandum (3).

Caeterum non repugnat, ut habitus concurrat ad actus etiam intensiores, quia non est causa adaequata illius, sed tantum partialis, quae potius operatur ceu instrumentum potentiae. Potest ergo physice concurrere ad actus cujusvis intensionis, dummodo non superent perfectionem potentiae ipsius (4).

---

(1) 1.ae 2., quaest. 49, art. 3, corp. et ad 1.um

(2) *Metaphys.* disp. 44, sect. 5. Cfr. Lossada. *de anim.*, disp. 6, cap. 130.

(3) Vide Suarez, *Metaphys.* disp., 19, sect. 6, num. 8.

(4) Cfr. opus fusius, volum. 6.°, num. 146, 147, ubi etiam num. 148 quaedam solvuntur difficultates, et num. 149, 150 aliae quaestiones minoris momenti enodantur.

CAPUT II

DE CAUSIS HABITUUM

Causa quadruplex est: efficiens, finalis, materialis et formalis. Et finalis quidem speciali disceptatione non indiget, quia ex dictis habitus est propter actum, cui facilius ac delectabilius producendo potentiam juvat. De reliquis ergo tribus agendum. Cum autem habitus careat formali causa ex qua componatur, ipse enim est forma et actus subjecti sui, loco formalis causae investiganda erit habitus forma metaphysica vel essentia.

ARTICULUS I

De causa efficiente habituum.

506. **Status quaestionis et sententiae.** Cum efficientem causam hic inquirimus, sermo est de prima productione habitus ac de ejus conservatione; est enim qualitas de se stabilis, ideoque jure merito quaeri potest, a quo conservetur in *esse*. Ex hactenus dictis jam habetur, habitus non esse innatos in nobis, sed acquirendos exercitio esse; quamvis facile conceditur esse homini a natura inchoationes quasdam habituum vel quasi semina instar naturalium dispositionum vel aptitudinum, quibus acquiri possint, quemadmodum praeclare docet Aquinas (1). Quod ergo ad causam efficientem spectat, Durandus et Petrus Buridanus voluerunt habitus a sola potentia produci, ita ut actus non sint nisi dispositio aut via, ut habitus efficiantur. Communis tamen sententia cum S. Thoma (2) efficientiam habitus tribuit actibus, sive solis, ut docent Suarez, Vazquez et alii, sive simul cum potentia, ut contendunt Conradus, Valentia (3), etc., praesertim qui habitum arbitrantur esse perfectiorem actu. Relate ad conservationem etiam variant opiniones; quamvis enim omnes in eo conveniant, quod potentia in genere causae materialis conservet habitum ceu subjectum ejus, at influxum efficientem pro conservatione alii Deo soli adscribunt, alii etiam ipsi potentiae. Huc quoque spectat illud dubium,

507. **An et quo pacto plures requirantur actus ad gignendum habitum.** Qua de re quatuor recensentur opiniones: prima, quae tribuitur Aristoteli, tenet generatim nullum habitum posse uno actu generari, sed plures requiri. Secundo, Nominales e contrario volunt omnes universaliter habitus uno actu quoad substantiam, saltem in imperfecto statu gigni. Tertio, S. Thomas (4), quem multi sequuntur, dis-

---

(1) 1. 2.^{ae}, quaest. 51, art. 1. Cfr. ibid. quaes. 63, art. 1.

(2) 1. 2.^{ae}, quaest. 51, art. 2; quaest. 63, art 2. Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp, 44, sect. 8: Lossada, *de anim.*, disp. 6, cap. 5, num. 136.

(3) In 1.^{am} 2.^{ae}, disp. 4, quaest. 3, punct. 2.

(4) 1. 2.^{ae}, quaest. 51, art. 3; 1.° dist 17 quaest. 2, art. 3, ad 4.^{um}; *de virtut.*, quaest. 1, art. 9, ad 1.^{um}; et 2.^{a} 2.^{ae}, quaest. 24, art. 6, ad 2.^{um}

tinguit inter habitus scientificos evidentes et inter opinativos itemque inter habitus voluntatis, statuitque scientificos quidem per primum actum produci, ad habitus vero voluntatis et opinativos non sufficere unum solum actum, nisi forte fuerit heroicus et valde intensus. Quarta demum opinio est eorum, qui sentiunt unum actum sufficere ad producendum habitum, quando nullus contrarius habitus praexistit in potentia; secus vero, quando praexistit; tunc enim prius vincendum est illud impedimentum. Omnes autem istae sententiae facile reduci possunt ad duas, prout explicatur in alio opere (1): quarum prima tenet cum pluribus Thomistis actus priores nihil producere de habitus substantia, sed tantum ad illum disponere, donec tandem unus eorum, qui a priori non potest designari, generat justum habitum, qui postea successivis actibus intensior reddi poterit. Nostrates autem communissime ac Scotistae itemque recentiores quidam (2) contendunt omnes actus inde a primo semper aliquid producere de habitus substantia, quamvis illud initio solum sit imperfectus et inchoatus habitus, nec nomen mereatur, donec repetitione similium actuum crescat, roboretur ac perfectus habitus fiat.

508 Propositio 1.ª **Habitus producuntur ab actibus, iisque solis, conservantur autem a solo Deo in genere causae efficientis.**

Prima pars: *Habitus producuntur ab actibus*, probatur 1.° Nam habitus in primis non producuntur nisi positis actibus; deinde nulla est improportio inter actus et habitus, cum actus sint habitibus simpliciter perfectiores (n. **500**); immo vero servant quamdam positivam inter se proportionem, quia quo intensiores et perfectiores sint actus, eo facilius gignuntur, et magis intenduntur habitus; demum actus servant etiam aliquam similitudinem, saltem virtualem, cum habitibus, quia quamvis sint diversae speciei (Cfr. n. **500**), tamen habitus ex actibus consecuti postea efficienter influunt in alios actus prioribus similes. Atqui haec omnia sunt indicia sat probabilia causalitatis efficientis. Ergo...

Prob. 2.° Potentia ex se indifferens est ad habitus etiam contrarios in se suscipiendos. Ergo assignanda erit causa determinata, quae virtute sua producat habitus. Atqui nulla potest assignari praeter actum. Ergo... (3).

Secunda pars: *Habitus producuntur a solis actibus*, ita ut potentia immediate per se non illos efficiat, probatur 1.° Quia si actus possunt esse adaequata causa, non est necessitas requirendi concursum immediatum etiam potentiae. Atqui actus possunt esse adaequata causa, quippe qui non sunt habitibus simpliciter imperfectiores. Ergo... 2.° Habitus eo melius producitur, quo minor restare deberet potentiae virtus ad illum producendum, nempe quo intensiorem potentia elicit actum. Ergo signum est, potentiam immediate solum producere actum, ad productionem autem habitus non concurrere nisi mediate, videlicet per medium actum.

Tertia pars: *Habitus a solo Deo efficienter conservatur.* Quia non potest conservari ab actu, quippe qui cessat illico; nec a potentia, cum neque primo ab illa productus sit. Ergo restat ut a solo Deo conservetur.

---

(1) Vide volum. 6.um, num. 154.

(2) Vide S. Thomam, 1.ª 2.ae, quaest. 24, art. 6, ad 2.um. Cfr. *de virtut.*, quaest. 1, art. 9, ad 1.um

(3) Quaedam alia in opere fusiori, volum. 6.°, num. 152, *Prima pars...*

509. **Objic. 1.°** Duae causae ejusdem generis nequeunt esse sibi mutuo causae. Atqui essent, si actus causarent habitus, nam et actus vicissim causantur ab habitibus (n. 504). Ergo...

Respond., *dist.* Major.: id est, duo individua nequeunt se mutuo causare eodem causalitatis genere, *conc.* (1); id est, causa unius generis nequit producere effectum, qui vicissim producat alium effectum similem prioris causae, *neg.* Et *neg.* Minor. cum sua probatione.

Objic. 2.° Actus producit speciem sui, nempe rememorativam, et haec dicitur semen ejus. Vel ergo actus non producit habitum velut semen sui, vel habitus et species sunt idem.

Respond., *trans.* Major, qua de re non est una omnium sententia (n. 312, *Sententiae variae)*, *neg.* conseq. Potest enim actus producere habitum velut semen sui, quin habitus identificetur cum specie, quamvis et haec sit semen actus cognoscitivi, nam species et habitus sunt semen diversimode respectu actus: species nimirum est semen ad producendum actum intentionaliter similem illi, a quo producta est, habitus vero ad producendum actum physice similem illi a quo ipse fuit productus (2). Et addo, quod objectio adhuc procedat in incerto, nam sunt multi qui habitum intellectualem cum speciebus identificent, ut videbimus.

Objic. 3.° Docente Aristotele, ad habitum non datur alteratio. Atqui si actus produceret habitum, alteratio terminaretur ad habitum.—**Respond.**, *neg.* Minor., quia actus, per quos habitus producuntur, non sunt proprie alterationes (3).

Objic. 4.° Habitus vitiosus nequit a solo Deo conservari, secus enim posset etiam infundi. Ergo a potentia conservari debet etiam in genere causae efficientis.—**Respond.**, *neg.* antec. cum sua probatione, intemque conseq. Nam vitiosus habitus nulla turpatur malitia formali, quare semel productus per actus, potest a solo Deo conservari. Non posset autem a solo Deo primum produci, quia tum Deus ageret ut causa particularis, non ut universalis, concurrens ad actiones causarum secundarum, ideoque ipsi ut auctori esset imputanda productio prima habitus: quod dedecet divinam sanctitatem.

510. PROPOSITIO 2.ª **Quamquam plerumque varii requirantur actus ad gignendum habitum in statu perfecto, tamen unus sufficit ad habitum scientiae, itemque, sit inensus sit, ad habitus voluntatis producendos.**

Prima pars constat experientia, nam signum habitus in justo gradu possessi est facilitas, uniformitas et delectatio operandi (n. **499**). Atqui nihil horum comparatur generatim uno actu. Ergo...

Secunda pars probatur, quia cum evidentia penitus convincat intellectum, et ad assensum cogat, sufficit una sola demonstratio, quae importat evidentiam, ut intellectus determinetur ad assensum, et, quantum est de se, immobiliter perstet in eadem dispositione, si alioquin species ex parte objecti requisitae memoria retineantur, ac ministrentur. Ergo ad habitum scientiae non requiritur similium actuum repetitio. Oppositum ob contrariam rationem dicendum de habitu opinionis et de moralibus voluntatis habitibus (4).

---

(1) Cfr. Compend., volum. 2.um, num. 507.
(2) Vide Lossada, loc. cit., num. 137.
(3) Cfr. Compend., volum 3.um, num. 160.
(4) Vide S. Thom., *de virtut.*, quaest. 1, art. 9, ad 11.um Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 44, sect. 9, num. 15.

Tertia pars probatur, quia heroicus vel valde intensus actus aequivalet pluribus minus intensis. Ergo habet solus eamdem efficacitatem, ac multi minus intensi.—Si jam quaeras,

511. **Utrum priores actus solum disponant potentiam, an vero aliquid de substantia habitus incipiant producere**, probabilius videtur dicendum, quod actus priores ita disponunt, et concurrunt ad habitum perfectum generandum, ut aliquid reale ac permanens in potentia efficiant, quod inde ab initio essentiam habitus in gradu remisso possidere videtur, quamvis nec nomen nec statum justi et perfecti habitus sortiatur, donec repetitione actuum magis perficiatur et ita radicetur, ut difficulter amoveri possit, et facilitatem tribuat operandi. Quod probatum reperies in alio opere (1).

ARTICULUS II

Subjectum vel causa materialis habitus.

512. **Praenotanda**. 1.° In primis statuendum est solam activam potentiam operativam esse subjectum habituum, non autem mere passivam; nam de solis habitibus operativis agit haec disputatio, non vero de illis quae quoquomodo afficiant subjectum suum in ordine ad *esse* (n. **497**). 2.° Nulla potentia est capax habituum, nisi sit elicitiva operationum immanentium. Nam habitus est in illa ipsa potentia, per cujus actus producitur, siquidem potentia facilitatem operandi repetitione suorum actuum assequitur. Atqui actus producens habitum non potest esse nisi in eo ipso subjecto, in quo recipitur habitus, non enim eum producit nisi ubi est. Ergo... 3.° Nulla potentia est capax habituum, nisi sit aliquo modo indeterminata vel indifferens ad diversimode operandum (n. **503**). Unde nec vires et potentiae inorganicae atque inanimatae, nec potentiae vegetativae, nec sensus externi sunt habituum capaces; nam determinatae sunt natura ipsa ad uno modo operandum, nec solo exercitio actuum nanciscuntur facultatem melius operandi. Quod si interdum quaedam istarum potentiarum peculiarem habitudinem acquirunt, dum quibusdam objectis assuescunt, ut cum vires vegetativae quibusdam cibis assuefiunt, et corpus humanum calidae vel frigidae tempestati, id reduci debet ad aliquam temperamenti variationem vel impedimentorum remotionem, quandoquidem istiusmodi affectiones videntur esse solum effectus passive duntaxat recepti ex circumstantium corporum actione (2). Hinc

513. **Voluntas capax est habituum**, ut ipsa experientia demonstrat, et admittit sensus communis omnium. Ratio vero est, tum quia voluntas ratione libertatis indifferens est ad diversimode operandum; tum quia etiam ratione objectorum, quae ratio tamquam convenientia et appetenda proponit, possunt esse difficultates et repugnantiae vel quod illa malum aliquod adjunctum habent, vel quod contraria sunt sensibili inclinationi, cum enim bonum sit triplex, honestum,

---

(1) Volum. 6.°, num. 156-160.
(2) Cfr. volum. 6.^{um}, num. 162.

utile, delectabile, non raro haec inter se pugnant, et voluntatem pertrahunt ad diversa.

514. **Intellectus etiam capax est habituum,** ut constat 1.° eadem experientia in tot artibus et scientiis, in quibus multi excellunt, non quidem ex naturali facilitate, sed ex perfectione longo studio et usu comparata. Artes enim et scientiae habitus quidam sunt. **Probatur 2.°** ratione. Quia intellectus, quamvis non sit liber, sua tamen in multis pollet indeterminatione: *α*) primo quidem in ferendo judicio de rebus inevidentibus et opinativis, in quibus sicut indiget imperio voluntatis ad assentiendum (n. **224**), ita difficulter removetur ab assensu earum rerum, quarum retinet fidem aut inveteratam opinionem usu comparatam. β) In ipsis objectis evidentibus non modica inest intellectui nostro ob suam imbecillitatem indeterminatio, nam conclusionibus nequit assentiri, quantumvis sint evidentes, nisi ex certis praemissis, certo ordine propositis, identitatem terminorum perspiciat: quod saepe diuturni studii opus est. Unde in demonstranda veritate intellectus noster laborat difficultate, quae usu et exercitatione emollitur. Immo vero in ipso primorum principiorum assensu, quae dicuntur ex terminis nota esse, intellectus noster facilitatem promptitudinemque certissime assentiendi non insitam habet a natura, sed inductione quadam assequitur ex notitia sensuum experimentali (1); et propterea ex communissimo Philosophorum consensu datur habitus principiorum, a potentia intellectiva distinctus, et non innatus, sed exercitio comparatus (2). Nota tamen habitum in intellectu non poni pro simplicibus apprehensionibus, in quibus eliciendis non majorem experimur usu acquiri facilitatem, sed tantum pro judiciis et ratiociniis (3).

II.—Intellectus speculativus et practicus et synderesis.

515. **Intellectus speculativus est**, inquit S. Thomas, *qui quod apprehendit non ordinat ad opus, sed ad solam veritatis considerationem;* **practicus vero intellectus dicitur** *qui hoc, apprehendit, ordinat ad opus. Et hoc est, quod Philosophus dicit* (4), *quod speculativus differt a practico*: **fine:** *unde et a fine denominatur uterque, hic quidem speculatiuvs, ille vero practicus, id est, operativus* (5). Quid autem sit *praxis* et *practicum,* alibi declaratum reliquimus (6). Si jam quaeras.

Utrum isti duo intellectus re distinguantur, communis responsio est negativa; *quia id quod accidentaliter se habet ad objecti rationem, quam respicit aliqua potentia, non diversificat potentiam* (7). *Accidit enim* (id est per accidens est vel accidentale) *colorato, quod sit homo, aut magnum aut parvum: unde omnia hujusmodi eadem visiva potentia apprehenduntur. Accidit autem apprehenso per intellectum, quod ordinetur ad opus, vel non ordinetur* (8): quae est differentia speculativi et practici. Hinc dici solet *intellectus speculativus extensione fieri practicus*, quia nempe idem intellectus res contemplans fit practicus ex eo solum, quod cognitionem extendat, vel ordinet ad opus.—Quaedam difficultates solutae videri queunt in opere fusiore (1).

---

(1) Cfr. Compend., volum. 1.um, num. 455, 456.

(2) Ibid, num. 450 et 452.

(3) Cfr. opus fusius, volum. 6.°, num. 163.

(4) Aristot., *de anim.*, lib. 3, text. 49, cap. 10.

(5) S. Thom., 1 p., quaest. 79, art. 11. Cfr. 3.° dist. 29, quaest. 2, art. 3, solut. 2.

(6) Compend. volum. 1.°, num. 492, 494.

(7) Qua de re vide S. Thom., 1 p., quaest. 77, art. 3.

(8) S. Thom., 1 p. quaest. 79, art. 11. Cfr. Suarez, *de anim.*, lib. 4, cap. 9, num. 10.

516. **Synderesis et intellectus principiorum.** De hoc postremo jam alibi dictum est, ostensumque illum non esse potentiam intellectivam, sed habitum ejusdem realiter distinctum (2): quare nihil necesse est nunc addere.

Synderesis pariter non est probabilius pars potentiae ipsius intellectivae (3), sed habitus intellectum facilem reddens ad assentiendum principiis practicis, sive rationis superioris sive rationis inferioris (n. **226**): in quo differt ab intellectu principiorum, qui est habitus facilitatem praestans intellectui ad assentiendum principiis speculativis (4). Dicitur habitus naturalis; non praecise quia sit innatus, sed quia, positis speciebus intelligibilibus, illico facillime gignitur in intellectu; et propterea etiam S. Thomas docet synderesim et intellectum principiorum esse habitus immediate causatos ab intellectu agente, cujus est abstrahere species a phantasmate (5).—Si jam quaeras

517. **Utrum dentur habitus in sensibus internis, ac potissimum in appetitu sensitivo,** respondebo ex communi Scholasticorum sententia, sensum internum, ac potissimum phantasiam, in homine capacem esse habituum, multoque magis appetitum sensitivum. Disputant autem, an in brutis animantibus hae facultates suscipere valeant habitus. Probarique res de homine potest, quod attinet internum sensum, 1.° experientia, nam ex actuum phantasiae ac memoriae repetitione promptiores reddimur ad similes actus eliciendos. Et sic videmus peritos artium et scientiarum magna pollere facilitate imaginandi et recordandi, quae ad artem et scientiam suam pertinent. Ratio vero est: quia sensus interior non est ita determinatus ad uno modo operandum, quin sub directione intellectus et voluntatis imperio melius operari non possit.

Eadem ratione probantur habitus in appetitu sensitivo, quia constat ipsum non esse penitus determinatum ad uno duntaxat modo operandum. Novimus enim appetitum sensitivum in suis inclinationibus compesci, atque in officio contineri per rationem et voluntatem, quamvis non despotice, sed politice (n. **406**): quod profecto fieri non posset, si appetitus non haberet ex se aliquam indeterminationem. Idem ostenditur ex variis inclinationibus appetitus sensitivi quodammodo inter se contrariis, siquidem ex natura sua inclinatur ad bona sensibilia et delectabilia, simulque ex vi conjunctionis et dimanationis ab anima rationali habet inclinationem ad obediendum rationi et appetenda sensibilia, quatenus bona sunt non praecise sibi, sed homini: unde iterum apparet indeterminatio hujus appetitus ac dirigibilitas per rationem mediis habitibus (6).

---

(1) Volum. 5.°, num. 299.

(2) Vide Compend., volum. 1.um, num. 450 453.

(3) Vide S. Thom., *de verit.*, quaest. 16, art. 1, ad 8.um

(4) S. Thom., 1 p., quest. 79, art. 12; 2.° dist. 24, quaest. 2, art. 4; *de verit.*, quaest. 16. art. 1.

(5) Cfr. opus fusius, vol. 4, num. 300, 301.

(6) Cfr. volum. 6.um, num. 165.

Minor est necessitas ponendi habitus in brutis, quamvis non videtur sua carere probabilitate sententia tribuens habitus eorum memoriae ac phantasiae, ut videre licet in opere fusiori (1).

518. **Major est dubitatio circa potentiam motricem relate ad membra corporis.** Affirmant in his dari habitus Gabriel Biel et Ockam pluresque Scotistae; negant tamen longe frequentius alii cum S. Thoma (2), Suarez (3), etc. Difficultas est, quia usu et exercitatione comparatur in membris facilitas et magna dexteritas, v. g. ad saltandum, lsanda musica instrumenta: quae facilitas distincta est a notitia regularum artis, quas non sufficit bene callere, ut quis apte moveat membra, nisi peculiarem repetitione motuum acquirat habilitatem membrorum. Nihilominus dicendum videtur, in membris corporeis vel in potentia localium motuum exsecutrice non dari veri nominis habitum. Quod vide, si lubet, probatum in opere fusiori (4).

ARTICULUS III

In quo sita sit habitus essentia.

Vidimus habitum esse qualitatem quamdam (n. 502); sed nondum declaratum est, utrum is sit aliqua ex qualitatibus hactenus nobis notis, an vero nova prorsus species. Estque controversia obscurissima, in qua cum nihil certi statui possit, contenti erimus sententiarum expositione indicatis probabilioribus cum suis praecipuis argumentis.

I.—Utrum habitus intellectualis consistat in speciebus, an in qualitate distincta.

519. **Status quaestionis et sententiae.** Sermo est, ut semper in praecedentibus quaestionibus, de naturali habitu; nam certum est supernaturales ac per se infusos esse qualitates a speciebus intentionalibus distinctas. At de naturalibus sententia est quorumdam Thomistarum, ac multorum nostratum, ut cardin. Lugo, Petri Hurtado, etcetera, quibus perspicue favet S. Thomas, habitus intellectuales consistere in speciebus, quamvis non eodem modo res omnes declarant. Nostri enim habitum identificant non cum quibuslibet speciebus sed solum cum experimentalibus, quae in memoria relinquuntur ab actibus praehabitis: has enim volunt repetitis actibus intendi, atque ita facilitatem inducere ad similes alios iterandos. Thomistae autem habitus reponunt in speciebus coordinatis non actuum, sed objectorum ad eamdem scientiam vel artem spectantium, licet non explicant in quo sita sit haec specierum coordinatio (5). At multo communior est

---

(1) Loc. nup. cit., num. 166.

(2) 1. 2.^{ae}, quaest. 50, art. 3, ad 3.^{um}

(3) *Metaphys.*, disp. 44, sect. 2. Cfr. Lossada, *De anim.*, disp. 6, cap. 4, num. 127.

(4) Volum. 6.°, num. 167, 168.

(5) Vide Lossada, *de anim.*, disp. 6, cap. 4, num. 104.

opinio nobiliorum Thomistarum et nostratum (1), consentientibus communiter Scotistis, secundum quos habitus intellectualis est qualitas a speciebus intentionalibus distincta, dans facilitatem judicandi et ratiocinandi.

520. **Haec altera sententia probabilior videtur** 1.° quia species, fatentibus cunctis, est comprincipium cognitionis, se tenens ex parte objecti, quare est etiam necessaria ad simpliciter posse operari. Atqui potentia cognoscitiva potest, ac debet facilitari per aliquid quod se teneat ex parte potentiae; nam indeterminatio potentiae ad diversimode operandum vincenda est per aliquid non ex parte tantum objecti requisitum. Ergo censendum est, habitum esse comprincipium hujusmodi a speciebus distinctum et se tenens ex parte ipsius potentiae.

Prob. 2.° Habitus confert facilitatem, quae nullatenus potest provenire ex speciebus. Nam species non serviunt potentiae nec juvant eam nisi respectu sui proprii objecti. Atqui habitus facilitans ad actum circa unum objectum aeque facilitat circa quodlibet aliud objectum simile: sic habens habitum temere judicandi de Petro in materia furti, de quovis alio facile judicabit in similibus adjunctis.

Prob. 3.° Quaedam conveniunt habitibus, quae non possunt speciebus attribui: v. g. α) habitus dividuntur in bonos vel virtuosos et vitiosos; at vero species, quomodocumque modificentur, non patiuntur ejusmodi divisionem. β) Quo intensiore quis polleat habitu, eo minorem requirit attentionem in operando, ut passim videmus in artificibus. At quo quis intensiores habet species, eo vividius attendit propter vividiores, quas gignunt illae, apprehensiones. γ) species inserviunt simplicibus apprehensionibus; habitus ponuntur ad actus judicii.

Adversarii conantur haec explicare ex eo, quod habitus non consistunt simpliciter in speciebus, sed in *coordinatione* specierum. Verum non declarant, quid tandem sit ista coordinatio (2). Argumenta adversariorum soluta videri queunt in alio opere, ubi etiam mens S. Thomae investigatur (3).

II.—Utrum habitus voluntatis consistant in speciebus vel actibus intellectus.

521. **Statiis quaestionis et sententiae**. Plerique illorum qui negant in intellectu habitus a speciebus distinctos, habitus quoque voluntatis conantur explicare per species et actus quosdam intellectus, arbitrantur enim propensionem et facilitatem operandi circa objectum aliquod, quam in voluntate experimur, proxime ac formaliter

---

(1) Vide Suarez, *Metaphys.* disp. 44, sect. 4; Molina, In 1.^{am} partem, quaest. 48, art. 1, conclus. 6.^{a}; Lossada, loc. nup. cit., num. 108, seqq.

(2) Cfr. volum 6.°, num. 170.

(3) Loc. nup. cit. num. 171, 172.

explicari posse per vividam cognitionem dulcedinis aut emolumenti ex eodem objecto prius percepti, vel etiam ex simplici et indeliberata complacentia, quae ex illius memoria nascitur, remote vero ac radicaliter per species experimentales in memoria relictas ex jucundis ac repetitis volitionibus ejusdem objecti. At quia formalis facilitas sic explicata transit cum ipsis actibus, in quibus reponitur, radicalis vero permanet, tandem in speciebus potius quam in actibus, decernunt habitum consistere. Quod si ab eis quaeras, quomodo distinguantur habitus, voluntatis et intellectus, quandoquidem utrique sistunt in speciebus; respondent, habitus intellectuales consistere in speciebus per actus cognitionis generatis, habitus autem voluntatis in speciebus ex actibus ejusdem voluntatis relictis, et ad similes eam actus inclinantibus. Sed communissima sententia distinguit actus voluntatis ab omni specie actuque intellectus.

522. **Haec postrema sententia probabilior videtur**, probaturque 1.° Etenim habitus in contraria sententia tandem revocatur ad species intensiores virtutem habentes proponendi vivide objectum et jucunditatem ejusdem vel actum ipsorum cum negatione specierum aeque formaliter trahentium in contrarium. Atqui possunt dari ejusmodi species intensiores, quin sit habitus. Quia potest homo sanctus vividissimis sensibilium bonorum imaginibus ad peccandum vehementissime allici: habes ergo species intensissimas objectum vel actum vetitum vividissime repraesentantes quin tamen detur habitus peccandi, sed detur habitus contrarius virtutis.

Prob. 2.° Pone duos homines, alterum habitualiter sobrium, alterum habitualiter ebrium, qui cognitiones directas habeant omnino aequales in vi attrahendi ad immoderate bibendum atque in vi retrahendi. Putasne ambos aeque propensos fore ad immoderatum potum? Minime sane. Aqui major facilitas et inclinatio in uno, quam in altero, non provenit a cognitione, quae supponitur aequalis in utroque. Ergo aliunde, etc.

Plura in opere fusiori, ubi etiam solvuntur quaedam dificultates (1).

523. Huc refert theoriam valorum Lindworsky (2). Optimus sane modus educandi voluntatem est proponere ei semper motiva praestantia cujus bonitas sit aestimata: sicque voluntas bonorum propositione allecta sese determinat ad actiones. Facultas enim suo obiecto proprio et non aliunde psychologice determinari debet. Ideo reprehenduntur matres quae vocibus et non rationibus obtineri ex puero volunt modum agendi determinatum.

Sed tamen non inde concluditur habitus voluntatis esse solum species motivorum. Siquidem habitus voluntatis in eo maxime stat, in adnectendo determinato motivo modum constantem operandi in voluntate: quia cum non motivum per se sed ipsa voluntas seipsam determinet ad motivi allicientiam, per habitum inclinatur voluntas ad sese determinandam ex tali specifice motivo determinato. Iam si motivum cessat vel disparet non habet habitus voluntatis materiam circa quam operetur; quia proprium munus habitus est inclinare voluntatem ut se ipsam determinet ob tale motivum. Nihil mirum si tota constantia hactenus habita in voluntate evanescat si motivum quo movebatur cesset. Sicut habitus intellectualis judicandi et amplectendi opinionem probabilem penitus evanescit ob defectum materiae si motiva quibus opinio fulciebatur, falsa esse certe detegantur.

---

(1) Volum. 6.°, num. 174, 175.

(2) Lindworsky, S. J. *El poder de la Voluntad.* (trad. 1923, Bilbao), pag. 33.

CAPUT III

PROPRIETATES HABITUUM

Possent hic tractari variae habituum divisiones; sed quia non tanti momenti est haec tractatio, ne volumen hoc sine modo excrescat, malo lectorem ad opus fusius remittere (1). Proprietates vero binas attingemus, capacitatem augmenti atque intensionis et decrementi vel remissionis et corruptionis, quamvis hac in re omnia sunt plena hypothesibus plus minus probabilibus, ut vix possit quidpiam certo statui.

ARTICULUS I

An et quo pacto habitus sint capaces augmenti.

524. **Status quaestionis.** Augmentum et diminutio est affectio quantitatis; quia vero in habitibus non datur formalis quantitas, sed solum quantitas virtutis vel perfectionis, capacitas augmenti hic perinde est ac capacitas assequendi majorem perfectionem, et e contrario capacitas diminutionis vel decrementi.

Duplex est augmentum, *extensivum* et *intensivum*. Extensivum obtinet, cum habitus secundum eumdem gradum subjectivae aut entitativae perfectionis ad plures actus similes vel ad plura objecta materialia sub uno formali obiecto contenta se porrigit: sic habitus scientiae psychologicae faciens cognoscere simplicitatem vel spiritualitatem humanae animae, augetur extensive acquisita facilitate cognoscendi ejusdem animae inmortalitatem vel originem. Intensivum in eo situm est, quod habitus in se ipso et circa idem etiam objectum majorem perfectionis entitativae gradum sortiatur, majorem proinde tribuendo potentiae inclinationem operandique facilitatem,

525. **Quod intensionem vel intensivum augmentum attinet,** in primis animo recolenda sunt, quae alibi probata reliquimus circa

---

(1) Volum. 6.°, num. 188.

modum, quo intensio qualitatum peragitur (1), nam habitus est qualitas. Controvertitur autem

526. **Utrum habitus intendantur solummodo per actus intensiores,** quemadmodum contendunt plures interpretes S. Thomae (2) et Suarez (3) et alii, an vero per quoslibet actus etiam aeque vel minus intensos ut volunt Scotistae et multi nostrates (4). Est res valde dubia et utriusque sententiae argumenta exposita et soluta videri queunt in opere fusiori (5).

527. **Circa extensionem vel extensivum augmentum habitus,** certum est apud omnes dari habitus, qui successive se extendunt ad plures actus eliciendos pluraque objecta attingenda directos: hoc pacto successive perficiuntur scientiae addiscendo novas veritates. Unde etiam sequi sponte videtur augmentum extensivum intelligi non posse sine additione alicujus realitatis accrescentis primo habitui. At in definienda ejusmodi realitate stat opinionum diversitas.

Habituum intellectualium augmentum. Thomistae censent habitum primitivum intellectualem esse simplicem entitative qualitatem, extensive autem augeri, quia se extendit ad plura contemplanda objecta (6), sive haec extensio fiat solum per acquisitionem novarum specierum, per quas habitus ad nova objecta consideranda porrigatur, sive per suceptionem alicujus modi, quo habitus afficiatur, secundum varias explicationes Thomistarum. At vero Scotistae communiter et Suarez (7), Molina, Fonseca, cardin. Toletus aliique nos trates satis frequenter (8) arbitrantur extensivum augmentum fieri per acquisitionem novi habitus partialis. Nam post acquisitum habitum scientiae circa objectum formale, quod est pars objecti considerati ab una scientia, v. g. circa *principia scientiarum*, quae tractantur in Logica, quando novo studio comparatur facilitas discurrendi circa *demonstrationem*, quae est alia pars objecti logicae considerationis nova entitas habitus gignitur, et priori adjungitur ad tribuendam facilitatem cogitandi circa novam partem totalis objecti scientiae. Et quoniam diversae istae partes objecti prae se ferunt diversas rationes formales sub una generaliori ratione constituente objectum totius scientiae; ideo partiales isti habitus specie incompleta inter se distinguuntur, omnesque simul integrum totalem habitum scientificum vel intellectualem componunt (9).

---

(1) Cfr. Compend., volum. 2.^{um}, num. 365-371.

(2) In 1.^{am} 2.^{ae}, quaest. 52, art. 3.

(3) *Metaphys.* disp. 44, sect. 10, num. 17 seqq.

(4) Ita v. g. Vazquez, In 1.^{am} 2.^{ae}, disp. 80, cap. 1, num. 6; Arriaga, In 1.^{am} 2.^{ae} *(Curs. theolog)*, tract. *de habit.*, disp. 32, sect. 6, subsect. num. 2, 31.

(5) Volum. 6.°, num. 178-179.

(6) Vide S. Thom., 1. 2.^{ae}, quaest. 54, art. 4 corp. et ad 1.^{um} ac 3.^{um}

(7) *Metaphys.*, dis. 44, sect. 18.

(8) Vide Lossada, *Logic.* tract. 1 prooem., disp. 1, cap. 5.

(9) Vide opus fusius, volum. 6.°, num. 181, 182, ubi haec magis declarantur, et ostenditur esse probabiliorem hanc alteram opinionem. Legi etiam possunt, quae continentur in 1.° volumine ejusdem fusioris operis, *Logic. Major.* num. 290 seqq.

Habituum voluntatis etiam extensivum augmentum simili modo explicant Suarez et alii, ut videre licet in alio opere (1).

ARTICULUS II

Habituum remissio et corruptio.

528. **Principio statuendum est habitus remitti, et etiam corrumpi**, prout experientia docet. Non autem remittuntur, nec corrumpuntur per se sola cessatione ab opere vel solo otio, sed tantum occasionaliter, prout tenet communis sententia contra Gabrielem Biel, Ockamum et quosdam alios. Nam habitus de se est qualitas permanens, et a Deo solo conservatur in *esse* (n. 508, *Tertia pars)*. Atqui Deus conservat omnia in *esse*, quamdiu vel natura rei vel agentia contraria non postulent, ut Deus retrahat conservationem. Ergo cum otium solum non sit causa per se ad habitus destructionem tendens, non est hic remitti vel corrumpi per se dicendus solum quia non operatur. Occasionaliter autem remittitur, vel etiam corrumpitur habitus ex defectu exercitationis, ut ipsa experientia videtur demonstrare. Ratio autem est, quia, otiante habitu, fieri moraliter nequit, ut non ocurrant actus contrarii, qui per exercitium habitus impediti fuissent. Quare per istos contrarios actus diminuetur, aut etiam corrumpetur habitus, et sic otium habitus est occasio hujus cladis.

529. **Habitus per se corrumpuntur contrariis actibus**; non quidem quia ejusmodi actus *per se* intendant habituum interitum, nam nullum agens per se intendit malum vel non *esse*; sed quia contrarii actus producunt per se ac positive contrarium habitum, cum quo prior stare non potest. Quare actus contrarii non corrumpunt habitum in genere causae formalis et immediate; sed in genere causae efficientis ac mediate, modo declarato. Habitus autem per contrarios actus generatus corrumpit priorem habitum in genere causae formalis; quia cum sit incompossibilis cum illo, exigit, ut Deus conservationem ab eo retrahat et sic pereat.

530. **Ex defectu subjecti, ac proinde per accidens, corrumpi possunt** habitus phantasiae atque appetitus sensitivi, non autem habitus intellectus et voluntatis. Ratio est quia phantasia et appetitus sensitivus, utpote facultates organicae, corrumpi possunt, secus vero intellectus et voluntas (2).

---

(1) Volum. 6.°, num. 183.

(2) Cfr. opus fusius, volum. 6.°, num. 185, 186.

DISPUTATIO VIII

De quibusdam vitae psychicae accidentibus.

Silentio praeteriri a nobis non possunt quaedam naturales affectiones cognitionis et appetitionis nam quae naturae vires superant, et in gratuitis Dei muneribus numerantur, ut sunt extases, raptus, etc., Theologis integrae relinquendae sunt. Porro naturales hae cognitionis affectiones duplicis generis sunt, aliae suspendunt, aliae perturbant cognitionem; appetitionum vero affectiones aliae deprimentes, aliae sunt exaltantes.

CAPUT I

DE AFFECTIONIBUS COGNITIONEM SUSPENDENTIBUS

Praecipua hujus generis affectio est *somnus*, nam aliae, ut catalepsis et apoplexia, ad medicos spectant. Somnus vero varius est, prout magis minusve privat functionibus relationis, cognitione ac motu voluntario: unde distingui solet status somni a somnio et somnambulismo.

ARTICULUS I

De somno.

531. **Somnus est notissimum vitae nostrae phaenomenum**, quietem afferens vel suspensionem operationum ordinis cognoscitivi; nam functiones nutritivae, ut circulatio, respiratio, digestio, assimilatio variaeque secretiones nunquam deficiunt, immo interdum magis vigescunt, quamquam motus cordis et apparatus respiratorii ac pulsus magis lentescat. Quod autem cognitiones attinet, primum vacant sensus externi, et saepe etiam interni et operationes intellectivae cum conscientia sui ipsius: unde sequitur, ut vacet quoque appetitus uterque, sensitivus et rationalis, cessante pariter, saltem extra casum somnambulismi, motu voluntario, quamvis motus reflexi inconscii et involuntarii (n. **51**) exerceri possint. Denique in somno musculi relaxantur et organismus totus quasi enervatus languescit nec se tenere valens jacet instar cadaveris.

532. **Disputatur, utrum detur somnus sine somnio** vel somnus, in o omnis prorsus ferietur cognitio. Multi contendunt, nunquam

penitus cessare cognitionem omnem, quamvis nulla adsit conscientia. Verum nulla idonea ratio probat istam assertionem (1).

533. Jam si somni causas quaeras, illae duplicia generis sunt: aliae remotiores, nempe somnum captantes, aliae proximae, somnum generantes. Priores notae sunt cunctis, silentium, tenebrae, situs corporis jacentis, defatigatio, digestionis labor, uniformes sensationes, v. g. aequabilis cantinela, etc., quibus facile solet conciliari somnus. Illud vero hactenus incompertum est,

Quaenam sint causae proxime somnum generantes, vel quid sit id quod in organismo contingit, unde sequitur somnus. Quaestio, haec, inde ab Aristotele agitata, nondum potuit nostris diebus resolvi. Aristoteles putavit somnum gigni evaporatione atque obstructione meatuum, per quos animales spiritus excurrunt (2). Galenus statuit «causam somni non provenire ex evaporatione alimenti, sed quod ipsa anima revocet, colligatque in cerebrum spiritus animales, ad eorum reparationem et quietem salutemque animantium (3).

Sententiae variae recentiorum. Haller et Hartley somnum repetunt ex quadam *hyperaemia* vel congestione vasorum cerebralium. At contra Henricus Milne-Edwards et alii frequentius somni causam volunt esse *anaemiam* cerebralem. Durham somni causam reponit in oxydatione substantiae cerebralis, quae magna est in vigilia, cum major exercetur activitas cerebri, parva in somno, in quo cessat praedicta activitas. Kohlschutter putat in vigilia majorem esse jacturam ac detrimentum materiae viventis, quam assimilationem elementorum nutritivorum: quare nimis imminuta irritabilitate substantiae cerebralis, jam desinit excitari ab objectis externis, unde somnus existit. Tandem Sommer et alii ad asphyxiam recurrunt, causam somni in defectu oxygenii reponentes; idemque sequuntur Pflüger et Preyer, quamvis rem diversimode exponant, ut videre licet in opere fusiori (4). Omnes hae opiniones in cerebro constituunt somni causam. Eam vero repetit Sergueyeff ex magno sympathico (n. **15**), novam prorsus excogitans hypothesim, quae, nescio, an sit solidior praecedentibus, quas ipsemet ostendit firmo cassas esse fundamento; fingit enim fluidum quoddam aethereum, dynamicum, imponderabile, quod per pellem absorbeatur, ejusque organum vult esse magnum sympathicum. In vigilia, inquit, fluidum istud accumulatur, cum vero supra modum augetur, et rejiciendum est, tunc somnus adest. Verum haec et quaedam alia, quae in opere fusiori videri queunt, historice tantum dicta sint, ut pateat nihil hactenus inveniri potuisse, quod vel mediocriter satisfaciat.

Somnus potest esse *vel naturalis vel artificialis vel morbosus.* Naturalis aut normalis est ille, qui nullis artis mediis captatus, sponte ac periodice singulis diebus recurrit. Artificialis est ille, qui artis praesidio quaeritur: qualis est magneticus et hypnoticus. Morbosus demum est, qui ex morbo gignitur, ut lethargus, coma vel veternus, et quem voce graeca dicunt *corum:* de quibus medici sunt consulendi. Hisce partim ex experientia, partim ex Physiologia (1) notatis, videnda est jam

---

(1) Cfr. opus fusius, volum 5.°, num. 340.
(2) Arist. *de somn. et vigil.*, cap. 4; S. Thom., ibid., lect. 5.
(3) Conimbricens., In libr. *de somno et vigilia*, cap. 2.
(4) Volum. 5, num. 340, *Tandem asphyxiae.*

534. Notio philosophica somni. Somnus definiri potest *ligatio sensuum omnium, saltem externorum, ad animantium quietem et salutem naturaliter instituta.* Sicut e converso *vigilia est externorum sensuum,* saltem aliquorum, *solutio ac libertas* (2). Dicitur *ligatio sensuum,* quia haec est clarissima somni manifestatio. Dicitur *saltem externorum,* quia si quis externorum sensuum vigilet nemo putatur plene dormire, sed ut summum esse semisopitus. Quamvis autem sensus interni soluti sint, potest dari somnus, quatenus hic vigiliae statui opponitur, nempe somnus cum somnio. Caetera definitionis verba finalem somni causam declarant.

Probatur definitio somni, tum quia convenit omni et soli somno normali, tum quia praebet brevem summam eorum, quae de somno cognoscimus; nam causas ejus proximas, ut jam monui, penitus ignoramus (3).—Hinc vero sequitur, quod

535. Somnus est phaenomenum proprium vitae animalis. Verum est, quod plantis etiam insit phaenomenum, quod nomine somni designatur illud autem valde diversum est a somno animalium, quamvis habeat cum eo analogiam quamdam (4).

Nec dicas, in homine somnum importare etiam cessationem intellectualium operationem, nimirum extra casum somniorum.—**Nam operationes intellectuales** cessant consequenter ad sensationum cessationem. **Instabis**, somnum ex defatigatione organorum, quae reparanda sunt, oriri; reparationem autem esse opus vitae vegetativae, non animalis.—**Verum in primis** somnus non oritur solum ex defatigatione organorum vitae vegetativae, tum quia functiones vegetativae pergunt in somno, immo et interdum intensius exercentur; tum quia notum est, quod multae causae in somnum influentes, primo nerveum systema afficiunt, ac proinde ad vitam relationis pertinent. Deinde licet concederetur, reparationem organorum esse opus vitae vegetativae, non sequitur somnum esse formaliter phaenomenum vegetativum, quia praedicta reparatio non est ipse formalis somnus, sed sequela et finis ejusdem (5).

---

(1) Vide inter alios Physiologos Sergueyeff *(Le sommeil et le système nerveux)*, Surbled (*Le sommeil*; et *Elements de Psychologie*, chap. 9), Milne-Edwards *(Leçons sur la Physiologie*, volum. 14) Maury (*Le sommeil et les Rêvès)*, Bellynck *(Resumé du Cours de Zoologie*, pag. 137 seqq.), etc. Lindworsky-Psicologia experimental (trad.) pag. 387-393. Fröbes, op cit. t. 2, pag. 560-564; pag. 585-588.

(2) Ita Conimbricensis, Rhodes, Soarez lusitanus aliique ad mentem Aristotelis.

(3) Cfr. opus fusius, volum 5, num. 342, ubi refellitur alia clarissimi P. Van der Aa definitio et opinio circa originem et finem somni

(4) Cfr Surbled, *Le sommeil,* pag. 9. Cosmol. pag. 353 in resp. ad obi, 3.°, γ).

(5) Cfr. quaedam alia in opere fusiori, volum. 5, num. 342.

ARTICULUS II

De somnio et somnambulismo.

Duo haec phaenomena in somno occurrunt, primum quidem frequenter, alterum raro: de utroque breviter agendum.

I.—De somnio.

536. **Somnium ex mente Aristotelis** definiri potest *visum quod in somno apparet* (1), vel, si mavis, *apparitio exhibita per internum sensum in iis, qui somno consopiti sunt* (2). Quae verba plana sunt. Somnium autem esse opus interni sensus constat, quia in somno externi sensus ligati sunt; non esse autem opus intellectus, saltem solius, probatur, quia datur in brutis, et quia licet in homine adsit etiam operatio intellectus inter somniandum, intellectus operari nequit nisi comite sensu. Est porro somnium inter sensus internos actus praesertim imaginationis, quia hujus solent in somnio phantasmata iterari, et ex iisdem alia quoque componit (n. **147**); hoc autem totum est negotium phantasiae. Possunt tamen in somnio exerceri actus memoriae, recognoscendo habitas olim impressiones, et aestimativae ac cogitativae, objecta percepta ceu amica vel inimica judicando. Unde pronum est etiam, ut sequantur actus potentiae appetitivae. Quoniam vero intellectus solum vacat ab operatione propter ligamentum sensus, soluto interno sensu, naturaliter sequitur, ut intellectus etiam operetur in somnio. Et sic novimus experientia multa nos in hoc statu repraesentare, quae sensum transcendunt, multaque appetere, quae solum ad voluntatem, potentiam spiritualem, pertinent, gaudendo, v. g., de bonis, ac tristando de malis immaterialibus.

537. **Varietas somniorum.** Caeterum magna est somniorum varietas: interdum imagines quaedam raptim occurrunt, et illico evanescunt, alias series integra imaginum exhibetur, locum vel factum aliquod referens: saepe inconditae imaginum successiones obversantur, quandoque vero discursus et ordinatae rationes fiunt: immo et narrantur quaedam hominum exempla, qui somniantes problemata mathematica solverunt, aliaque feliciter invenerunt, quae diu irrito

---

(1) Arist., opusc. *de somniis*, cap. 1 et 3.

(2) Conimbricens. in eumdem Aristotelis libellum *de somniis*, cap. 1; Suarez, *de Religion.*, tract. 3, lib, 2, cap. 13, núm. 1. Cfr. Lindworsky, *Psycologia experimental* (trad.), pag. 393-403. Fröbes, op. cit. t. 2 pag. 564 584.

labore quaesierant (1). Illa vero insigniora sunt, et humanum captum superantia, quae in sacris libris narrantur (2), et futurorum quoque eventuum praedictionem continent. In his porro mirabilioribus exemplis, si somnium prae se ferat quidpiam vigilantis hominis vires excedens, interventus Dei vel angelorum agnoscendus est, qui possunt interdum somniorum esse causa. Si nihil hujusmodi contingat, potest res ex eo explicari, quod homo somnians ex ipso sensuum externorum sopore magis in se collectus, aptius et efficacius explicare valeat vires intellectus in illis operationibus, *quae abstrahunt a conditionibus actualis existentiae, vel non implicant judicium de reali ac physico rerum hic et nunc statu in praesenti sua existentia,* nam judicium de reali ac physico statu sine sensuum externorum testimonio perfectum esse nequit. Quod ut melius intelligas, probe

538. **Distinguenda est in intellectu virtus apprehensiva et virtus judicativa de apprehensis** (3). Primam harum intellectus exercere bene potest in somnio, immo et melius quam in vigilia, quia magis collectus est in se minusque perturbatus impressionibus sensuum externorum, attentionem ad multa distrahentibus (4); at virtus judicativa, sin minus in abstractis, certe in iis quae statum realis existentiae attingunt, in somnio semper deficit plus minus, quia, docente Angelico, nullus est dormiens, qui non confundat realitatem cum imaginibus vanis phantasiae. Ratio vero est, quia *judicium perfectum de re aliqua dari non potest, nisi ea omnia quae ad rem pertinent cognoscantur, et praecipue si ignoretur terminus et finis resolutionis judicii* (5), id est, nisi mens cognitiones suas possit hic et nunc ad sua principia, unde firmitatem ac certitudinem mutuantur resolvere. Cum vero realis status existentiae rerum cognosci nequeat a nobis in hac vita nisi mediante sensuum externorum testimonio, eo deficiente in somnio, intellectus judicium securum esse nequit (6). Idque confirmatur experientia cujusque, nemo enim est qui non decipiatur in somnio judicans de reali existentia. Ex quo infertur cum communi Theologorum sententia, quod

539. **In somnio non datur libertas, ac proinde nec meritum nec**

---

(1) Vide Maury. *Le Sommeil et les Rêves*, chap. 2; Moreau de la Sarthe, apud Frèdault. *Anthropologie*, pag. 713.

(2) Vide v. g. *Genesis* cap. 28, vers. 12; cap. 37, vers. 5; cap. 41, vers. 1, seqq.; *Matth.* cap. 1, vers. 20; cap. 2, vers. 12 seqq.

(3) Vide S. Thom , 2 ^{a} 2.^{ae} quaest. 154, art. 5, ad 3.^{um}; *de verit.*, quaest. 12, art. 1, ad 1.^{um}; quest. 28, art. 3, ad 6.^{uu}

(4) Cfr. S. Thom , *de verit* , quaest. 12, art. 3, ad 2.^{um}; 2.^{a} 2.^{ae}, quaes. 172, art. 1, ad 1.^{um} et 2.^{um}

(5) S. Thom., 1 p., quaest. 84, art. 8.

(6) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 84, art. 8, quaest. 101, art. 2; 4.^{o} dist., quaest. 1, art. 4, solut. 1.^{a} corp. et ad 3.^{um}; *de verit.*, quaest. 12, art. 3, ad 6.^{um} Et lege Suarez, *De Religione*, tract. 4, lib. 2, cap. 20, num. 4.

peccatum per se. Quia ad meritum et demeritum requiritur libertas a necessitate; libertas autem non est, ubi mens non potest recte judicare de rebus (1). Qua de re plura in opere fusiori (2).

540. **Quod frequentiam et durationem attinet somniorum,** multi Physiologi contendunt, nullum esse somnum sine somnio. Id vero probare nequeunt, et contra experientiam quodammodo videtur, nam saepe dormimus, quin ullius supersit somnii conscientia. Somnia vero, etiam illa quae longam rerum gestarum seriem exhibent, brevissimum tempus durare, probat experientia demonstrant Physiologi (3).

541. **Causae somniorum** multae possunt esse, et in primis Deus et angeli. De Deo nullum est dubium; de angelis vero idem docent communiter Theologi. Hoc autem interest inter Deum et angelos, quod Deus possit causare somnia, non solum excitando species in potentia cognoscitiva latitantes, sed etiam novas infundendo, sive sensibiles sive intelligibiles, et insuper lumen ipsum naturale confortando et augendo; angeli vero solum possunt excitare atque apposite coordinare species jam existentes in potentia, sive ipsi immediate, sive apte applicando media naturalia, ex quibus solent illae etiam naturaliter excitari. Idque praestare valent mali quoque angeli, permittente Deo, quamquam ob diversum finem; boni enim angeli quaerunt in iis, sicut in reliquis operibus erga homines salutem horum et gloriam Dei, at cacodaemones his contraria, ac potissimum duo, obscoenas seminare cogitationes, et homines vana superstitione, si possint, imbuere, quo artificio constat ethnicos multipliciter fuisse delusos, et in impietate obfirmatos (4).

Causae naturales somniorum variae possunt esse: α) prima est externa, nempe sensatio aliqua externa, quae interdum adest in somno ob vehementem aliquam impressionem extrinsecus receptam in sensorio, quae tamen non expergefaciat dormientem. Nam ejusmodi sensatio potest novam in phantasia gignere speciem, vel existentem ac sopitam excitare, unde aliae quoque ob associationem possunt excitari. β) Altera causa est interna, in ipso somniante sita, et primo quidem ea, quam dicunt animalem, «quando somnia obveniunt de rebus, quibus cogitatio vigilantis fuit valde intenta, et per diem ipse somnians circa illas multum occupatus fuit» (1). γ) Alia causa etiam interna sistit in corpore, quando nempe somnium nascitur ex praesenti corporis dispositione, vel aliqua ordinis digestivi perturbatione, vel affectione nervea, etc., quae ad cerebrales usque cellulas perducta, latitantes species excitet, et sic actum phantasiae determinet (Cfr. n. **259** in respons. ad *Objic.* 6, γ) (2).—Utrum somnia observare liceat, an vero semper contemnenda sint, videri potest in alio opere (3).

---

(1) Vide S. Thom., 4.° dist. 9, quaest, 1, art. 4, solut. 1.ª, ad 3.um; 1 p., quaest. 94, art. 4, ad 4.um

(2) Volum. 5.°, num. 344.

(3) Vide Surbled, *Le sommeil*, pag. 16.

(4) Vide P. Martín del Río (*Disquisit. magicar.* tom. 2, lib. 4, cap. 3, quaest. 6), Suarez (*De Relig.* tract. 3, lib. 2, cap. 13), Benedict. Pereira (*In Daniel*, lib. 1, disput. *de variet. et verit. somnior.*), Leonard. Lessium (*De justit. et jure*, lib. 2, cap. 43, dub. 8), Sánchez (*In praecepto Decalogi*, lib. 2, cap. 38, num. 40 seqq.), Castropalao, Azor, Ferraris, etc.

II.—De somnambulismo

542. Somnambulismus est peculiaris affectio somni, in eo sita, quod somnio conjungatur actio vel motus corporeus ordinatus. Quamvis enim in somnio plerumque torpor quidam et immobilitas occupet membra, nec nisi motus inordinati et abrupti contingant; interdum tamen somniantes loquuntur, et si scite interrogentur, respondent, et cum alio sermocinantur, immo et agunt, et ordinatissimam motuum seriem instituunt, canendo, e lecto surgendo, vestes induendo, ambulando, manducando, bibendo, scribendo, aliaque id genus peragendo, clausis saepe oculis (4). Postquam vero sonambulus experrectus fuerit, fere semper obliviscitur, quaecumque dormiens hoc pacto egerat.

543. Innuitur causa eorum, quae in somnambulismo accidunt. Somnambulismus importat maximam excitationem nerveam; unde major saepe sequitur membrorum ad quosdam corporis motus agilitas majusque acumen et efficacitas in aliquo ex externis sensibus caeteris gravi sopore correptis. Hoc demum pacto eveniunt mirabilia illa phaenomena, ut v. g. somnambulus videatur etiam in tenebris videre, vel audiat tenuissimos sonos, vel tactu gaudeat exquisitiore, ambuletque securissime per loca lubrica, efficiatve celerrime alios motus, quos profecto vigilans edere non potuisset ea facilitate (5). Haec tamen sensuum major vivacitas non exercetur circa omnia objecta, sed circa ea duntaxat, quae animum somnambuli vehementissime occupant: unde saepe sonambuli ex objectis coram propositis alia videntur percipere, alia non (6); et interdum vitant obstacula non secus, ac si vigilarent, alias in ea miserrime impingunt (1). Et sic somnambuli similes videntur iis, qui praeoccupati penitus sunt aliqua cogitatione vel affectu.

---

(1) Ferraris, *Prompta bibliotheca*, ad vocem *Somnium*, numeris 13, 14.

(2) Cfr. opus fusius, vol. 5, num. 345, ubi etiam videri queunt (numero 346), variae somniorum divisiones, quae difficultate vacant.

(3) Ibid., num. 347.

(4) Vide P. Bellynck, *Resumé du Cours de Zoologie*, pag. 140; Frédault, op. cit., pag. 716 seqq. Cfr. Del Río, *Disquisit. magicar.* lib. 1, cap. 3, quaest. 3.

(5) Vide Alfredum Maury, *Le sommeil et le rêves*, chap. 9.

(6) Refert Garnier (*Traité des facultés de l'âme*, I, pag. 479) somnambulum quemdam accendisse lumen ad scribendum; cum autem alii alias accendissent candelas, priori extincta, ipsum, quasi es-

544. **Quo pacto somnambulus exercere valeat ordinate totam seriem diversarum operationum**, ex eo ratio reddi posse videtur, quod somnambulismus importet somnium, immo vero situs forte sit in junctione somnii cum exsecutione motuum et actionum, quae somniantis phantasiae obversantur: quare motus hi voluntarii sunt, cognitionis directionem sequentes et imperium appetitus. Cum ergo adsit in somniante cognitio non solum sensus interni sed etiam intellectus, et possit etiam esse appetitus et voluntas (n. 538), nec apparet, undenam repugnet potentiam motivam expeditam esse, quamvis ligati sint externi sensus, plane intelligitur exerceri posse a somnambulo actiones corporeas et motus sub directione imaginationis vel aestimativae, aut etiam intellectus, et ex imperio appetitus. Et quamvis in vulgari somnio non adsint motus ejusmodi ordinati per totam aliquam seriem, ratio esse potest, quia generatim in somnis nec actus cognitionis nec appetitionis eam attingunt intensitatem ac vehementiam, quae requiritur ad directionem et imperium motuum et actionum occurrentium in somnambulismo. Adde cerebri activitatem, utpote in subjecto extenso residentem esse divisibilem, et variam juxta regionis cerebralis diversitatem.

545. **Quomodo somnambuli quaedam agant sine conditionibus in vigilia requisitis**, v. g. ambulando in tenebris, vel clausis oculis. Quaedam facta probare videntur illos reapse videre cum valde exigua luce; quando vero non suppetit sufficiens lux, manu tentare, aut etiam lumen quaerere (2). Ex quibus etiam evincitur illud, quod initio innueram, in somnambulismo vigilare aliquem externum sensum. Alia vero facta probant, somnambulos aliquando sola memoria vel phantasia duci ad exsequendas aliquas actiones, non secus ac si externis sensibus uterentur (3). Quamquam equidem aegre concipio solos internos sensus ad hoc sufficere sine aliquo externi sensus praesidio.

546. **Cur somnambuli ex variis objectis ejusdem sensus** coram propositis, quaedam advertant, alia vero non, ratio est in intensiori attentione uni objecto adhibita, quod cum accidit, non possunt alia objecta sufficienter sensum percellere, ut percipiantur, quemadmodum saepe evenit etiam in vigilia in illis, qui aut affectu aliquo vehementissimo abripiuntur, aut in attentissima rei unius haerent contemplatione defixi (4).

---

set in tenebris, manu tentantem adiisse suam versus candelam, ut illam iterum accenderet.

(1) Vide Maury, ibid., pag. 720.

(2) Vide Maury, op. cit., chap. 9, pag. 205, 206.

(3) Vide Maury, ibid., pag. 207.

(4) Quaedam alia in opere fusiori, num. 354.

CAPUT II

DE AFFECTIONIBUS COGNITIONEM PERTURBANTIBUS

Cognitionem perturbant affectiones abrumpentes aequilibrium quod inter actus diversarum potentiarum intercedere debet, quales sunt hallucinatio, delirium et amentia.

ARTICULUS I

Hallucinatio.

547. Hallucinatio est *illusio quaedam vel deceptio sensuum, in eo sita, quod quis hic et nunc sentire, videre, audire... sibi videatur, cum nihil objective existens reapse sentiat.* Quare non nemo scripsit hallucinationem esse instar somnii cujusdam in vigilia habiti. Distinguitur ergo hallucinatio a communi deceptione sensuum in eo, quod haec aliter, ac in se sunt, res referat, illa vero tamquam reale ac praesens repraesentet, quae nullibi existunt, vel certe praesentia non sunt. Hallucinatio potest accidere circa objecta omnium sensuum externorum, quamvis frequentius locum habeat in visu et auditu, rarius in caeteris sensibus.

548. Causa hallucinationum difficile redditur. Multi putant eas exinde contingere, quod excitatio vel species sensibilis ex ipsis centris cerebralibus immittatur ad sensoria externa, unde sensus externi objectum percipiant, quasi ipsum coram adesset, et speciem impressisset. Res tamen ardua conceptu est, quo pacto tales species gigni et a centris cerebralibus ad organa periphaerica inverso ordine deferri valeant (1). Quare equidem malim phaenomenum hallucinationis aliter explicare, dicendo nihil in illa percipi a sensu externo, sed repraesentationes, quae videntur externae sensationis, non esse nisi vividiores solito imaginationes vel actus phantasiae per rememorativas species productos (1). Quod confirmatur etiam exemplis (si vera sunt) caecorum, qui hallucinationes visuales habuerunt, quamvis organo carerent; nam visionis externae actus sine organo imposibilis est. Solum quaeri potest, undenam procedat vivacitas illa imaginum, quae ipsam aequant externae sensationis vivacitatem. Verum experientia ipsa compertum est, vivacitatem imaginum phantasiae variam esse in diversis hominibus, immo et in eodem, pro varietate subjectivarum affectionum, passionum aestu, attentione uni rei contemplandae adhibita. Unde interdum tantopere luxuriatur, ut ita dicam, phantasia, ut vix frenari ratione valeat. Itaque cum exlex ista phantasiae licentia certum gradum attigerit, haud aegre concipitur repraesentationes illius pro realibus sensuum externorum perceptionibus accipi posse, unde sequitur hallucinatio. Et sic hallucinatio habenda est potius pro actu phantasiae, non vero sensus externi; quamquam addendum est, hallucinationem tandem consummari per actum judicii, quo imagines ab excitata phantasia conflatas reales seu perceptiones realium objectorum actu praesentium esse pronuntiatur, falsitas enim formalis ac deceptio, quam hallucinatio essentialiter importatur, extra judicium dari non potest. Quidquid vero de hoc sit:

---

(1) Tamen ut tollatur admiratio adverte 1.°) centrum cerebrale cum nervis periphaericis unitum partem esse integrantem et quidem praecipuam sensationis externae (n. 132). Quae satis haberi potest illo solo. Inter haec centra quae dicuntur projectionis et centra associativa seu imaginationis dari plures connexionis fibras inter quas si maior pars sit afferentium impressiones versus centra associativa, sed minima quoque adest quae inverso itinere afferunt impressionem versus centra projectionis.

2.° In casibus anormalibus forsan applicetur illa proprietas nota nervorum qua duplici sensu possunt impressiones organicas transmittere. (Die Nervenfasern haben ein doppelsinniges Leitungsvermogen O. Weis en Allgemeine *Physiologie der Muskel und Nerven* in *Lehrbuch der Physiologie des Menschen* hgg. von Zuntz und Loewy (Leipzig 1920 pag. 105). Encinas, S. J. Imagenes Eidéticas in *Razon y Fe* 1924, pag. 273-288).

549. **Reprobanda est insolens quorumdam Physiologorum temeritas,** qui visiones sanctorum hominum cum vulgaribus istis hallucinationibus confundunt, quasi nihil interesse possit inter inania ludibria aegrotantis phantasiae ac realia visa veracissimasque rerum repraesentationes, quae, operante Deo vel angelis, conspicienda sive imaginationi sive etiam corporeis oculis exhibita fuisse narrant sacrae Litterae (2) aliique libri fide dignissimi (3).

Visiones divinitus immissae possunt esse vel pure intellectuales, vel imaginariae vel corporales. Intellectuales, a solo Deo factae, objectum exhibent absque figuris et imaginibus sensibilibus: imaginariae fiunt vel per species in ipsa phantasia existentes, quae a Deo vel angelis convenienter disponantur ut objectum clare repraesentent, vel per novas species divinitus infusas, quae novum aliquid prius incognitum exhibeant, addita superna luce ad intelligendum, quid hujusmodi significent imagines. Corporales demum sunt illae quae sive oculis sive aliis quoque sensibus externis, corporeum aliquid cognoscendum prae se ferunt. Verum haec ad Theologos pertinent. Unum addam, dubitari non posse, quin Deus possit triplicis generis praedicti visiones gignere. Modus autem, quo corporeae visiones haberi queunt, duplex a Theologis assignatur: α) si Deus per omnipotentiam suam efficiat species, producendo quidquid objectum reale, si coram adesset, efficeret in organo: β) si Deus ex äere aliave materia apte praeparata conflet corpus certa figura, colore caeterisque praeditum qualitatibus, similitudinem habens hominis aliusve cujusvis objecti, quod videndum aut palpandum objiciat externis sensibus. Hic alter modus non superat virtutem angelorum qui possunt ejusmodi corpora conflare, eademque ingredi et movere, quasi essent animata, et in eis agere, sonos humanos edere, loquelam imitari: quod cum faciunt angeli, dicuntur *corpora assumere* (1). Et haec quidem spectant ad communem hac in re doctrinam Theologorum circa possibilitatem ac varietatem hujuscemodi praeternaturalium visionum. Quod vero ad factum pertinet,

---

(1) Hae potius quam hallucinationes sunt Pseudohallucinationes (Cfr. Fröbes op. cit. t. 1 pag. 229). Quod de coecis additur non officit, siquidem agitur de coecis qui visum olim habuerunt, cerebrique centrum visuale conservant.

(2) Vide *Apocal.* S. Joannis; prophet. Daniel., Ezechiel., etc. Lege Suarez, (*De Angelis*, lib. 6. cap. 20, 21), Benedict. XIV (*De serv. Dei beatif.*, etc. lib. 3. cap. 50).

(3) Vide apud P. Martín Del Río (*Disquisition. magic.* lib. 2, quaest. 26. sect. 5), Gravina *Lapis lydius*, pag. 29).

Certum est multas visiones accidisse, prout narrant sacra Biblia et ecclesiasticae historiae aliique libri, ope Dei vel sanctorum angelorum (2), immo et daemonum (3), effectas, quamvis hi magis ligatam habeant potestatem. Nec desunt criteria ad distinguendas visiones praeternaturales a naturalibus cujuslibet generis, itemque divinas et angelicas a daemoniacis (4). Quod si constat visionem aliquam esse a Deo vel bonis angelis factam, certissimum est illam veracem esse, talem nempe, cui reale aliquod objectum vel valor objectivus respondeat, prout in fusiori opere declaratur (5), et patet etiam a priori, quia nec Deus nec angeli boni possunt hominibus illudere (6).

ARTICULUS II

Delirium et amentia.

550. Delirium generatim est *perturbatio rationis, qua quis impos animi efficitur.* Duplex esse potest: aliud transitorium, quod ex causis cito transeuntibus accidit, et hoc simpliciter vocatur delirium; aliud est diuturnum, causas habens stabiles, ideoque diu durat saepe etiam usque ad mortem, et istud nomina accipit *amentiae,*

---

(1) Vide Suarez, *De Angelis.* lib. 4, cap. 33-37.

(2) Vide Suarez, op. et loc. cit., cap. 33; et lib. 6, cap. 20, 21.

(3) Suarez, ibid., lib. 4, cap. 33, num. 10, 14.

(4) Vide Benedict. XIV. op. cit. lib. 3, cap. 51, et auctores ibidem laudatos; itemque P. Thyraeum, *de apparitionibus Christi*, cap. 1 et 2; et *de apparition. spirituum*, cap. 9, 10, 13; Del Río, op. cit., lib. 4, cap. 1, quaest. 3.

(5) Volum. 5, num. 356.

(6) De hallucinationibus lege P. Baldelli, apud Benedict. XIV, op. cit., lib. 3, cap. 50, ubi egregie.

alienationis mentalis, etc. Utrumque habetur tamquam aegritudo animi, eaque gravissima, quippe quae principem animi partem, mentem vel rationem, tangit.

Multiplicem causam habet delirium; generatim tamen procedit ex variis organicis cerebri alterationibus, ex intoxicatione, v. g. alcoholica, unde delirium tremens in habituato alcoholizato, ex febri potissimum in quibusdam morbis, ex vehementioribus animi motibus et nervorum affectionibus aliisque id genus causis, quae ad medicam considerationem spectant.

551. **Amentia vel dementia** vocatur etiam *mentis alienatio*, exprimitque statum hominis, qui non sana vel integra utitur mente, et eam a se videtur alienasse vel abjecisse quia licet illam reapse possideat, uti tamen ea non potest: ideoque jure dicitur demens vel amens quasi de mente dejectus, vel mentis usu carens, et etiam impos vel non compos animi aut rationis, quasi non possidens animum vel rationem, ac demum insanus quia aegritudo quaedam animi est amentia.

Nunc ut has aegritudines consideremus et etiam affectuum perturbationes necesse est caput texere de *Psychologia abnormali*.

CAPUT III

PSYCHOLOGIA ABNORMALIS

ARTICULUS I (1)

Debilitas mentalis congenita. Imbecilitas. Idiotismus.

552. Debilitas, imbecillitas, idiotismus tres gradus sunt huius infirmitatis mentalis. Manifestatur in locutione imperfecta et in scriptione mendosa; qui his laborant legere aut non discunt aut non sine magnis defectibus: inter bonum et malum non discernunt, egoismo ducuntur, neque alios considerant, neque amorem, neque affectionem neque honorem erga alios agnoscunt. Memoria labilis nisi ad quaedam facta mechanice retinenda vel ad melodias musicas repetendas. Nonnunquam impulsibus agitati in violentiam rapiuntur.

Radix hujus infirmitatis est hereditas ex parentum alcoholismo aut syphili, est alias mala conformatio capitis sive durante gestatione matris efformata sive deformata in ortu vel post ortum aliquo ictu capitis, quandoque causa eius est functio abnormalis glandulae tyrhoideae, vel defectus curae corporalis in pueritia, insufficiens alimentum, nec raro est corollarium relictum a morbo infectioso ut scharlata, diphteria, accessus aquae in chameris cerebralibus.

Momentum habet juridicum et paedagogicum imbecillitatis gradum determinare an judicium et responsabilitas in patiente adsit.

---

(1) Quod in hoc capite continetur, est breve Compendium operis H. Schlöss *Einführung in diè Psychiatriè* (Freiburg. i. B. a. 1919).

553. **Insania moralis.** Debilitates mentales defectibus moralibus solent consociari, at non vocatur insanus moralis is qui debilitatem mentis primario et secundario defectus morales patitur. Neque multo minus est insanus moralis homo vitiosus et criminosus. Insanus moralis dicitur ille qui imbecillitate mentis occulta aut non manifestata abnormem et abreptum se gerit in moribus. Vix patiens alienae directionis judicium mediocre et logicam ratiocinandi valde imperfectam servat. Clausis oculis cuncta audet quin ad corollaria attendat practica, brutali egoismo ducitur, quidquid ad proprium commodo pertinet per quaevis media intentat. Non in domibus salutis neque in carceribus sed in specialibus recludi debet ne periculum bonis civibus creet. Inter adolescentulas ex hac turba immorali domus prostitutionis replentur. Stigmata degradationis saepe se produnt. Attenta observatione non est opus difficile deprehendere in eis defectus mentales.

554. **Vesania maniaca depressiva.** Voluntate semper debili quae se ipsam determinare haudquaquam valet, duo stadia affectuum opposita successive induit, maniam hilarem, verbosam, audacem: et dein melancholicam; taciturnam, inertem, inmobilem. In stadio maniae loquacitas fluxu imaginum et idearum exorta attentionem mobilem ex una re in aliam vergentem, associationem casualem, judicium et ratiocinandi virtutem exiguam indicat. Semper in motu neque verba tranquille proferunt, sed gesticulatione manuum et capitis turbulentiam anteriorem manifestant. Excentrici in modo agendi et etiam induendi aliorum societatem male ferunt. Levis contradictio magnum in eis incendium irae excitat. Splendore oculorum, mimica felicitatis satisfactionem propriam produnt.

At mutatur animi serenitas: post quietem erumpit infirmus in verba, cuncta se posse arbitratur, omnia tentat sed nihil ad finem perducit, excessus in Bacho et Venere committit; phantasia instabilis, falsae recognitiones, illusiones plurimae, errores sensuum non pauci, hallucinationes nonnullae, idearum cursus varius, affectus saepe depressus; demum viribus remissis aut recurrente morbo non raro pulmonum inflamatione mortem subeunt.

555. **Melancholia** est status illius qui propriam insufficientiam ita sentit ut se ipsum cuiuslibet operis incapacem arbitretur, nullam initiationem audeat, interiora sui animi vacua experiatur, et utpote prorsus inutilis in hac vita desideret potius mori quam vivere. Saepe induit melancholia aspectum religiosum et conscientiae cum nullum fructum percepisse ex communione sacra nullum ex oratione debite facta se credat. Illa voluntatis impotentia motus voluntarios cohibet, verba facere renuit, si respondendum est monosyllabicas dabit responsiones: membra, brachia, pedes, oculos, caput immota conservat et non raro quidem instabili positione (flexibilitas cerea); imo et movere manum ad prandendum recusat. Sanguinis irrigatio minuitur, temperatura corporis descendit infra normalem, tota habitudo corporis, capitis, vultus et oris depressionem animi prodit.

Magna cura habenda est in confessore et directore spirituali ne ignorans infirmi statum melancholium conscientiae stimulis augeat potius quam recreet.

In statu melancholico inclinatio ad suicidium vehemens est. Ideo quotquot infirmum circumstant magna cautela eum observare debent. Dum tristia cogitat et de seipso interimendo, signa angustiae et tristitiae specialia praebet.

Neque rarus est raptus melancholius seu repentina reactio contra suam immobilitatem qua ducitur fere coece ad incognita.

Status melancholicus durat per hebdomadas usque ad sex menses, raro ultra.

556. **Amentia.** Status brevis qui cito efformatur et post paucas horas minuitur, quamvis denuo illico erumpat, est effectus vel maxi-

mae debilitatis in mulieribus post sanguinem amissum, vel causatus ex affectionibus vehementibus irae, metus, ansietatis, curarum domesticarum. In eo conscientia obnubilatur, attentio debilitatur, idearum associatio deordinatur, perceptiones sunt insufficientes: neque proprium statum neque quae circumstant neque temporis rationem infirmus agnoscit.

Voluntas languescit et eius inertia motus producuntur et in incerta tendunt. Alias automatismus psychicus, idearum fluxus, irritatio motrix, imaginum complexus secum afferunt deordinationem psychosensorialem et luciditatis perturbationes. Mutantur affectus hallucinationum et illusionum obiecto mutato, quod plerumque ingratum, raro gratum esse solet. In gradu superiori irritabilitas magna et delirium acutum infirmum invadit qui cuncta inquietus ferit, parietes, portas, excitatione ductus. Cessat cito hic status et post fluctuationes hebdomadarias et menstruas, manet irritabilitas per menses integros.

Amentia potest quoque esse periodica et proin iterum adveniens stadia perturbationis percurrit, inter frequentes hallucinationes. Amentiae periodicae similis est periodicus impulsus furandi, sese inebriandi; domum incendendi, et se ipsum aliosve occidendi. Motivorum absentia, ipsa periodicitas impulsus, modus agendi ante accessum praebent indicia ad distinguendam hanc infirmitatem a criminalitate.

557. **Paranoia** est falsa aestimatio aut judicium centrale circa quod tota ratio agendi abnormalis sistit. Caret ergo critica judicandi de illa re quamvis in aliis bene judicet vitamque intellectualem exercere valeat. Ita cursus scientificos peragere, artes excolere, musicam, picturam aut officia manualia exsequi potest. Solum deviat cum idea centralis acritica apparet.

Vi hujus saepe hallucinationes patitur auditivas quibus propria cogitata audire sibi videtur: et hallucinationes visuales, quibus angelum, Virginem Mariam, JCHM. arbitratur videre (visione ideitica aut hallucinatoria). Non enim raro objectum paranoicum solet esse religiosum: quo personam induit prophetae aut apostoli ad specialia munia coelitus missi, sicque vitam inchoat conformem hujus muneris et mundum non raro peregrinari hoc officio functurus non fatigatur. Illa idea excentrica provocare potest conflictus et infirmum praecipitem dare suicidio aut homicidio. Infirmitas haec non sanatur ex integro et paulisper acquiritur. Quaedam mitigatio est unicum levamen. Ad illam praeparant quaedam excentricitates et characteres abnormales.

Datur quoque **paranoia querulosa,** in qua infirmus arbitratur injurias passum esse et tribunalia, judices, appellat ut jura sua vindicent. Se obiectum persecutionis determinatae personae credit et ad sacrificium destinatum. Reclusus in domibus salutis se injuste detineri putat, omnibusque molestiam gignit at suis litteris contra medicos, contra directores, contra eos quibus inclusus est scribit. Omnium conqueritur cunctique male se gerunt et male illi ministrant.

ARTICULUS II

Debilitates psychopathicae.

Defectus nativi monstrant in subiecto singularitates, contradicendi spiritum, impulsus repentinos ex instinctibus primordialibus genitos, et in tota ratione agendi nec raro etiam in ipso corpore stigmata degenerationis aut pusillanimitatis produnt.

558. **Neurasthenia** nomen sumit ex incapacitate diuturni laboris et psychici et organici: defectus radicem habet in systemate ner-

veo ideoque eius proprius character est irritabilitas abnormalis saepe indolis pusillanimis et meticulosae, raro angustiosae. Imagines phantasiae vel lentiores vel celeriores solito, doloris sensatio in capite, sonitus interni, visiones fulgurantes subjectivae, vertigo levis, sub influxu imaginum tristium aliquando angustiae animi, et status depressivus. Magna affectio psychica etiam delirium et turbationem rationis in eo afferre potest. Dein oblivio illius status crepuscularis.

559. **Abnormalitas impulsiva.** Ratione subiectiva non obiectiva oriuntur in hac psychopathia impulsus non raro naturae criminalis. Alias impulsus sunt de re innocua: numerare arbores alicujus agri, saxa quae pedibus calcantur in stratis viis: quaedam verba iterum iterumque pronunciandi, elata voce proferendi quae mente cogitantur, oculi huc illucve involuntarie moventur, saltandi impulsus, imo et furandi aliena per momentaneam inclinationem ad latrocinium ex aspectu rei visae ortam. Eo quod non attendatur ad rei utilitatem et valorem, sed mere ad rei alienae et visae arreptionem indicium est infirmitatis non autem criminalitatis. Impulsus intendendi, suicidii et homicidii quoque dantur. Saepe infirmus his impulsibus resistit et patitur angustias et turbationes internas. Haec sunt signa imagines motrices et proin centra motora agitari aliquo stimulo chimico aut fermento interno: illae adventantes imagines phantasiam agitant et phantasiae turbatio mentis serenitatem aufert et consequenter voluntas vigorem amittit abulia, Psychasthenia.

560. **Pseudologia phantastica.** In hac debilitate phantasia hyperaesthesia et suis recordationibus alte impressis, totaque sua activitate saepe creat statum abnormalem in quo maior valor imaginibus quam eis quae extrinsecus percipiuntur, datur. Quandoquidem sensa phantasiam sequuntur, nihil mirum si ad praesentiam calamitatis realis saepe frigidi maneant cum internis plurium afficiantur: sicque phantasia duce labor intellectualis et ex deliberatione positus saepius interrumpitur, nova phantasia ocurrente. Mutationes internae sine causa objectiva sunt signa huius debilitatis.

561. **Hysteria** est morbus lente evolutus in toto systemate nerveo qui etiamsi non habeat cognitam deordinationem anatomicam (forsan dixeris latere quamdam functionem abnomalam in neuroglia), affert tamen complicatas perturbationes functionales. Nam collapsus epilepticos imitatur, paralysim, coecitatem, surditatem, insensibilitatem in tactu sed sine laesione anatomica. Nervi quibus jecoris et renum functiones reguntur, perturbantur. His corporeis affectionibus adnectuntur mutationes in sensis, ex laetitia ad tristitiam, ex hilaritate ad depressionem, qua loquela vix sonum profari valet. Aliorum compassionem et attentionem erga propriam personam excitare gaudent et intentare videntur. Valde sensibiles affective cito et ad personam et ad res afficiuntur: sed cito quoque affectionem mutant et instabiles sunt in amicitiis, in negotiis. Non raro statum crepuscularem et sonambulismi induunt per hebdomadas longas donec vel in plenam sui conscientiam vel in somnum cadant. Alienam personam psychologicam induunt et errores alunt circa suam dignitatem. Plures errores sensuum patiuntur et hallucinationes visuales. Pueri per totam vitam in suo charactere et sibi et aliis cum quibus vivunt, molestam vitam agunt. Valde proclives ad suggestionem non raro fabulas intra se componunt ideoque caute et prudenter cum eis gerendum est. Faciles ad mentiendum conflictus excitant familiares quae domum turbant. Si quando actiones criminales intentare in statu crepusculari queunt et si etiam alterius mortem inferendam simulant, potius quam re ipsa malum alteri, quaerunt attentionem excitare erga se, ut ceteros contristent et terreant.

562. **Epilepsia** nomen habet ex subitaneo occasu quem patitur infirmus, in quo convulsiones oris et labiorum, linguae morsus, respiratio difficilis suum cyclum pergunt donec paulisper recreatus quiescit

et ex somno videtur excitatus quin sciat quidquid ei evenerit nisi post ictum vestigium corporale conservet.

Generatim est morbus hereditaria causa genitus. Occasus vel post menses, post annos, aut etiam post dies iterum repetuntur. Quibusdam illorum tales occasus et morbus intactum reliquunt valorem intellectualem et moralem: sed saepe mutationes psychicae notantur, egoismum, proprium judicium et proprias opiniones sequi contendunt. Apathiam vel irritabilitatem summam patiuntur, defectus intelligentiae, memoriae et judicii critici nascuntur falso interpretantur quae circumstant. Delirium et hallucinationes et angustias, etc., patiuntur. Peritorum est judicare an epilepticus vere criminosus fuerit an impulsu delirante et excusante malum perpetrarit.

ARTICULUS III

Perturbationes psychicae quae ex cerebri deorganizatione oriuntur.

Quaelibet cerebri deorganizatio similes effectus psychicos affert: quod videtur esse signum intelligentiam ut talem non habere organum determinatum (sicut iam est probatum in thesi contra materialistas): sed phantasiam per omne cerebrum sparsam esse conditionem requisitam ad rectum usum intelligentiae. Signa psychica sunt: tarditas ingenii et in cursu idearum, hebetudo intelligentiae, memoriae extinctio, et si iracundiae et impotentiae manifestationes excipias, viget insensibilitas affectiva more stultorum. Non raro hallucinationes complexae et imagines phantasticae: nominum dierumve oblivio et aberratio a tempore et negotiis. Status crepuscularis et obnubilatus, defagitatio et lentitudo in membrorum motibus ita ut more puerorum et vesci et vestiri et lavi debeant.

In catalogo harum pertubationum includuntur syphilis cerebralis, ruptura aut embolia vasorum cerebralium, arteriosclerosis, plaga cerebralis et tumor, etc.

563. Dementia paralytica. Gradus imbecillitatis cum gradu deorganizationis cerebralis pari gressu procedit et simul membrorum motus et usus detinentur. Recto itinere ad mortem properat infirmus. In loquela primum difficultas et tarditas, dein verborum oblivio et aliquorum pronunciandorum difficultas, dein syllabae aliquae non pronunciantur in verbis longioribus aut difficilioribus, demum verba vix pronuntiantur neque intelligi valent quia sonum tantum imperfectum dant. Similia in scribendo notantur. Initio defatigatio et capitis dolor, sensatio vacuitatis in cerebro ex defectu pressionis intracranealis, depressio animi, pessimismus, inclinatio ad suicidium. E domo exeuntes domum propriam redire non valeat quia neque eam recognoscunt. Intelligentiae defectus primo solet conjungi cum affectu bonae valetudinis et satisfactionis psychicae (ob errorem infirmi): sed cito depressio succedit et propriae insufficientiae recognitio. Mira est insensibilitas qua causas tristitiae veras non sentiunt, ut negotiorum amissionem, filiorum mortem, cum magna tristitia afficiantur levibus de causis.

Catalogus paraliticorum qui ex excessibus immoralibus morbum contraxerunt est ingens et eorum status miserrimus. Non habent sensum boni et mali, juris et injuriae, cuncta audent nullo obstaculo morali cognito.

564. Dementia senilis. Senes quibus iam mundus extraneus fere est, se ipsos faciunt centrum totius vitae, sicque, separati ab aliorum commercio et affectionibus quod ab se ipsos attinet, tantum curant.

Quae in aetate juvenili et gloriosa sibi attigerant, laeti recordantur, novas autem impressiones non accipiunt. In senectute arteriae salibus calcicis replentur, circulatio sanguinis illico decrescit, inde cor non bene irrigat organa, ex defectu irrigationis cuncta debilitantur, mutantur, functiones quoque cerebrales minuuntur et languescunt.

Debilitas senilis saepe dementiam affert. Stupiditas advenit, et memoriae magni defectus, neque locum neque nomen neque alias personas agnoscunt. Neque si dies est an nox in lecto recumbentes semisopiti discernunt, non raro vestes destruunt propriis manibus: angustiae nonnumquam vivaces in suicidium inclinant. Alias repente surgentes propinquos invehunt. Generatim melancholicus status in eis viget. Non raro usus ignis periculum incendii in eis affert.

565. **Dementia praecox.** Contra ac praecedens juvenes afficit: eaque si simplex est affert in studiis retrocessum respectu ad alios condiscipulos ita ut mox relinquere debeant studendi laborem. Simul in charactere datur ignavia, retardatio, inactivitas. In forma propria morbi, divisio conscientiae versus diversa obiecta ob latitantes affectus advenit. Saepe impulsibus agitatus periculum creat aggrediendo: alias stupore immotus neque verba neque quidquam agere libet. Si paranoicam formam induit, hallucinationes irruunt et ideae centrales quibus totum drama internum tegitur stadiaque depressionis et placiditatis successive percurrit.

566. Sunt quoque alii morbi potissimum ex febribus et intoxicationibus orti: sed neque tempus est neque hic est liber Psychiatriae. Solum notasse juvabit paedagogos valde attentos esse ut pueri et puberes non modo corpoream sed etiam scientificam et moralem evolutionem psychicam ordinatim acquirant: et signa hereditaria alicujus defectus psychopathiae si deprehendatur speciali cura in ejus pueri educatione ponenda est.

DISPUTATIO NONA

De anima humana.

Tempus est, ut considerationem animae humanae aggrediamur, cujus multiplices actus et potentiae hactenus declaratae sunt. Quamvis enim animam, prout est in se directe atque immediate nobis in hac vita cognoscere non liceat, ex actibus et potentiis ejus ad rimandam naturam aditus nobis fidelis patebit.

CAPUT I

EXISTENTIA ET REALITAS ANIMAE HUMANAE

Duae praecipue quaestiones spectant ad realitatem animae, existentia ejus et unitas in singulis hominibus.

ARTICULUS I

Utrum detur in homine anima.

567. Sermo est de anima, quae sit principium vitae distinctum a materia materialibusque omnibus viribus. Quo sensu negant homini animam materialistae saltem rigidiores, quibus nihil est in corporibus viventibus praeter materiam et communes materiae vires diversimode transformatas, ut vitalia edant phaenomena. Cum materialistis amicas jungunt dexteras positivistae ac *phaenomenistae*, qui cum Taine solam admittunt phaenomenorum conscientiae realitatem, quin ullum velint illis substratum agnoscere subjectum. Animae demum eripiunt realitatem, qui eam voce tenus agnoscentes, mox vel cum corpore identificant vel cum aliqua proprietate aut accidente corporeo (n. 331, Cosm.)

568. Propositio. **Est in homine primum aliquod vitae principium, substantiale, a corpore atque a quibuslibet viribus materiae distinctum, quod animam dicimus, estque substantia incompleta.**

Propositio non eget probatione ex disputatis in toto hoc tractatu ac in Cosmologia. Si enim dantur in homine multiplices actus, debet admitti eorum principium. Primum autem principium operationum non potest esse nisi substantiale; nec principium primum vitalium, ac praesertim spiritualium, operationum potest identificari cum corpore nec cum ullis communibus materiae viribus. Denique anima etiam humana est forma corporis, ut constat ex dictis generatim de anima et ex inferius demonstrandis speciatim de anima humana; forma autem informans non potest esse nisi incompleta substantia (1).

ARTICULUS II

Utrum in homine sit una duntaxat anima vel unicum omnis vitae primum principium.

569. Status quaestionis et sententiae. Controversia haec diversa est ab ea, in qua inquisivimus, utrum in homine, atque adeo in vivente quovis, alia praeter animam detur *forma substantialis* (2); nunc enim quaeritur, utrum in homine, sicut dantur diversa genera vitalium operationum et potentiarum, dentur etiam diversa prima principia earum. Plato dicitur tres posuisse animas, *nutritivam* in hepate, *concupiscibilem* in corde, *cognoscitivam* in cerebro (3): easdem tres animas agnoverunt etiam Galenus et Philo. Philoponus vero, Avicebron, Averroes et alii tres pariter homini asseruerunt animas, *vegetativam*, *sensitivam* et *rationalem*. Ex haereticis duas multi animas esse in homine voluerunt, nempe bonam et malam Manichaei, rationalem vel intellectivam et sensitivam Gnostici et Apollinaris, qui affirmavit Verbum divinum in Christo rationalem duntaxat, non vero sensitivam, assumpsisse.

---

(1) Cfr. Cosmol., pag. 295, 307.
(2) Cfr. Cosmol., pag. 316 et 346.
(3) Lege S. Thom., 1 p., quaest. 76, art. 3; *Contr. Gent.*, lib. 3, cap. 58.

Horum doctrina *trichotomia* **vocata est**, quia hominem constare statuit ex tribus partibus, corpore, anima intellectiva seu spiritu et anima sensitiva. Trichotomiam, quamvis voce negarent, reapse renovarunt Antonius Günther, Balzer eorumque asseclae. Tria enim constanter distinguunt Güntheriani in homine: *spiritum* (πνεῦμα), quem nolunt appellare animam, *animam* (ψυχην) et *corpus* (σωμα). Adversus hos opinandi modos

Constans Ecclesiae catholicorumque scriptorum doctrina *dichotomiam* seu dualitatem partium in homine enuntiat, animam nempe unam rationalem, quae primum principium est omnis vitae, vegetativae, sensitivae ac rationalis, itemque cognoscitivae atque appetitivae vel affectivae, ac corpus (1).

570. Propositio. **Unica est in homine anima, videlicet rationalis, unde tamquam ab unico fonte procedit omnis vita, non solum intellectualis, sed etiam sensitiva et vegetativa.**

Est certa doctrina ex concilio Constantinopolitano IV.° vel Oecumenico VIII.° et ex documentis pontificis Pii Papae IX (2), quae legi possunt in alio opere (3).

Prob. I.° Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Atqui datur in homine anima rationalis seu intellectiva, eademque potest esse principium sensationis et vegetationis. Ergo...

---

(1) Vide SS. D. Pium IX, *Litterae ad Episcopum Wratislaviensem*, die 30 April., 1860.

(2) Vide supra citata, Litteras et alias ab eodem Pontifice ad cardin. Geissel, Archiepiscop. Coloniens. missas.

(3) Volum. 6.°, num. 193, *Probari 1.°*. Cfr. Emmus. Cardin. Ehrle S. J., *Zur Vorgeschichte des Conzils von Vienne.* (Archiv. für Litterat. u. Kirchengeschichte des Mittelalters. 2 Bd. 1886, pag. 353 416).—Hefele, *Conciliengeschichte*. (Freiburg. i. B. 1890, 6, Bd., pag. 536, etc.) Jansen, S. J. *Die Definition des Concils von Vienne* (Zeitschritt f. Kathol. Theolog , XXXII (a. 1908) pag. 298, 306, 471-487). Id. Die Lehre Olivis über das Verhältnis von Leib und Seele (Franziskanische Studien, 1918). Id. Quonam spectet definitio Concilii Viennensis de Anima (*Gregorianum*, t. I, (a. 1920), pag. 78-90. Deviérre, S. J. La Définition in Concile de Vienne sur l'âme (*Recherches de Science Réligieuse*, t. 3, a. 1912, pag. 321-336), A. Michel in suo praeclarissimo articulo, Forme du Corps Humain. (Dic. de theolog. cathol. Vacant-Mangenot. col. 564.) In his auctoribus invenies qualis sensus documentorum ecclesiasticorum sit, non bene a pluribus hactenus traditus.

Minoris prima pars constat, quia si dantur in homine actus et potentiae rationales, nimirum intellectus et voluntas, negari nequit, salvo principio causalitatis, anima rationalis. **Secunda etiam pars probatur**, quia id est proprium formarum, ut forma superior ac perfectior praestare queat, quidquid inferiores in eadem linea efficiunt (1).

Prob. 2.° Certum est animam rationalem esse principium sensationis in homine. Atqui anima sensitiva est etiam principium vegetationis. Ergo...

Major demonstratur ex conscientiae testimonio, quod luce meridiana clarius ostendit idem esse principium eliciens sensationem omnemque operationem cognoscitivam et appetitivam. **Minor etiam probatur**. Principium vitae sensitivae ac vegetativae in animali est unum idemque. Ergo et in homine, ut satis persuadet argumentum analogiae. **Probatur autem antecedens**, quia nutritio et generatio sunt operationes principii vegetativi. At hae operationes procedunt in animali (atque in homine) a principio, quod re idem est cum sensitivo; siquidem terminus generationis est animal, vita sensitiva praeditum, terminus autem nutritionis est nova pars organismi capax sentiendi saltem tactu. Atqui animal vel pars animalis gigni nequit a principio pure vegetativo, seu quod simul sensitivum non sit. Ergo...

Prob. 3.° Omnes potentiae vitales hominis radicantur in anima rationali. Ergo ea est unicum vitae principium in homine. **Prob. anteced.** Si enim non radicarentur in uno principio, non se mutuo impedirent in agendo, etiam cum intensius operarentur; nam, docente Angelico, *diversae vires, quae non radicantur in uno principio, non impediunt sese, nisi forte earum actiones essent contrariae, quod in proposito non contigit* (2). Atqui vitales potentiae hominis, mutuo se impediunt, et una impensius operante, aliae deficiunt; cum enim limitata sit perfectio vitalis principii, quo magis sese effundit per unam potentia, eo minus effundere se potest per aliam.

Prob. 4.° Si anima rationalis non foret principium vitae sensitivae ac vegetativae in homine, non esset vere, per se, essentialiter atque immediate forma corporis. Atqui est, ut inferius demonstrabitur. Ergo...

Major probatur, quia nulla forma physice unitur subjecto, quin verum aliquod *esse* vel effectum formalem ei communicet, ut constat inductione. Jam vero anima humana non potest corpori tribuere *esse* rationale, cujus est incapax. Ergo nisi tribuat *esse* sensitivum et vegetativum multo minus communicabit *esse* corporis, et sic nihil habebit quod communicet, et consequenter non erit vere forma corporis. Hoc argumentum tetigit Pius IX cum in Litteris Apostolicis ad card. Geissel pronuntiavit, doctrina Güntheri *laedi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, qui corpore et anima ita absolvatur, ut* anima, eaque rationalis, *sit vera, per se atque immediate corporis forma.*

---

(1) Vide Compend. volum. 1.^{um}, num. 245, 5.°

(2) S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 58 fin.

rob. 5.° Homo est ens unum per se, ut patet tum ex omnium operationum ejus conspiratione in unum finem, tum ex conscientiae testimonio, unum omnium operationum principium referentis. Atqui unum per se non posset homo esse, si pluribus animabus constaret, omnes enim illae deberent esse formae substantiales: in uno autem per se nequeunt esse plures formae substantiales. Ergo... (1). Si jam quaeras,

571. Utrum anima rationalis dicenda sit formaliter continere animam sensitivam et vegetativam, an vero solum *virtute*; misceri potest quaestio de voce. Si continere *formaliter* sonet idem, ac esse principium formale sensationis et vegetationis, posset anima rationalis dici formaliter sesitiva et vegetativa. Si autem esse formaliter sensitivam et vegetativam significet esse ejusdem speciei cum hisce; vel continere formaliter significet continere gradum specificum perfectionis, qualis inest animae pure sensitivae ac vegetativae; dicendum potius est animam rationalem non esse formaliter sensitivam et vegetativan, sed has virtualiter continere. Sed mihi quidem, simpliciter loquendo, magis placet dicere animam rationalem esse *virtualiter* sensitivam et vegetativam vel has virtualiter continere, non quidem eo sensu, ut possit has producere, sed ut habeat eminentius earum perfectionem.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

572. Objic. 1.° Ubi sunt operationes genere diversae, ibi sunt formae vel principia diversa. Atqui in homine dantur operationes genere diversae. Ergo...

Respond., *dist.* Major.: si sermo sit de diversis subjectis, *conc.*; si de uno eodemque, *neg.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 2.° Non solum plures diversae, verum et oppositae quoque dantur in homine operationes; *caro enim concupiscit adversus spiritus adversus carnem* (2) Atqui ab uno eodemque principio nequeunt contrariae operationes procedere.—**Respond.**, *dist.* Minor. Ab uno eodemque principio nequeunt procedere operationes, quae solum habeant contrarietatem ratione diversorum adjunctorum vel objectorum illud ad se attrahentium, *neg.*; operationes ex sua formali ratione contrariae, *transeat*, quamvis posset etiam negari, quia ab eodem intellectu procedunt assensus et dissensus eidem objecto, et cognitio vera et falsa, quae sunt contrariae.

Objic. 3.° Corruptibile et incorruptibile differunt genere (3). Ergo nequeunt in unam eamdemque substantiam cadere. Atqui anima rationalis est incorruptibilis, ut probabitur, sensitiva vero et vegetativa corruptibiles (n. 63, Cosm. n. 389).—**Respond.**, *dist.* 2.um membrum Minoris subsumptae; anima sensitiva et vegetativa, prout in animali et planta reperiuntur, *conc.*; anima sensitiva et vegetativa, prout est in homine *nego.* Tum *neg.* conseq.

---

(1) Cfr. aliud opus. volum. 6.°, num 194.
(2) *Galat.* cap. 5, vers. 17.
(3) Aristot., *Metaphysicor.* lib. 10, cap. 13.

Objic. 4.° Si una esset in homine anima, eaque rationalis, homo non esset formaliter animal et vivens, haec enim praedicata derivantur ex anima sensitiva et vegetativa. Atqui homo est certissime animal et vivens formaliter. Ergo debent in eo dari plures animae.—**Respond.**, *neg.* Major., quamquam hic etiam misceri possint controversiae de nomine, sicut supra (n. 571). Caeterum cum anima rationalis, sive sit dicenda formaliter sive solum virtualiter sensitiva et vegetativa, vere communicat corpori *esse* sensitivi et vegetativi, reddendo compositum principium et subjectum sensationis et vegetationis; id sufficit, ut possit etiam eidem tribuere praedicata animalis et vegetalis aut viventis

Objic. 5.° Ex Philosopho (1) embryo prius est animal, quam homo: secundum quam sententiam plures putant humanum germen prius anima vegetativa, deinde sensitiva, ac tandem rationali anima informari. Ergo non est in homine solum anima rationalis.—**Respond.**, *trans.* anteced., quamvis negari deberet secundum nostram sententiam inferius tuendam. *Nego* in omni sententia conseq., nam etiam in opinione tres successive ponentium animas in homine, adveniente sensitiva, perit vegetativa, et sola tandem remanet rationalis.

Quaedam alia argumenta soluta videri queunt in alio opere (2).

ARTICULUS III

Utrum eadem anima rationalis sit in hominibus, an vero multiplex pro numero corporum informandorum.

Duplici modo negatam reperio animae rationalis distinctionem pro singulis hominibus: per intellectum separatum invectum ab Averroe, ac per migrationem animarum seu *Metempsychosim* Pythagorae ac Platonis.

I.—Intellectus separatus Averrois.

573. Duos errores docuit Averroes relate ad animam humanam: primum, quem in praecedente articulo exclusimus, nempe praeter intellectivam dari in homine duas alias, sensitivam et vegetativam; secundum, animas quidem has duas esse distinctas in singulis hominibus, intellectivam autem numero eamdem in cunctis. Finxit enim Averroes, animam hominis sensitivam, ceu veram formam substantialem, illum in sua specie constituere, ac distinguere a brutis, eamque, quamvis perfectior sit anima brutorum, non tamen esse spiritualem, sed mortalem, cujus princeps potentia nominatur *cogitativa*, seu *intellectus passivus* aut *ratio particularis* (n. 152). Praeter hujusmodi animam sensitivam distinxit aliam intellectivam, nempe *intellectum possibilem* quae sit forma quaedam substantialis, non tamen informans materiam, sed separata et solum assistens (1) singulis hominibus, praesentiam suam illis exhibendo, et communicando cognitionem intellectualem. Intellectus hic separatus dicitur sempiternus, tum vero advenire vel asistere incipit singulis hominibus, cum phantasia et cogitativa cujusque apta est praebere illi materiam ad suas operationes intellectuales exercendas. Et in hoc solum reposuit Averroes unionem quamdam intellectus cum unoquoque homine; docuit enim intellectum *continuari*, vel conjungi per phantasmata cum singulis individuis. Cum porro moritur homo, anima ejus sensitiva perit, et intellectiva recedit desinens jam assistere, ac sic cessat in mortuo omnis cognitio et intellectiva et sensitiva. Quod si scire cupias, quo pacto unus intellectus diversas hominum intellectiones elicere valeat, res explicatur exemplo. Sicut «idem ventus pro varietate fistularum organi musici multiplices producit sonos» (2), ita etiam idem intellectus pro varietate phantasmatum in aliis hominibus alia intelligere potest, ac proinde diversarum cognitionum conscientiam habere (3).

---

(1) Arist., *degenerat. animal*, lib. 2, cap. 3.
(2) Volum. 6.°, num. 195.

574. PROPOSITIO 1.ª **Adversus stultum absurdumque Averrois commentum multiplex in diversis hominibus pro corporum, quibus infunditur, multitudine asserenda est anima rationalis.**

Propositio est de fide ex Bulla Leonis X *Apostolici regiminis* in Lateranensi concilio V edita, ubi averroistica doctrina de anima hominis mortali deque intellectu separato diserte damnatur (4).

Prob. 1.° Homo essentialiter constituitur per animam rationalem seu intellectivam. Atqui nihil potest essentialiter constitui per aliquid extrinsecum. Ergo...

Major vix eget probatione. Nam primum principium praecipuarum ac differentialium operationum hominis debet profecto ad ejus essentiale constitutivum pertinere. Atqui praecipuae ac differentiales hominis operationes sunt operationes intellectus et voluntatis, quarum principium est anima rationalis. Ergo...

Prob. 2. Quisque conscius est, omnes operationes sive intellectus sive voluntatis, quae sunt in se, a se ipso efficienter procedere. Atqui phaenomenum istud explicari non posset, si principium istarum operationum foret aliquis intellectus separatus, qui solum assisteret nobis, ac tantum uniretur in ordine ad intellectionem, mediis videlicet phantasmatibus, ex quibus intelligibiles species abstraheret. Ergo... **Minor patet**, nam conscientia non potest referre *ut nostras* operationes elicitas a principio, quod non est aliquid vere *nostrum*, sed tantum assistit nobis, ut a nostra cogitativa accipiat phantasmata, unde suas ille abstrahat species intelligibiles (1).

---

(1) Cfr. Compend. volum. 3.um, 244, 341.
(2) Liberatore, *Psycholog.*, num. 145, pag. 351. Romae, 1881.
(3) Cfr. opus fusius, volum. 6.°, num. 196.
(4) Lege, si vis, damnationem in volum. 6.°, num. 197.

Prob. 3.° Si una esset in omnibus anima rationalis, cujuslibet hominis operatio intellectus et voluntatis aeque ad omnes homines pertineret, ac proinde a singulis per suam conscientiam ut *suum* percipi posset quidquid a quolibet homine per intellectum et voluntatem efficitur, nam idem esset principium aeque pertinens ad omnes. Atqui hoc et absurdum est et contra experientiam. Ergo...

Prob. 4.° Eadem est realiter anima rationalis cum sensitiva in homine (n. **571**). Atqui sensitiva, etiam fatentibus averroistis, multiplex est in diversis hominibus. Ergo et anima rationalis.

Prob. 5.° ex absurdis. α) Certum est hominem liberum esse ac meriti capacem et demeriti (n. **470**, **471**); nec talis est nisi quatenus intellectu pollet ac voluntate. Si ergo unus sit omnium hominum intellectus, vel singuli nihil peccabunt, nec merebuntur, nec ulla erit illis imputabilis actio, nimirum quia intellectus non est aliquid vere suum, vel singuli peccabunt et merebuntur, peccantibus ac merentibus aliis, quia nempe intellectus aeque ad omnes pertinet. Atqui utrumque membrum disjunctionis absurdum est ac contra fidem, qua docemur coram Deo neminem esse qui non peccet, nec ullum puniri ob aliena peccata, nec praemium percipere nisi propriorum meritorum. β) Anima rationalis in uno est sapiens, in alio fatua; in uno prudens, in alio imprudens; in uno justa, in alio peccatrix; in uno beata, in alio misera. Ergo si una eademque est in cunctis hominibus, opposita simul subibit praedicata realia. γ) Mortuis singulis hominibus, in sententia Averrois nihil remanet praeter materiam et intellectum separatum; anima enim sensitiva et vegetativa mortales sunt. Ergo ubinam erunt praemia et supplicia, quae merentibus, non dantur in hac vita? An solus intellectus separatus illa recipiet? Eritve ille simul beatus et miser in aeternum?—Quaedam alia in opere fusiori, ubi etiam soluta videri queunt nonnulla argumenta (2). Lege etiam S. Thomam (3).

---

(1) Vide S. Thom. 1 p., quaest. 76, art. 1; *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 59, *Praeterea, sic species...*; et quaest. *de anim.*, art. 3, *Hoc autem inconveniens...*

(2) Volum. 6.°, num. 197, 198.

(3) 1 p. quaest. 76, art. 2; quaest. *de anim.*, art. 2, et locis nuper citatis.

II.—Utrum eadem anima sit successive in diversis corporibus; ubi de «metempsychosi» vel «palingenesia».

575. **Doctrina metempsychosis**, qua *metensomatosi* etiam et *palingenesia* atque *praexistentianismus* nominatur, quoad rem idem sonat, ac *animarum transmigratio ab uno in aliud corpus.* Fundamentum ejus est in erronea opinione, tenente animam non tum existere incipere, cum in aliquod corpus advenit, sed longe antea *praextitisse*, sive ab aeterno, ut Platoni, sive in tempore, ut placuit Origeni (1). Nam secundum Platonem, Philonem judaeum, Origenem, Priscillianistas, Scotum Erigenam et recentiores spiritistas humanae animae sunt iidem angeli pravi, qui in poenam sui peccati detrusi sunt in corpora, et postea, uno corpore corrupto, migrant in aliud per successivas *reincarnationes.* Doctrinam hanc de animarum transmigratione ab aegyptiis accepisse fertur Pythagoras, quam tenuit Plato et alii veteres Philosophi et haeretici Manichaei Carpocratiani, Priscillianistae, Origenistae, Cathari, etc. Immo vero ex Platone atque hebraeis idem hausisse dogma dicuntur quidam Patres Ecclesiae, praeter Originem, ut Nemesius, Joannes Constantinopolitanus et alii, qui tamen excusandi sunt, tum quia nonnulli solam forte praexistentiam tenuerunt, tum quia eo tempore scripserunt, quando nondum exstabat certum de perplexissima quaestione judicium Ecclesiae. Metempsychosis opinio viguit etiam apud Indos, Sinenses Persas, Aegyptios, Germanos, Celtas, Druidas et alias veteres nationes: inter recentiores autem, aliis omissis, eadem doctrina delectantur spiritistae, ut Allan-Kardec (nempe Hippolythus Leon Benizard Rivail), Joannes Raynaud, Camillus Flammarion, Andreas Pezzadi, etc.

Quod attinet corpora, in quae migrant animae, Pythagorici et Platonici volebant animas, si vitam in humano corpore duxissent improbam, in brutorum animantium corpora detrudi; Porphyrius, Jamblicus et Nemesius revolutiones animarum constituerunt solum inter humana corpora. Relate autem ad terminum transmigrationum non una est opinio. Alii post certum reincarnationum numerum putabant animas amittere suam individualem existentiam, sive per absortionem in sinu Brahmae, secundum Brahmanes, sive per reditum in *Nirwana* seu nihilum, secundum Budhistas: et Brahmanium opinionem videtur quodammodo renovasse Origines per suam αποκάστασιν seu restitutionem, et postea Ekkardus. Pythagorei vero et veteres alii animas, postquam in variis transmigrationibus sua eluissent peccata, cum sua propria existentia ad felicitatem admittebant.

---

(1) Vide S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 83, *Quidam vero.*

Inter recentiores Petrus Leroux et Joannes Raynaud, indefiniti progressus sectatores, terram et astra assignant animabus pro locis transmigrationum, in quibus magis magisque se perficiant, quamvis negant aeternitatem illarum. At spiritistae, cum non agnoscant essentialem diversitatem inter animas et angelos, sive bonos sive malos seu daemones, statuunt animas in diversis corporibus ac sideribus habitantes purgari ac perfici, donec tandem metam perfectionis assecutae, statum puri spiritus obtinent (1).

576. Propotitio 2.ª—**Rejicienda est tum animarum praevia existentia, tum haereticalis opinio tenens succesivam earumdem in alia corpora transmigrationem.**

Prima pars videtur de fide ex illis verbis epistolae dogmaticae S. Leonis I: *Sed eos* (Priscillianistas) *catholica fides a corpore suae unitatis abscidit*, **constanter praedicans atque veraciter, quod animae hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus non fuere**, etc (2).

Prob. 1.° Animarum praeexistentia bifariam sustineri potest: α) in hypothesi eorum, qui animas dixere puros spiritus creatos simul cum angelis, ut essent sicut illi sine corpore, ac postea, quacumque demum causa, contra naturalem destinationem corporibus fuisse alligatas: β) admissa vera opinione, docente animas rationales esse formas naturaliter ad informanda corpora ordinatas. Atqui utrovis modo absurda est animarum praeexistentia.

Probatur Minor. in hypothesi α) 1.° Haec hypothesis, saltem prout a multis asserta, tenet animas rationales ejusdem esse perfectionis specificae cum angelis. Atqui hoc falsum est, ut inferius probabitur (3). 2.° Unio animae, ut mox erit demonstrandum, naturalis est. Atqui non potest esse naturalis in hac hypothesi, siquidem secundum eam anima foret substantia completa, ac proinde ens per se, ac non habens ordinem naturalem ad unionem. 3.° Hinc vero unio animae cum corpore foret contra naturam illius, nec compositum exinde resultans posset esse ens per se: quod sane dici non potest de praestantissimo opere sensibilis naturae. 4.° Si anima ideo praeexisteret, quia non est ordinata ad unionem cum corpore, debuit esse aliqua ratio, cui uniretur. Atqui nulla potest assignari. *Non enim unita est sponte et ex propria voluntate*, tum quia inutile est velle quod est contra naturam; tum quia nullum apparet bonum, quod allicere animam ad unionem posset, cum anima esset substantia completa, ideoque non egens corpore ad suam perfectionem; tum quia potius deterreri deberet ab unione, per quam multis futura esset obnoxia aerumnis, et impedienda a pura veritatis contemplatione, et cogenda ad objectorum cognitionem imperfectius obtinendam per conversionem ad phantasmata. *Nec dici potest animam invite unitam esse in poenam peccati;* tum quia nec ratio nec revelatio praebet ullum fundamentum id assserendi; tum quia nec servat anima memoriam ullius peccati ante suam unionem patrati, debuisset autem extare memoria peccati, si quod fuisset, ut anima poenitentiam ageret, ac purgaretur. *Nec unita est ex divina ordinatione contra naturalem animae institutionem*; tum quia si Deus primo creavit animas, ut essent separatae credendum est, hunc modum essendi convenientiorem illi esse, non est autem proprium divinae bonitatis res ad pejorem statum, nihil tale merentes, deprimere, tum quia contra ordinem divinae sapientiae est res infimas cum detrimento superiorum ac perfectiorum nobilitare, nobilitaret autem maxime materiam cum detrimento spiritus, si hunc contra suae naturae destinationem cum illa uniret.

---

(1) Cfr. aliud opus, volum. 6.° num. 199, ubi haec magis enucleantur.
(2) S. Leo I, epist. 15, cap. 16.
(3) Vide S. Thom., 1 p.. quaest. 118, art. 3.

Probatur Minor. in hypothesi β) 1.° Si anima destinata naturaliter ad corpus informandum, creata fuit ante illud, vel habuit eo tempore aliquam operationem intellectus aut voluntatis, vel nullam. Si nullam, cur creata est ut prorsus otiosa maneret, cum posset ejus differre creatio? Si habuit aliquam operationem, cur nemo illa recordatur? Nam oblivio invecta a Platone ac doctrinam reducens scientiarum acquisitionem ad reminiscentiam eorum quae animae in statu separationis olim noverat, alibi profligata est (1). 2.° *Manifestum est, quod Deus primas res instituit in perfecto statu suae naturae, secundum quod uniuscujusque rei species exigebat. Anima autem, cum sit pars humanae naturae, non habet naturalem perfectionem, nisi secundum quod est corpori unita. Unde non fuisset conveniens animam sine corpore creari* (2).

577. **Secunda pars propositionis** est etiam de fide tum quia damnata est praeexistentia animarum, quae ob peccatum detrusae sint in corpora (3); tum quia definitum pariter est, animas hominum e corporibus egressas vel in inferos mox detrudi, vel in purgatorio purgari, et omnes, quae nullis jam turpantur maculis, quia illas vel dum adhuc informarent corpus, vel post mortem in purgatorio abluerunt, statim in coelum recipi (4). Eademque est communis Pa-

---

(1) Vide Compend. volum. 1.um, num. 475, 476.

(2) S. Thom., 1 p. quaest. 90, art. 4.

(3) In citata epist. dogmatica S. Leonis I, et can. 1.° et 4.° contra Origenem concilio V attributis, apud Denzinger, *Enchirid.*, num. 187, 190.

(4) Vide concil. Florentin. oecumenicum sub Eugenio IV, et alia documenta apud Denzinger, num. 588, 387, 870 et in fusiori opere nostro, volum. 6.°, num. 201.

trum doctrina, ut compertum omnibus sit, spiritistarum deliria non esse innoxias fabellas, sed putidissimas haereses.

Prob. 1.° Transmigratio animarum neque a posteriori neque a priori probari potest. Ergo gratis asseritur, et rejicienda est.

Prob. Minor. *Non a posteriori,* quia nemo unquam ullius transmigrationis vel praecedentis status animae suae conscientiam habuit: quare vel ipse Pythagoras, Empedocles et quidam alii, qui contrarium dixisse feruntur, aut mentiti, aut hallucinati esse censendi sunt.

Non a priori, quia neque transmigrationem animarum postulat α) natura Dei, nec natura corporis, nec natura animae, quippe quae est spiritualis et immortalis, ac proinde capax sine corpore subsistendi. β) Neque postulat eamdem lex progressus indefiniti, quem fingunt spiritistae, tum quia non reapse datur talis progressus, cum habeat homo suum naturalem finem praestitutum, quem meretur in hac vita, et quo semel obtento, jam non potest se amplius perficere; tum quia transmigratio, cujus nulla prorsus habetur conscientia, sicut nec praecedentium actuum et gradus perfectionis in priori statu obtentae, non potest animae inservire ad magis se perficiendam. γ) Denique transmigratio non est existimanda necessaria tanquam medium expiationis praecedentium delictorum et moralis perfectionis assequendae, quia ut esset medium expiationis, deberet adesse memoria delictorum poenitentia eluendorum; moralis autem perfectio, homine digna, est in cognitione atque amore Dei, ad quae nihil per se conferre possunt reincarnationes. Ut omittam nunc ex doctrina Theologorum, post hanc vitam nullum esse amplius locum merendi.

Prob. 2.° Doctrina transmigrationis tollit veram legis naturalis sanctionem. Ergo rejicienda.

Prob. anteced. α). Sanctio legis naturalis nulla est digna praeter perpetuam possessionem aut amissionem finis ultimi, ut suo loco probatur. Atqui doctrina transmigrationis negat aeternitatem poenarum, omnibusque tandem promitit felicitatem, postquam sua purgaverint crimina in aliis corporibus. β) Reincarnationes nec pro honestis hominibus nec pro sceleratis sunt digna sanctio. *Non pro honestis,* quia indignum videtur divina largitate hominem, jam multis exercitum aerumnis in primo corpore; ad novas aerumnas et labores in aliis corporibus tolerandos damnare. *Non pro sceleratis,* quia hi facile possent se in omnis generis vitia ingurgitare in successivis reincarnationibus.

Prob. 3.° Opinio vero transmigrationem animae statuens in belluina, immo et vegetalia et mineralia corpora, peculiari laborat absurditate. Nam 1.° ex hoc sequeretur naturam animae indifferentem esse ad informandum quodlibet corpus, quod sane absonum est, quia, ut apparet ex dictis, quaelibet anima pro sua specie propriam exigit materiae organicam constitutionem, et consentaneum constituit compositum. 2.° Bruta, vegetalia et mineralia gaudere possent intelligentia, suisque, sicut homo, juribus potirentur, hominemque aequarent in perfectione. 3.° Jam non suppeteret nobis certum criterium ad discernendam naturam humanam a belluina; compositum enim ex materia et rationali anima homo re vera est, nec tamen hominis proprias manifestaret operationes. Atqui nos non aliud habemus criterium ad naturas corporum cognoscendas praeter operationes externasque manifestationes. Ergo de iis saltem corporibus, in quibus nulli se produnt actus rationales, jure merito dubitandum esset num anima rationali constarent, humanisque proinde juribus pollerent.

Prob. 4.° Denique recentiores transmigrationis patroni negant christiana dogmata aeternae felicitatis in coelis aeternique in inferis supplicii; christianam respuunt moralitatem, aliamque in ejus locum substituunt, cujus fundamentum est officium explendi naturales concupiscentiae propensiones, refugiendo mortificationem passionum et abnegationem a Christo Domino et ejus Ecclesia traditam (1): quo jacto principio, quam aliam nisi suinam moralitatem consequi necesse est?

578. **Objic. 1.°** Opus creationis praecessit opus distinctionis et ornatus (2). Sed anima rationalis est producta per creationem, corpus autem hominis factum est in fine ornatus, nempe sexto die (3). Ergo anima prius creata est.

Respond., *dist.* Major.; quoad entia completa, *trans.;* quod formas et substantias incompletas, qualis est anima rationalis, *neg.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 2.° Anima rationalis magis convenit cum angelis, quam cum belluis. Atqui angeli initio creati sunt. Ergo...

Respond., *dist.* Major.; ratione habita entitativae perfectionis, *conc.;* complementi naturalis, *neg.*, nam anima est incompleta substantia.

Objic. 3.° Finis proportionem servat cum principio. Sed anima, corrupto corpore, vivit separata. Ergo et ante corpus exstitit.—**Respond.**, *dist.* Major.; nisi adsit ratio disparitatis, *conc.;* si adsit, prout adesse probatum est pro anima, quae est forma et substantia incompleta, *neg.* Et *concessa* Minor., *neg.* conseq.

Objic. 4.° Homo multis aerumnis et miseriis subjicitur in hac vita. Atqui hae nequeunt explicari, nisi dicantur esse juxta poena, peccati alicujus ab animabus prius existentibus patrati.—**Respond.**, *neg.* Minor.; tum quia omnes hae aerumnae naturaliter consequi potuissent humanam naturam, si nempe homo creatus fuisset in statu naturae purae; tum quia quamvis homo in creatione, ex indebito dono Dei elevatus est ad statum supernaturalem, ex eo decidit per Adami peccatum, ideoque praesentes aerumnae de facto debentur peccato, non quod animae ipsae singulae ante unionem patrassent, sed peccato nostri protoparentis.

---

(1) Cfr. cardin. Gonzalez, *Historia de la filosofia*, tom. 4, num. 51, pag. 249.

(2) Cfr. Compend. volum. 3.^{um}, num. 66.

(3) *Genes.*, cap. 1, vers. 27; cap. 2, vers. 7.

Quaedam alia in opere fusiori (1).

579. Scholium. Solent nonnulli hanc quaestionem miscere cum illa alia de principio individuationis. Qui enim putant radicem multiplicabilitatis formarum esse ordinem ad *hanc* materiam vel *illam*, videlicet Thomistae, exinde concludunt imposibilitatem transmigrationis, quia anima non potest informare nisi eam solam individuam materiam, ad quam dicit ordinem. Verum thomisticam sententiam nos alibi rejecimus (2), nec ea indigemus ad repellendam metempsychosim. In nostra sententia haec tenenda sunt: 1.° occasio vel causa quaedam moralis creandi novam animam est materia certo modo per generationem humanam disposita, prout inferius explicabitur. 2.° Anima dicit ordinem essentialem vel transcendentalem *ad aliquam materiam*. 3.° Ex quo tamen non licet illico inferre, quod nequeat ullatenus anima informare nisi materiam, quam de facto informat. 4.° Radix ergo multiplicationis animae rationalis, si sermo sit de extrinseca, est omnipotentia Dei, si autem de intrinseca, seu de capacitate ac non repugnantia, ut plures creari animae valeant, est potentialitas et limitatio ac perfectibilitas ab alio, quae vocari solet *materia metaphysica* vel *analogica*, et reperitur in omni re creata, quippe nulla est actus purus, ac proinde nulla quae non sit ab alio perfectibilis (3).

CAPUT II

NATURA RATIONALIS ANIMAE

Anima humana, testante S. Thoma, est *quasi quidam horizon et confinium corporeorum et incorporeorum, in quantum est substantia incorporea, corporis tamen forma* (4). Est enim perfectissima inter formas informantes, et infima inter substantias spirituales, ideoque vinculum existit, corporeum mundum cum incorporeo intelligentiarum vel angelorum connectens. Operae pretium itaque est, naturam tam praestantis entitatis diligenter inquirere.

---

(1) Volum. 6.°, num. 202.
(2) Vide Compend. volum 2.um, num 92.
(3) Cfr. volum. 6.um, num. 203.
(4) S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 68, *Hoc autem modo.*

ARTICULUS I

Utrum anima sit substantia simplex atque indivisibilis.

580. Simplicitas est notio in speciem negativa, quae carentiam partium importat, excluditque proinde compositionem. Non autem quaerimus, utrum anima careat compositione accidentali, nam profecto composita est ex sua substantiali entitate ac potentiis, aliisque accidentibus, quae suscipere valet. Nec quaerimus, utrum componatur ex essentia et existentia, nam haec controversia jam praejudicata est (1); nec utrum componatur ex natura et supposito, quia cum anima non sit completa substantia, proprie suppositum esse nequit. Solum ergo inquirimus entitativam vel substantialem compositionem, quae potest esse vel essentialis vel integralis, nempe coalescens ex principiis distinctis essentialibus, vel solum ex integralibus (2). Et Kantius quidem invenit in anima compositionem quamdam *gradualem*, sitam in graduum intensione. Sed jam alias notatum reliquimus, substantiam expertem esse omnis graduum intensionis (3).

581. PROPOSITIO. **Anima rationalis est essentialiter simplex et integraliter indivisibilis.**

Probatur utraque pars illo communi argumento. Si anima non esset simplex et indivisibilis, carens partibus, sive essentialibus sive integralibus, vel omnes illae aut plures partes intelligerent, vel una tantum. *Primum dici nequit*, nam secus deberet esse in nobis conscientia plurium illarum partium intelligentium, sicut est nunc, v. g., diversarum partium sentientium. *Ergo postremum*, et tunc illa sola pars esset anima, quae proinde simplex foret; anima enim rationalis est primum principium intelligendi, et quod non potest intelligere, non est anima.

Probatur speciatim prima pars 1.° Anima rationalis est forma substantialis corporis, tum quia talis est omnis anima (Cosmol. n. **341**), tum quia id speciatim mox demonstrabitur. Atqui omnis forma est essentialiter simplex (4). Ergo...

Prob. 2.° Si anima rationalis esset composita essentialiter, foret corpus. Atqui nulla anima potest esse corpus (Cosmol. n. **340**). Ergo... **Prob. Majorem**, nam nulla alia compositio essentialis cognoscitur in Philosophia, quam ex materia et forma, ex potentia et actu, haec autem compositio praecise constituit corpus.

---

(1) Cfr. Compend., volum. 2.um, num. 260 seqq.

(2) Cfr. Compend., volum. 3.um, num. 223. Celebris fuit schola medioaevalis animam spiritualem constituens compositam ex materia spirituali et ex forma, v. g. S. Bonaventura. Cfr. Luycks, O. P. Die Erkenntnislehre Bonaventura (Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters Bd. XXIII, heft. 3-4. Münster i. W. 1923 et Cfr. plura opuscula ejusdem Collectionis.

(3) Cfr. Compend., volum. 2.um, num. 300.

(4) Cfr. Compend., volum. 3.um, num. 244, 245.

Prob. 3.° Si anima rationalis foret essentialiter composita, vel informaret corpus secundum se totam, vel secundum unam duntaxat ex partibus componentibus. *Primum dici nequit*, quia neque materia prima neque potentia passiva possunt informare corpus, nisi velimus omnes hasce notiones pervertere. *Ergo dicendum est secundum*, et sic sola illa pars corpus informans erit vere anima.

582. Probatur speciatim secunda pars (1). **I.°** Si amima humana esset divisibilis, esset pars ejus in una parte, ac pars altera in altera parte materiae, ac proinde, abscissa una parte corporis, abscinderetur pars animae illam informans. Ergo ea pars sic separata vel corrumperetur, vel maneret. *Primum dici nequit*, salva fide, quia rationalis anima est immortalis. *Nec secundum:* ubinam enim manet illa pars animae? et cur non vivificat abscissam corporis partem? et habetne intellectum, an non? Si habet; ergo plures essent intellectus. Si non habet; ergo anima hominis est sine intellectu. An dices partem animae abscissam retrahi ad corpus? Verum tunc duae partes animae in eadem parte corporis erunt, nec duae simul eamdem materiae partem informare poterunt.

Prob. 2.° Anima rationalis est principium, quod intelligit, sentit, appetit, et vult in homine. Atqui ejusmodi principium est prorsus indivisibile. Ergo...

Minor constat ex testimonio conscientiae, quod refert esse in nobis *unum aliquid*, quod intelligit, et vult et sentit per quinque sensus exteriores ac per interiores. Atqui nisi principium horum omnium actuum esset indivisibile, non posset dari conscientia unius alicujus principii omnes illos elicientis; sed sicut sentimus intime dari diversas partes suppositi, *in quibus* variae sensationes recipiuntur, ita sentire deberemus esse diversa subjecta, *a quibus* illae elicerentur.

Prob. 3.° Si anima rationalis pluribus constaret partibus, vel omnes aut plures intelligerent, vellent, sentirent, vel una tantum. Si una, ea sola est anima rationalis hominis. Si omnes aut plures, non posset esse conscientia unius duntaxat in nobis intelligentis, etc.

Prob. 4.° Si anima rationalis esset divisibilis, vel omnes partes ejus essent libertate praeditae, vel una duntaxat. Si una, ea sola foret anima rationalis, nam certo demonstratur rationalem animam esse liberam. Si plures, quaero in primis, cur non habeamus conscientiam plurium libere agentium intra nos. Deinde posset una eamdem rem velle, quam non vult altera, unde adessent perpetui conflictus. Item posset una peccare, altera mereri: quid tum? posset alteram poenitere, non vero alteram, posset una praemio aeterno, altera supplicio digna esse, et quid de talibus partibus fieret? An dices, nullam partem adaequate liberam esse, libertatem vero exurgere ex partialibus et inadaequatis singularum partium libertatibus? Id autem intelligi nequit (1).

---

(1) Cfr. plura in opere fusiori, volum. 6.°, num. 207.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

583. **Adversus primam partem, Objic. 1.°** Sicut omnia quaecumque sunt in actu, participant primum actum, qui est Deus, ita quaecumque sunt in potentia, primam potentiam, quae materia prima est participare dicenda sunt. Atqui anima quodammodo est in potentia, quia non semper intelligit, nec habet actus, quos habere potest, Ergo...

Respond., *trans.* primum Majoris membrum, *dist.* secundum; participant materiam primam eodem modo, *neg.*; diverso modo et saltem secundum analogiam quamdam vel similitudinem, *conc.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq. Quae enim sunt in potentia ad *esse* substantiale, participant materiam realiter et secundum suam entitatem, tamquam essentialem sui partem. Quae autem sunt in potentia ad *esse* accidentale, sicut anima rationalis, et generatim omnia creata, participant materiam analogice ac secundum similitudinem, quia nimirum conveniunt cum materia in receptibilitate actus vel formae, qua perficiantur accidentaliter, sicut materia perficitur substantialiter. Caeterum nec quae sunt in actu participant Deum intrinsece atque entitative.

Objic. 2.° Quae non habent materiam, docente Aristotele (2), non habent causam sui *esse*. Sed anima habet causam sui *esse*. Ergo materiam habet.

Respond., *dist.* Major. Non habent causam formalem sui *esse*, *conc.;* non habent causam efficientem, *neg.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 3.° Quod non habet materiam, sed est forma tantum, est actus purus et infinitus. Sed anima non est actus ejusmodi.—**Respond.**, *dist.* Major. Quod ita caret materia, ut etiam careat, potentialitate ac perfectibilitate, *conc.;* quod quamvis materia careat, non caret tamen potentialitate, *neg.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 4.° Quaelibet forma creata limitata est ac finita. Sed forma limitatur per materiam.

Respond., *dist.* Minor. Forma limitatur solum per materiam, *neg.;* limitari etiam aliunde potest, ac nominatim ex eo quod natura sua est imitatio divinae substantiae in gradu certo ac determinato, *conc.* Tum *neg.* conseq. (3).

---

(1) Quaedam alia in opere fusiori, vol. 4, num. 62.

(2) *Metaphys.*, lib. 8, text. 17.

(3) Cfr. S. Thom., 1 p., quaest. 75, art. 5; quaest. *de spirit. creatur.* art. 1; quaest. *de anim.*, art. 6, quibus in locis plura solvuntur argumenta.

Objic. 5.° Sicut ex identitate principii, operationes omnes ex testimonio conscientiae elicientis, simplicitatem animae concludimus, ita ex diversitate principiorum diversas operationes elicientium compositio animae concludenda est. Atqui diversa reapse subjecta et principia operationum nobis refert saepe conscientia. Sane id patet α) in diversis sensationibus, nam sentimus ab alio subjecto elici visionem, ab alio auditionem, nempe ab oculis et ab auribus, etc. β) Quidam aegroti, praesertim hysterici, referente conscientia duplex sibi *esse* attribuunt, putantes se esse aliam personam distinctam in eo statu aegritudinis, et aliam in statu normali: quae vocantur phaenomena *duplicationis personae*. Quo spectant etiam hallucinationes amentium, et somniantium qui se putant reges vel romanum Pontificem, etc.; quibus proinde duplex *esse* ac duplex τὸ *Ego* renuntiat conscientia.

Respond., *neg.* Minor. **Ad probation.** α) *dist.* assert. Sentimus ab alio principio substantiali primo elici diversas sensationes, *neg.*; a diversis organis, in quibus evidenter eadem conscientia refert dari unum aliquid sentiens et omnes diversas operationes colligens, *conc.* Ac proinde phaenomenum istud omnino contrarium probat. **Ad probation.** β) *dist.* pariter assertum. Et illi aegroti, amentes et somniantes, etc., *se* reapse *sentiunt* aut experiuntur esse diversa subjecta operationum, *neg.*; falso judicant id quod sunt, et hanc ipsam falsam persuasionem sibi refert conscientia, *conc.* Itaque, ut omittam quod ipse Ferrière fatetur (1), in phaenomenis *duplicationis*, quam falso vocant, *personae* non penitus amitti conscientiam vel memoriam identitatis subjecti in utroque statu, normali et morboso; in exemplis, quae objiciuntur non datur reapse conscientia diversorum subjectorum, sed tantum oblivio in alio statu elicitarum operationum ac testimonii conscientiae simul cum hallucinatione praesenti falso attribuentis sibi alienam personam (2).

584. Adversus secundam partem. Objic. 1.° Extensum est id quod recipitur in corpore extenso. Atqui rationalis anima recipitur in extenso corpore. Ergo...—**Respond.**, *dist.* Major.: si recipiantur extenso modo ita, ut pars sit in parte ac totum in toto, *conc.*; si recipiatur modo inextenso, *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 2.° Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. Atqui recipiens animam est corpus extensum. Ergo extenso modo anima recipitur.

Respond., *disting.* Major.: id est, secundum aptitudinem et capacitatem recipientis, *conc.*; ita ut quod recipitur, debeat induere naturam et conditionem recipientis, *neg.* Et *concessa.* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 3.° Extensum esse debet, quod ab extensis corporibus afficitur. Atqui anima rationalis ab extensis corporibus afficitur. Ergo... **Respond.**, *disting.* Major.: si per se atque immediate afficiatur ab extensis corporibus, *trans.*; si solum afficiatur ratione corporis, cui unitum substantialiter est, *neg.* Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq.

Objic. 4.° Si anima rationalis esset indivisibilis, deberet esse tota in singulis partibus. Atqui hoc absurdum est; secus enim esset in multis locis replicata, quod naturaliter fieri nequit.—**Respond.**, *conc.* Major., *neg.* Minor. ejusque probationem. Replicatio enim est praesentia rei in multis locis adaequatis; locus vero adaequatus animae rationalis non sunt singulae partes, sed totum corpus, quod ut forma debet informare.

Objic. 5.° Nihil potest simul moveri, et quiescere, vel contrariis motibus moveri. Atqui si anima esset indivisibilis, deberet simul moveri, et quiescere, aut etiam moveri contrariis motibus, si nempe una pars corporis moveatur, altera quiescente, vel ambae manus contrarie moveantur.

---

(1) Apud Rev. Dom. Farges, *Le cerveau et l'âme*, pagella 120, 121, 127.

(2) Cfr. volum. 6.um, num. 208, ubi haec magis enucleantur, et quaedam alia solvuntur.

Respond., *dist.* Major.: per se ac secundum idem, *conc.;* per accidens et secundum diversa, *neg.* Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq. Nam cum anima sit corpori unita, eo moto debet moveri per accidens, et sic diversa subire praedicata ratione illius.

Objic. 6.° Si anima rationalis foret indivisibilis, abscissa, v. g. manu, deberet se retrahere vel contrahere. Atqui hoc impossibile est, nam ubi non dantur extensio ex partium defectu, nec potest esse contractio.—**Respond.**, *neg.* Major., quia retractio implicat localem motum; anima vero, abscisso membro, non loco movetur, sed simpliciter desinit esse, ubi antea erat (1).

ARTICULUS II

Utrum anima sit substantia spiritualis vel immaterialis.

585. Status quaestionis. Spiritus et corpus inter se contradistinguuntur, sicut etiam corporeum et spirituale, materiale atque immateriale. Et quamquam est aliqua diversitas in declarandis hisce notionibus, nomine *corporis* intelligitur substantia completa natura sua molem habens, vel quae quantitatem exigit immediate sibi inhaerentem (2). *Corporeum* vero ac *materiale*, quod est praedicatum conveniens etiam partibus corporis, est quidquid naturaliter esse nequit nisi intrinsece adhaerendo corpori. E converso *spiritus* vel *spiritualis substantia* est substantia ita mole carens, ut naturaliter sit independens a corpore in existendo; spirituale autem est quod naturaliter adhaerere debet soli spiritui: idemque significat immateriale, nisi forte aliquando importet solam elevationem supra ordinem communis vel brutae materiae (n. **63**). Quae omnia probata et magis explicata prostant in opere fusiori (3). Jam circa propositam controversiam.

586. Sententiae. Nota est doctrina materialistarum et veterum et recentiorum, quos supra retulimus (n. **72, 233**) eamdem secuti esse dicuntur inter hebraeos Sadducaei, inter haereticos vero antiquiores Tertullianus, Faustus Rhegiensis, etc. Hi omnes aut nihil vident in tota rerum universitate praeter materiam et motum, ut veteres atomistae, aut si quam praeterea activitatem agnoscunt ceu motus fontem, nihil illud aliud est nisi vel congeries diversorum elementorum chimicorum (1), vel *resultans*, ut dicunt, omnium *energiarum* materialium particularium, quae in viventibus patescunt (2), ita tamen ut haec energia organicae materiae sit ipsamet energia communis materiae, quae per calorem, electricitatem, etc., manifestatur in inorganica natura. Quod vero magis mirum videatur;

---

(1) Quaedam alia in opere fusiori, vol. 4, num. 63.

(2) Cfr. Compend., volum. 3.^{um}, num. 128 et 198, *Quantitas recte definitur.*

(3) Volum. 6.°, num. 209-212.

In materialistarum numero computandi sunt ipsi spiritistae, quamvis spirituum existentiam proclamant, animarum nempe, praeter quas nolunt admittere spiritus angelicos distinctos. Contendunt enim animas, etiam cum desinunt corpus informare, non posse exuere sese involucro quodam tenuissimo, quod *perispiritum* vocant, voluntque esse medium quiddam inter spiritum et corpus, videlicet corpore subtilius, crassius ipsa anima (3). Immo vero ipse spiritus, secundum Allan-Kardec, non est nisi *quinta essentia materiae* (4).

Communem vero catholicorum omnium, eamque certissimam, sententiam exprimit sequens

587. Propositio. **Rationalis anima, seu principium primum intellectivum hominis, spiritualis substantia est.**

Prob I.° argumento theologico. En dogmaticam Lateranensis IV definitionem (ann. 1215) adversus Albingenses aliosque haereticos: Deus *sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam: ac deinde* **humanam,** *quasi communem ex* **spiritu** *et corpore constitutam* (5). Ubi nomine spiritus evidenter rationalis anima indigitatur, illudque in proprio sensu esse usurpatum credendum omnino est.

Eadem veritas aperte continetur in sacris Litteris (6) et SS. PP.

Dices. Tertullianus asserit animam esse corpus (7). Simili modo Joannes Thessalonicensis, S. Gregorius M. et Gennadius corpora quaedam subtiliora tribuerunt ipsis angelis: quod a fortiori dicerent de anima.

Respond. Tertullianus erravit. Caeteri PP. videntur significasse aut angelos non esse omnino simplices (n. 759), et hoc sensu incorporeos in comparatione Dei, ut loquitur Joannes Thessalonincensis atque ipse etiam S. Joannes Damascenus, vel tantum illos esse finitos, quae fuit mens Gennadii et S. Gregorii M. Lege S. Augustinum, diversas corporis acceptiones distinguentem (1).

---

(1) Vide Moleschott, *Kreislauf des Lebens*, seu *Circulatio vitae*, II, pag. 40.

(2) Vide Büchner, *Kraft und Stoff*, sive *Vis et materia*, pag. 135; Vogt apud Hettinger *Apologie du christianisme*, vol. 1, chap. 6.

(3) Vide Allan-Kardec in suo damnato opere, *El libro de los espíritus. Introducción*, pag. 8. Cfr. lib. 2, cap. 1, num. 93-96.

(4) Op. nup. cit., lib. 2, cap. 1, num. 82.

(5) Concil. Later. IV.°, cap. *Firmiter*. Vide apud Denzinger, *Enchirid.*, num. 355.

(6) Vide v. g. *Eccles.*, cap. 12, vers. 7; Luc., cap. 23, vers. 46; *1 Corinth.*, cap. 2, vers. 11; cap. 5, vers. 5.

(7) *De anim.*, cap. 4.

Prob. 2.° Nomine spiritus vel substantiae spiritualis venit substantia mole carens et intrinsece indepedens a corpore in existendo (n. 585). Atqui anima rationalis est ejusmodi. Ergo...

Sane anima α) **mole caret,** quia simplex est atque indivisibilis (n. 582). β) **Independens est a corpore in existendo.** Nam, cum operatio sequatur *esse* (2), quod est a corpore independens in operando debet esse quoque independens in existendo. Atqui anima rationalis est independens a corpore in operando, ut constat ex operationibus intellectus et voluntatis. Ergo... Vel paulo aliter, substantia proprietatibus ac potentiis gaudens spiritualibus, spiritualis et ipsa est entitative, nam proprietates ac potentiae, utpote a natura dimanantes, non possunt illa perfectiores esse. Atqui anima rationalis gaudet potentiis spiritualibus, intellectu et voluntate, quae naturales proprietates sunt (n. 243).

Dices: Sicut ex potentiis spiritualibus nos colligimus animam rationalem spiritualem esse, ita e contrario ex potentiis ejus organicis, nempe sensitivis et vegetativis, colligitur eamdem esse materialem sicut est anima plantarum et animalium.—**Respond.**, *neg.* assert. Nam quamvis principium solas habens operationes et potentias organicas non possit esse spirituale, non repugnat principium operationibus ac potentiis spiritualibus praeditum, ideoque spirituale, sensationes etiam et vegetationes elicere, anima enim rationalis virtute continet sensitivam et vegetativam (n. 571).

Prob. 3.° Anima humana maxime delectatur bonis spiritualibus, veritate, virtute, scientia, honore, etc. Ergo spiritualis dicenda est. **Prob. conseq.**, tum quia unaquaeque natura rebus sibi similibus gaudet ac vigescit; tum quia nullum ens, quod materiale esse noscitur, ejusmodi delectatione fruitur; tum quia ista bona, utpote immaterialia, organum afficere nequeunt, nec proinde cadere in potentiam materialem (3).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

588. **Objic. 1°.** Quod est movens motum, corpus est. Atqui anima est movens motum. Ergo est corpus, ac proinde non spirituale.—**Respond.** Quod est movens motum per se, *conc.*; quod est motum duntaxat per accidens, *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Anima enim non movetur a corpore per se seu ratione sui, sed solum per accidens seu ratione corporis, quod informat; moto enim corpore

---

(1) Epist. 166 (al. 28), num. 4, in opere nostro fusiori, volum. 6.°, num. 213, *Nec dicas...*

(2) Cfr. Compend., volum. 2.um, num. 452.

(3) Vide P. Leonard. Lessium, *De Numinis providentia*, lib. 2, *Tertia ratio.* Cfr. opus nostrum fusius, volum. 6.°, num. 213, ubi pauca alia.

humano ab aliis corporibus, nequit non moveri etiam anima eidem substantialiter unita.

Objic. 2.° Quod est in loco, et movet corpus contactu suo, corpus est. Sed anima rationalis est in loco, et movet corpus contactu suo. Ergo...

Respond., dist. 1.^{um} membrum Majoris: quod est in loco circumscriptive, *conc.*; definitive, *neg.* (1). Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. *Disting.* etiam 2.^{um} membrum: quod movet contactu quantitativo, *conc.*; contactu virtutis, *neg.* (2). Et *contradist.* Minor., *nego* est conseq.

Objic. 3.° Quod est immateriale atque independens a materia in existendo, subsistens est. Atqui anima rationalis non est subsistens. Nam subsistens est suppositum et natura completa, qualis profecto non est anima.

Respond. *disting.* Major. Subsistens est, saltem incomplete, nempe capax existendi extra corpus, quamvis naturalem ordinem habens ad naturalem unionem cum illo, *conc.*; complete subsistens instar totius non ordinati ad unionem substantialem cum alio, *subdist.*; nisi sit forma informans, *conc.*; si sit ejusmodi forma, *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Subsistens enim potest aliquid esse bifariam, complete et incomplete: complete subsistens est suppositum vel persona, incomplete autem subsistens non est persona, quia licet capax sit existendi solitarie sine actuali unione, quantum est de se habet aptitudinem et ordinem ad substantialem unionem.

Instabis. Si anima esset subsistens, diceretur etiam operari. Atqui anima non dicitur operari, sed ipse homo. Ergo anima non est subsistens.—**Respond.** *dist.* Major. Si anima esset complete subsistens, diceretur operari, *conc.*; si sit incomplete subsistens, *subdist.*: in statu unionis, *neg.*; in statu separationis, *conc.* In statu enim unionis non est nisi pars personae, hominis, actiones autem sunt suppositorum (3). Anima vero in statu separationis licet suppositum vel persona non sit, vivit tamen instar personae, quia sola est, atque operatur.

Objic. 4.° Actus et potentia sunt in eodem genere. Atqui anima rationalis est actus corporis. Ergo...

Respond. *dist.* Major. Actus et potentia sunt in eodem genere directe, *neg.* suppositum, quia entitates partiales, quales sunt materia et forma, non sunt proprie ac directe in praedicamento (4). Actus et potentia sunt in eodem genere indirecte ac tamquam partes entis completi vel praedicamentalis, *subdist.*: ita sunt in eodem genere, ut sint ejusdem generis proximi, *neg.*; ut sint ejusdem generis remoti intra idem praedicamentum, *conc.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq.

Instabis. Actus et potentia debent habere proportionem. Atqui non haberent eam, nisi ad idem genus proximum pertinerent.—**Respond.**, *dist.* Major.: debent habere proportionem entitativam, *neg.*; habitudinis, in eo sitam, ut actus perficere possit potentiam et haec suscipere illum, ab eoque perfici, *conc.* Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq.

Objic. 5.° Anima spirituali semel admissa, necesse est multa devorare absurda. Sane α) mente capi nequit quod non est nisi mera negatio eorum omnium, quae nos cognoscimus, nempe indivisibile, inextensum. β) Absurdior adhuc apparet notio substantiae inextensae et incorporeae, quae tamen in sensus nostros agat, ut ab iisdem percipiatur. γ) Repugnat pariter entitas inextensa, quae et moveatur, et moveat corpus, et possit successive in diversis partibus spatii esse. Ergo anima spiritualis est ens chimaericum (1).

---

(1) Cfr. Compend., volum. 3.^{um}, num. 201, 151.
(2) Ibid.
(3) Cfr. Compend., volum. 2.^{um}, num. 307, 325.
(4) Cfr. Compend., volum. 2.^{um}, num. 278.

Respond., *neg.* assert. **Ad probation.** α) *dist.* assert. Capi nequit conceptu proprio ex propriis, quod non est nisi negatio, etc., *trans.* Capi nequit conceptu saltem proprio ex communibus, *neg.* (n. **315**). **Ad probat.** β) *neg.* assert. et suppositum ejus. Absurdum enim non est quod demonstratur esse; nec vero anima per se ac directe agit in sensus, ut ab iisdem percipiatur: praecise docemus contrarium ostendendo simplicitatem et spiritualitatem animae. Nihilominus potest ea indirecte agere ac medio corpore, quod informat. **Ad probation.** γ) *neg.* pariter assertum, nam neque repugnat formam moveri per accidens ad motum corporis, nec movere corpus quod informat, eoque medio alia, nec praesens esse successive diversis spatii partibus.

Objic. 6.° Anima est pars corporis. Atqui spiritus nequit esse pars corporis. Ergo...—**Respond.**, *dist.* Major.: est pars corporis integralis, *neg.;* essentialis seu forma substantialis ejusdem, *conc.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 7.° Unum est *esse* animae et corporis. Sed *esse* corporis est materiale. Ergo et animae, quae proinde spiritualis esse nequit.

Respond., *dist.* Major. Unum est *esse* adaequatum ac totale, ita ut anima suum etiam *esse* spirituale corpori communicet, *neg.; esse* inadaequatum sensitivum et vegetativum, *trans. Conc.* Minor., et simili modo *dist.* primum membrum consequentis, alterum *nego* (2).

ARTICULUS III

Utrum anima humana sit immortalis vel incorruptibilis.

589. Diversitas opinandi. Negarunt animae rationalis immortalitatem veteres materialistae, Sadducaei et Samaritani pluresque haeretici (3), quorum vestigia sectantur hodierni rationalistae, ut Strauss et Hartmann, atque uno ore materialistae, qui, sicut negant animam a materia viribusve materiae distinctam, ita etiam negant aliam cujusvis substantiae immortalitatem praeter immortalitatem materiae, sitam in perpetuo evolutionum fluxu, quo simplicia corpora in composita coalescunt, et composita vicissim in simplicia resolvuntur, secundum jugem generationum et corruptionum vicissitudinem, quam in diversis naturae regnis cernimus. Quid Aristoteles censuerit circa animae immortalitatem, disputant Scholastici. Communis vero christianorum sensus tenet animam rationalem immortalem esse: quod etiam docuisse aegyptium Trismegistum, Pythagoram, Socratem, Platonem, Plotinum et optimos quosque Philosophos ethnicos, paucis exceptis, memoriae proditum est.

Utrum porro demonstrari queat animae immortalitas, disputatum est. Negavit Pomponatius, mantuanus, unus de coriphaeis scholae Aristotelico-Alexandrinae, ratus animam humanam secundum revelationem quidem esse inmortalem, mortalem vero secundum rationem. Idemque tenuerunt alii ejusdem scholae asseclae atque averroistae, ut jam supra innuimus (n. 575). Alexandrinorum autem et averroistarum errorem repressit Leo X in concilio Lateranensi V.° (anno 1513), in quo animam rationalem et formam corporis esse definivit et immortalem. Scotus etiam docuerat animam quidem esse certissime immortalem; id tamen potius esse creditum, quam scitum. nec, per rationes demostrativas ac necessarias confirmari, sed solum per probabiles: quod et Henricus Gandavensis, Gabriel et Ockam et quidam alii sensisse perhibentur. Verum communissima Scholasticorum, saltem inde a tribus amplius saeculis, opinio tenet animam humanam non solum immortalem esse, verum immortalem demonstrari; quamvis non defuerint qui contenderent non esse strictas in toto rigore demonstrationes, quae afferuntur. Nunc quoque catholici communiter censent immortalitatem vere demonstrari, aliis tamen alia magis arrident, ut saepe assolet, argumenta. Jam ut voces declarentur,

---

(1) Ita auctor *Systematis naturae*, I, pag. 107.
(2) Quaedam alia in opere fusiori, num. 214.
(3) Vide in opere fusiore, volum. 6.°, num. 215.

590. **Quaedam praenotanda sunt.** *Immortale* et *incorruptibile*, in idem recidunt in praesenti controversia. Re tamen vera conceptus distincti sunt: immortalitas morti, incorruptibilitas corruptioni opponitur, quare immortalitas proprie dicitur de viventibus, quae *mori* nequeunt, vel vivere sine fine exigunt, incorruptibilitas autem de iis, quae carent intrinseco principio corruptionis. Et sic materia prima est incorruptibilis (1), non tamen immortalis; e converso quaecumque immortalia sunt, sunt etiam incorruptibilia, quia cum vita praesupponat esse, quae semper vivere postulant, debent etiam semper esse.

Corruptibile et incorruptibile possunt accipi proprie atque improprie, sicut ipsa corruptio. Corruptio enim propria est desitio rei remanente subjecto seu materia, et opponitur generationi propriae, quae est productio rei ex praesupposito subjecto. Caeterum corruptio ista fieri potest per se vel per accidens: per se ac ratione sui corrumpitur substantia completa, cum desinit esse. Sicut enim per se generantur composita, forma vero non generatur, vel fit proprie ac per se, sed per accidens, seu *confit* (2); ita per se solum corrumpuntur composita, formae vero corrumpi dicuntur per accidens, si dependeant a subjecto in existendo. Quia cum nequeant existere nisi subjecto inhaerentes, si dissolvatur unio earum cum illo, eo ipso per accidens pereunt, nimirum ratione corruptionis compositi, quod, abrupta unione, dissolutum manet. Corruptio vero impropria est quaevis desitio in *esse*, licet nihil de illo remaneat: quo pacto res quae annihilatur, corrumpi dicitur, videlicet improprie. Hinc vides, quid sit corruptibile proprie atque improprie. Nos vero hic agimus de incorruptibilitate propria, quia certum est posse *absolute* animam a Deo in nihilum verti.

---

(1) Cfr. Compend., volum. 3.um, num. 241 et num. 160.
(2) Cfr. Compend., volum. 3.um, num. 245, 4.°

Immortalitas triplex distingui potest, *essentialis naturalis* et *gratiosa.* Essentialis est propria solius Dei, et consistit in absoluta et metaphysica impossibilitate moriendi vel amittendi *esse.* Naturalis consistit in impossibilitate moriendi et exigentia perpetuo vivendi orta ex eo, quod res careat omni principio intrinseco vel passiva potentia corruptionis, nec sit proinde ulla naturalis causa illam valens spoliare vita. Gratiosa est incapacitas moriendi orta ex gratuito dono Dei: qualem habituri essent Adam et posteri ejus, nisi peccasset ille. Nos hic agimus de immortalitate naturali.

I.—Demonstratur animae immortalitas.

591. Ut ex praejactis notionibus facile eruitur, naturali immortalitati et incorruptibilitati *absolute* ac *mataphysice* non opponitur annihilatio; quia quamvis res naturaliter exigat semper vivere et esse, nec habeat intrinsecum corruptionis principium, non tenetur Deus *absolute* conservare illam, sed potest *absolute* annihilare, sicut non tenetur *absolute* agere secundum ordinem naturae vel naturales exigentias virium et legum physicarum (1). Et quamvis Philosopho satis sit, demonstrare hac in re, quid ferat vel exigat animae rationalis natura, gravissimum tamen praesentis quaestionis momentum nos cogit, ut duo hic investigemus: *primum* utrum anima reapse sit natura sua immortalis; *secundum*, utrum satis constet, Deum animam non esse de facto, sicut posset absolute, in nihilum redacturum.

592. PROPOSITIO 1.ª **Anima rationalis est immortalis vel incorruptibilis, et quidem natura sua.**

Prima pars est de fide, praescindendo a modo et ratione immortalitatis, ut constat ex *Symbolis*, in quibus credenda proponitur carnis resurrectio et *vita aeterna*, et ex supra memorati concilii Lateranensis V.ⁱ definitione aliisque documentis ecclesiasticis (2) habetur: quae doctrina manavit ex pluribus sacrarum Litterarum testimoniis.

Dices. Immo vero contrarium continetur illis Ecclesiastes verbis: *Unus interitus est hominis et jumentorum, et aequa est utriusque conditio: sicut moritur homo, sic et illa moriuntur... et nihil habet homo jumento amplius... Quis scit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et spiritus jumentorum descendat deorsum?* (3).—**Respondeo 1.°** cum S. Thoma (4), forte verba ista scripta esse in persona impiorum. 2.° Quamvis autem prolata ab ipso sacro Scriptore intelligamus, priora quidem facilem interpretationem admittunt in corporeo composito, quod simili modo coalescit, et dissolvitur in homine atque in animalibus. Postrema longe difficiliora sunt, quae tamen sic explicantur a P. Rudolpho Cornely: «Integri... loci sensus hic est: Quamvis hominibus et brutis, quod ad corpus attinet, idem sit exitus; et quamvis illis, si sola externa apparentia attenditur, idem inesse videatur spiritus vitalis, maximum tamen inter eos intercedit discrimen, quod ¡pro dolor! pauci tantum curant, non considerantes spiritum hominis post mortem sursum ad Deum ascendere, ac proinde permanere, bruti vero animam una cum corpore in terram descendere, et perire. Hac sola explicatione habetur nexus cum praecedente versu 17, in quo Deum justum et injustum judicaturum esse asseruerat, atque ac sola Ecclesiastem non pugnantia docuisse apparet. Si enim cap. 3, vers. 21 de immortalitate dubitasset, ignorassetque, an spiritus hominis ascenderet, in fine libri (12-7) docere non potuisset, corpus hominis in terra reverti, unde desumptum erat, spiritum autem hominis ad Deum redire, qui illum dederat» (1).

---

(1) Cfr. volum. 3.um, num. 105.
(2) Vide in alio opere, volum. 6.°, num. 216, vel apud Denziger, *Enchirid.*, num. 621.
(3) *Eccles.*, cap. 3, vers. 19, 21.
(4) 1 p. quaest. 75, art. 6, ad 1.um

Patres qui docent animae immortalitatem videri queunt apud Theologos, ut Palmieri, Tepe, Katschthaler, Suarez, (2), Valentia, etc.

Persuasionem generis humani de animae immortalitate probant honores mortuis redditi et sepulchrorum inscriptiones et monumenta, ritus funebres, expiationes, sacrificia pro defunctis oblata, ipsa metempsychosis commenta, necromantia, apotheosis, opinio camporum elyseorum, tartari, etc. Scriptorum vero ethnicorum et nationum catalogum, quae haec persuasione imbutae erant, videri potest in alio opere.

Rationes ad probandam utramque partem propositiones eaedem sunt. Itaque

Probatur secunda pars: *Anima humana est* **natura** sua *immortalis et incorruptibilis*, duplici genere argumentorum: A) *physico* et B) morali.

A) **Probatur argumento physico.** Si anima non esset natura sua incorruptibilis et immortalis, haberet, intrinsecum principium aut passivam potentiam corruptionis, sive propriae sive impropriae. Atqui non habent. Ergo...

Prob. Minor. *Non habet internum principium propriae corruptionis.* Corruptio propriae dicta vel est per se vel per accidens: prima est propria compositorum, altera formarum a subjecto dependentium in *esse* (n. **590** *Corruptibile et incorruptibile*). Atqui anima rationalis nec est composita (n. **581**, **582**) nec dependens in *esse* a materia, sed spiritualis. Ergo non potest habere potentiam passivam corruptionis propriae.

Non habet internum principium corruptionis impropriae vel an-

---

(1) Cl. Cornely, *Historica et critica introductio in U. T. libros sacros*, volum. II, pag. 180. Paris, 1877. Cfr. Valentia, In 1.^{am} part., disp. 6, quaest. 1, punct. 3, paragr. 1. Alias hujus loci interpretationes dabit Christianus Pesch, *Praelect. dogmat.*, tom. 3, num. 132.

(2) *De anim.*, lib. 1, cap. 10.

nihilationis. Cum enim annihilatio non fiat per positivam actionem, sed solum per substractionem conservationis (1); eatenus anima potentiam passivam annihilationis haberet, quatenus exigeret (vel certe illi conveniret) in aliquo eventu substractionem divinae conservationis. Atqui anima rationalis id non exigit, nec id ei convenit.

Sane id exigeret, vel α) quia tendit natura sua ad non esse; vel β) quia separata a corpore, jam naturali suo fine defuncta est, ac proinde frustra existeret in hac rerum universitate; vel γ) quia contrarietatem ac repugnantiam formalem haberet cum alia forma, quae de novo produceretur. *Atqui non exigit ex primo capite* α) nam *esse* est bonum animae rationalis, et quidem possibile. Praeterquam quod nulla res actu existens ad non esse nisi negative, quatenus potentiam passivam habet, ut ab alia destruatur, qualem profecto non habere anima ostendit praecedens probatio. *Non ex altero capite* β), quia non est unicus et adaequatus finis animae rationalis informare corpus, sed potest sine illo intelligere, cum sit spiritualis, et spiritualibus potentiis instruatur, et retinere species intelligibiles valeat, atque intelligendo et amando potest finem suum supremum assequi. *Non ex tertio capite* γ), tum quia forma simplicissima et spiritualis non potest repugnare ulli alteri formae, cum contrarietas formarum non adsit nisi circa idem subjectum, anima vero rationalis non dependeat intrinsece ab ullo subjecto; tum quia etiamsi contrariaretur ei alia forma, atque formaliter expelleretur ab eodem subjecto vel materia, non deberet perire, siquidem potest extra materiam existere, cum sit spiritualis. Ergo nullum est caput, unde anima exigat, ut Deus sibi conservationem detrahat, vel hoc ei bonum et conveniens sit. Hoc argumentum, spiritualitati animae innixum, mihi videtur irrefragabile, si bene perpendatur.

B) **Probatur argumentis moralibus I.°** Ad providentiam divinam spectat justis praemia retribuere, sontibus promeritas infligere poenas. Atqui Deus id non facit in hac vita, immo nec facere potest, spectata natura hominis et praesenti oeconomia divinae providentiae. Ergo anima talis esse debet, ut sit corpori superstes.

Probatur Minor *quoad primum* ipsa experientia, nemo enim finem suum ultimum in hac vita obtinet; immo multi sunt frugi homines, qui aerumnas ingentes usque ad mortem patiuntur, scelerati vero omnibus deliciis ac naturalibus bonis fruuntur. *Quoad alterum* probatur, quia homo usque ad ipsum ultimum vitae momentum bene vel male agere potest; ideoque non potest, quamdiu vivit in corpore praemium vel poenam condignam recipere.

Dices hoc argumento solum probari, quod anima humana debeat existere per aliquod tempus post corporis fata.—**Respond.**, *neg.* assertum, quia argumentum probat satis, animam talis esse conditionis ac naturae, ut possit *naturaliter* vivere post corporis mortem; non enim credendum est, Deum, sapientem ad providum judicem, ut naturalem redderet animae remunerationem, debere facere miraculum conservando illam in *esse* contra vel praeter illius exigentiam. Quod si anima talis naturae est, ut possit naturaliter conservari separata a corpore per aliquod tempus, eo ipso ostenditur non habere intrinsecum principium corruptionis, ideoque posse, atque adeo debere, semper conservari, seu immortalem esse (1).—Hoc quoque argumentum validissimum videtur.

---

(1) Cfr. Compend., volum. 3.$^{\text{um}}$, num. 432, 429.

Prob. 2.° Homo natura sua creatus est ad aliquem ultimum finem eumque in perfecta situm felicitate. Atqui homo illum non assequitur in hac vita. Ergo debet illum obtinere post corporis dissolutionem.

Major certa supponitur ex morali Philosophia. **Minor** vero patet, tum ex aerumnis vitae hujus, tum ex eo quod consecutioni finis ultimi succedere debet quies in appetitu et satietas desideriorum, qualis profecto non datur homini in praesenti vita (2).

Prob. 3.° Naturale desiderium non potest esse inane seu frustraneum. Atqui naturale desiderium foret in homine inane, si anima ejus non est immortalis. Ergo...

Major constat, quia natura non frustra operatur. **Minor vero probatur** α) primo, quia homo desiderat non solum esse hic et nunc, sed etiam perpetuo. Ejusmodi porro desiderium naturale est non solum quia universale apud omnes (paucis exceptis, qui per accidens ratione aberrationis alicujus vel gravissimi infortunii cupiunt non esse), sed quia est conforme innato appetitui et naturali animae capacitati semper existendi, propter suam spiritualitatem. Atqui desiderium istud, nisi anima sit immortalis, expleri nequit. β) Alterum desiderium pariter naturale, ideoque ordinatissimum, quod frustraretur, pereunte anima, est desiderium felicitatis, quod pariter apud omnes viget, nec expletur unquam in hac vita (3).

Dices, argumentum hoc nihil valere: α) quia non minus naturale est homini desiderium semper vivendi in corpore, itemque desiderium divitiarum, honorum, voluptatum, sensibilium, quin tamen expleri debeat. β) Ipsa quoque bruta appetunt semper esse. An ideo concludes, animam eorum esse inmortalem? γ) Minus adhuc urget argumentum, ex desiderio felicitatis desumptum, quod profecto si valeret, probaret, ipsas animas sceleratorum hominum fore aliquando beatas.

Respond., *neg.* assert. **Ad probat.** α) *neg.* paritat. Desiderium semper vivendi in corpore non est naturale proprie, utpote non conforme innato appetitui seu naturali exigentiae corporis naturaliter corrupti.

---

(1) Vide alias instantias solutas in opere fusiori, volum. 6.°, num. 217. B) *Argumenta moralia*, *Prob. 2.°*, *Dices 2.° cum Scoto.*

(2) Cfr. haec enucleatius confirmata in volum. 6.°, loc. nup. cit., post *Prob. 3.°*

(3) Vide S. Thom., 1. 2.ae, quaest 5, art. 4; S. Bonavent., 2.° dist. 19, art. 1, quaest. 1.

bilis. Caetera desideria divitiarum, etc., non sunt etiam naturalia, cum non sint homini debita, nec vera bona ejus, nec necessaria ad perfectionem quare etiam respui laudabiliter possunt. **Ad probat.** β) *nego* quod bruta appetant esse semper, quia semper esse est universale quiddam, illa vero universale nullum cognoscere queunt. **Ad probat.** γ) *neg.* assertum. Vis argumenti nostri non stat in eo, quod omnis homo de facto debeat esse beatus, sed possit esse quantum est de se, si recte ipse velit, id est, quamdiu est tempus volendi, et media adhibendi. Scelerati ergo, quia hoc non fecerunt voluntarie se constituerunt in eo statu, quem jam in meliorem impossibile est mutari.

593. Objic. 1.° Omne quod est ex nihilo, vertibile est in nihilum, quia finis respondere debet principio. Sed anima rationalis ex nihilo est. Ergo...

Respond., *dist.* Major. Per potentiam extrinsecam Dei, absolute annihilare valentis, *conc.*; per intrinsecam potentiam subjectivam vel intrinsecum corruptionis principium, *subdist.*; si est substantia simplex et spiritualis, *neg.*; si corpus vel forma materialis, *conc.* Et *concessa* vel *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 2.° Quod non habet virtutem, ut sit semper, non potest in perpetuum durare. Sed anima non habet virtutem, ut sit semper. Nam quod non fuit semper, non habet virtutem, ut sit semper.

Respond., *neg.* Minor. et ejus probationis etiam Minor. Ideo enim anima non semper fuit, quia non semper habuit entitatem ac virtutem existendi ex Deo acceptam; semel autem a Deo creata habet hujusmodi virtutem.

Instabis. Anima non habuit initium existentiae nisi in corpore. Ergo separata a corpore, debet perire.—**Respond.,** *neg.* conseq. Anima enim incepit in corpore, non quod egeat illo ad existendum, sed quia est forma. Cum ergo sit naturaliter incorruptibilis, ut probatum manet, potest extra corpus perdurare.

Objic. 3.° Immortalitas est potentia quaedam infinitae durationis, ac proinde potentia infinita. Atqui nulli creaturae potest competere potentia infinita. Ergo...—**Respond.,** *disting.* 2.^{am} partem anteced.: est potentia quaedam infinita, entitativa vel activa, *neg.*; receptiva vel passiva, actuanda per infinitam virtutem Dei, *conc.* Et *contradist.* Minor. *neg.* conseq. (1)

Instabis. Nulla res creata potest esse in omni loco. Ergo nec durare semper.—**Respond.,** *dist.* antec.; simul, *conc.*; successive, *nego.* Et *neg.* conseq. Solus enim Deus exigit esse ubique propter suam immensitatem. At vero semper esse postulat omnis substantia incorruptibilis, quare non est paritas inter localem praesentiam et durationem.

Objic. 4.° Anima est substantia incompleta, et ad informandum corpus naturaliter ordinata. Ergo separata a corpore erit in statu violento. Atqui nihil violentum perpetuum.—**Respond.,** *neg.* conseq. si proprie loqui velimus, quia cum finis animae adaequatus, non sit corpus informare, ac possit sine illo existere, status separationis non est dicendus violentus, sed naturalis, quamvis minus naturalis, quam unionis, ut inferius dicetur, ubi de anima separata (2). Quod vero ad effatum Minoris attinet, vide aliud opus (3).

Objic. 5.° «Quod advenit alicui, vel discedit ab eo praeter sui corruptionem, advenit ei accidentaliter... Si ergo anima non corrumpitur, corpore abscedente, sequetur, quod accidentaliter ei uniatur.

---

(1) Vide S. Thom., 1 p. quaest. 75, art. 6; *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 80; quaest. *de anim.*, art. 14, etc., quibus in locis plura dissolvuntur argumenta.

(2) Vide interea opus fusius, volum. 6.°, num. 330.

(3) Volum. 6^{b}, num. 218, in respons. ad *Objic.* 5.°; et lege Suarez, *de anim.*, lib. 1, cap. 12, num. 21.

Ergo homo, qui est compositus ex anima et corpore est ens per accidens; nec proinde natura humana erit species rerum», etc. (1). – **Respond.**, dist. antec. Quod advenit alicui vel abscedit absque sui corruptione, si accipiat ab eo, cui advenit, aliquod *esse* substantiale, quale accipit corpus hominis ab anima, *neg.*; si non accipiat, *conc.* Et *neg.* utrumque conseq.

Objic. 6.° *Esse* corporis humani est corruptibile. Sed *esse* corporis humani est idem ipsum esse animae rationalis, utpote quae corpori unitur, communicando suum proprium *esse*. Ergo *esse* animae rationalis non est incorruptibile.

Respond., objectionem hanc diversimode resolvi pro varietate opinionum circa identitatem vel distinctionem essentiae et existentiae in creatis. In nostra sententia *negatur* Minor, quia sicut essentia corporis humani est composita ex essentia animae ac corporis, ita etiam existentia, quippe quae cum existentia re identificatur. In sententia contraria Thomistarum *distinguitur* sic Major: *Esse* corporis humani est corruptibile, per desitionem ejusdem, *neg.*, per separationem ac retractionem a corpore, *conc.* Et *concessa* Minore, *negatur* conseq. In hac enim sententia cum anima unitur corpori, communicat illi suum *esse* existentiae, quod postea in morte retrahit ad se (2).

II.—An satis constet animam rationalem in aeternum esse de facto extituram.

594. Propositio 2.ª **Anima rationalis a Deo solo privari existentia potest absolute; certum tamen est Deum hac sua potestate numquam esse usurum.**

Probatur prima pars: *Nulla causa creata potest animam existentia spoliare.* Anima non potest existentia spoliari nisi annihilatione vel substractione conservationis (n. 590, *Corruptibile*, et n. 592, *Secunda pars*, A), quia nequit corrumpi sive proprie sive improprie. Atqui anima rationalis a solo Deo conservatur in *esse*. Ergo a nulla alia causa privari existentia potest (3).

Secunda pars constat, quia existentia non est essentialis animae, nec competit ei nisi per creationem et conservationem Dei. Et quamvis semel creata, naturaliter exigat conservari, cum non habeat intrinsecum corruptionis principium, at Deus non tenetur absolute conservare illam, sed potest, retracta conservatione, in nihilum redigere (n. 591).

Tertia pars: *Certum est Deum nunquam spoliaturum esse animam sua existentia*, probatur 1.° ex documentis ecclesiasticis, nempe ex omnibus Symbolis fidei, quibus jubemur credere *vitam aeternam;* et in Athanasiano dicitur: *Qui bona egerunt, ibunt* **in vitam aeternam,** *qui vero mala*, **in ignem aeternum.** Idemque constat ex variis conciliis et SS. Litterarum testimoniis et communi Patrum doctrina. Unde metaphysice certum est, nempe propter fidei doctrinam, quod anima semper sit extitura.

---

(1) Apud S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 2. cap. 80, arg. 4.°
(2) Quaedam alia in volum. 6.°, num. 218.
(3) Vide S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 55 fin. *Adhuc, quaecumque...*

Prob. 2.° Physica saltem certitudine verum est, quod Deus secundum naturalem exigentiam rerum creatarum agat cum illis sive in dando concursum ad operandum, sive in conservando eas in *esse* (1). Atqui anima rationalis exigit naturaliter conservari, quia est natura sua immortalis. Ergo...

Prob. 3.° Cum anima rationalis careat intrinseco principio corruptionis, Deus non potest illam annihilare nisi agendo miraculose praeter cursum naturalem. Atqui Deus miraculose non agit nisi ad manifestationem gratiae ac gloriae, *redigere* autem *aliquid in nihilum non pertinet ad gratiae manifestationem, cum magis per hoc divina potentia et bonitas ostendatur, quod res in esse conservetur* (2), secundum illud Apostoli: *Portans omnia verbo virtutis suae* (3). Quaedam alia in opere fusiori (4).

ARTICULUS IV

Utrum anima rationalis sit ejusdem perfectionis specificae, ac angelus.

595. Controversia haec tractata videri potest in opere fusiori (5). Sententia communis negat angelum et animam rationalem ad eamdem speciem pertinere. Ratio autem est, quia rationalis anima est incompleta substantia, completa vero angelus; et praeterea anima est corporis forma, secus angelus. Ex quo sponte sequitur, animam natura sua imperfectiorem angelo esse, quia conditio substantiae incompletae ac formae substantialis imperfectionem importat, qua caret angelus. Hinc etiam angelus longe perfectius intelligit, ut docent Theologi, quam possit anima rationalis. Itaque angelus et anima conveniunt quidem genere formarum spiritualium, sed differunt specie. Verum praestat haec, quae tam necessaria Philosopho non sunt, in alio opere videre.

---

(1) Cfr. Compend., volum. 3.^{um}, num. 105.
(2) S. Thom., 1 p., quaest. 104, art. 4 fin. corp.
(3) S. Paulus, *Hebr.* cap. 1, vers. 3. Cfr. *Eccles.* cap. 3, vers. 14; *Sapient.* cap. 1, vers. 14.
(4) Volum. 6.°, num. 219.
(5) Volum. 6.°, num. 220, 221.

ARTICULUS V

Utrum omnis anima rationalis sit ejusdem perfectionis substantialis.

596. **Status quaestionis et sententiae.** Quod animae in diversis hominibus saltem accidentaliter discrepent, concedunt omnes, patetque tum ex individualium notarum varietate, tum etiam ex varia perfectione, quam animae suis actibus acquirere valent. Solum ergo dubitatur de perfectione substantiali. Verum diversitas perfectionis substantialis duplex excogitari posset: *specifica* et *non specifica.* De specifica nullum est dissidium inter Scholasticos, qui uno ore fatentur humanas animas esse omnes ejusdem speciei, et solum dissentiunt illi scriptores, qui multas comminiscuntur hominis species: cum quibus mox instituenda controversia est. Circa diversitatem vero substantialem intra eamdem speciem divisi sunt catholici Philosophi, nam longe major pars Thomistarum, consentientibus quibusdam nostris, tenet animas rationales in substantiali perfectione, intra eamdem tamen speciem, inaequales esse in diversis individuis. At Scotistae communiter, nostrates communius et quidam Thomistae aequalitatem omnium rationalium animarum in substantiali perfectione propugnant. Mens S. Thome dubia est, nec semper constans fuisse videtur, ut videre licet in nostra fusiori Ontologia (1); nam controversia haec de inaequalitate vel aequalitate substantiali diversorum individuorum intra eamdem speciem, generalis est, ac propterea agitata a nobis fuit generatim de omni ente in opere fusiori (2). Quod si de *possibilitate* diversitatis substantialis inter animas rationales agatur, illi qui eas de facto aequales esse sustinent, dividuntur in duas factiones, aliis ajentibus, negantibus aliis.

597. Propositio. **Quidquid sit de possibilitate, cum nulla sit convincens ratio asserendi substantialem diversitatem animarum in diversis hominibus, probabilius aequales omnes esse dicendae sunt.**

Prima pars. Haec sunt praecipua contrariae sententiae argumenta α) Repugnat generatim, duo individua esse prorsus aequalia in eadem specie. β) Magna perfectionis diversitas in operando cernitur in diversis individuis. γ) Valde videtur dedecere, ut anima Christi et Deiparae sit ejusdem perfectionis substantialis, ac anima Judae. δ) Diversitas sexuum; quae sicut diversitatem organismi et operationum importat, ita diversitatem animae postulat. ε) Quanto corpus melius dispositum est, tanto meliorem sortitur animam in viventibus diversae speciei. Ergo idem censendum est de organismis melius dispositis intra eamdem speciem.

---

(1) Num. 94.
(2) Volum. 2, num. 94 seqq.

Verum haec non urgent. Ad α) *neg*. assert. (1) **Ad** β) *neg*. conseq., tum quia diversitas perfectionis in operando potest oriri ex accidentali principiorum et facultatum perfectione diversa, ex habitibus, ex diversa dispositione organismi, ex varia sensuum perfectione quorum operationes influunt in intellectus operationes, quae multum dependent ex majori minorive specierum claritate; etc.; tum quia non minor diversitas perfectionis in operando saepe cernitur in eodem homine individuo sive ratione aetatis, sive ratione morborum et organicarum dispositionum. **Ad** γ) *negatur* assertum. Si enim id dedecet, cur non dedecebit animam Christi Domini ac Deiparae esse ejusdem speciei cum anima Judae? **Ad** δ) pariter *negatur* assert. Ex contraria sententia haec videntur sequi absurda: *primum*, quod in ipsis animabus daretur, saltem inchoative differentia sexus. *Secundum*, quod cum sexus foemineus sit ignobilior, anima foeminae semper foret imperfectior virili, cum tamen experientia doceat saepe contrarium. **Ad** ε) respondeo *distinguendo* anteced. Quanto corpus est melius dispositum, tanto sortitur meliorem accidentaliter animam, *conc.;* substantialiter, *subdist.*: si agatur de diversis speciebus, *conc;* si de diversis individuis intra eamdem speciem, *nego*, donec sufficienter probetur (2).

Secunda pars probatur, quia non est asserenda substantialis diversitas, ubi omnia commode explicantur per differentias accidentales, provenientes potissimum ex diversitate organismi ac temperamenti in diversis individuis.—**Nec dicas** organizationem ac dispositionem variam corporis a natura poni praecise propter animam tamquam finem.—**Nam natura** per se intendit aptissimam organizationem, sed per accidens, ratione concausarum in organismi formationem influentium, magna in hoc varietas existere potest, quin dicamus diversitates istas respicere pro fine diversas substantialiter animas accipiendas. Secus quid dices de amentibus, caecis natis, europaeis, africanis, americanis ac diversis hominum stirpibus? An in his quoque diversitates organizationis ac temperamentorum ordinantur ad diversas substantialiter animas? Verum haec leviter tetigisse sufficiat de re valde dubia.

CAPUT III

DE ORIGINE ANIMAE HUMANAE

598. Haec controversia, quamquam jam catholicorum Doctorum opera penitus eliquata, olim tamen una ex perplexissimis visa est vel ipsis sanctis et ingeniosissimis viris, ut constat ex SS. Hieronymo, Augustino, Pamphilo, Gregorio M. aliisque (3), difficultas in hoc sita est: quoniam homo est ab homine per generationem, fere sicut perfectiora animantia, homo vero constat anima rationali, quae spiritualis est, a quo et quomodo quave actione producitur illa? Ad tres revocari possunt ad hunc nodum solvendum excogitatae sententiae, ad *emanatismum, generatianismum* et *creatianismum*.

---

(1) Vide Compend., volum. 2.^{um}, num. 110.

(2) Haec fusius enucleata et a pluribus instantiis vindicata videri queunt in alio opere, volum. 6.°, num. 224.

(3) Vide in opere fusiori volum. 6.°, num. 225. Cfr. quoque varia opuscula «Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters, v. g. t. II, fasc. IV, pag. 97; t. III, fasc. I, pag. 42; t. IV, fasc. VI, pag. 395; t. VI, fasc. IV-V, pag. 46; t. VIII, fasc. IV, pag. 37.

ARTICULUS I

Rejicitur emanatismus.

Emanatismus est error eorum, qui animas humanas autumant ex Dei manare substantia. Ita senserunt nonnulli veteres Philosophi (1), ac nominatim Stoici, qui Deum dixere animam mundi, et deinde multi haeretici, ut Cerdon, Gnostici, Manichaei, Priscillianistae, et generatim pantheistae.

599. PROPOSITIO. **Veritas catholica est animam rationalem non esse de substantia Dei.**

Est de fide, definita in epistola dogmatica S. Leonis ad S. Turibium, et in concilio Vaticano (2) aliisque in locis (3).

Prob. 1.° Si anima rationalis derivaretur ex divina substantia, divinis gauderet attributis. Atqui non gaudet. Nam Deus est actus purus, qui venire cum alio in compositionem nequit, infinitus, immutabilis; anima vero mutabilis, finita et forma corporis, cum quo substantialiter unitur (4).

Prob. 2.° Animam e substantia divina derivari, bifariam intelligi potest: α) per decisionem e Dei entitate, β) quatenus divina substantia foret pars constituens animam, vel instar materiae vel instar formae. Atqui primum α) supponit divinam substantiam esse compositam; alterum β) in primis supponit animam simplicem non esse, deinde Deum potentialitate gaudere, et in compositionem posse cum alio venire, ideoque imperfectum esse. Quae omnia sunt absurdissima.

Prob. 3.° ex omnibus argumentis, quibus pantheismus exploditur.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

600. Objic. 1.° Deus dicitur *spirasse in faciem ejus* (hominis formati e limo terrae) *spiraculum vitae, et factus est homo in ani-*

---

(1) Apud S. Thom., 1 p. quaest. 118, art. 1; 2.° dist. 17, quaest. 1, art. 1. Cfr. S. Leo, epist. 93 *ad Turibium*.

(2) Vide apud Dezinger, *Enchirid.*, num. 102, 1651.

(3) Dezinger, num. 113, 124, 296, 453 et 1092.

(4) Vide S. August., epist. (al 28), cap, 2, num. 3.

mam viventem (1). Sed qui spirat, aliquid ex se emittit. Ergo... **Respond.**, *neg.* supposit. Nam **inspirare** *non est accipiendum corporaliter sed idem est Deum* **spirare** *quod* **spiritum facere.** Praeterea *homo corporaliter spirans non emittit aliquid de sua substantia, sed de natura extranea* (2).

Objic. 2. Anima est forma simplex. Ergo actus purus. Atqui actus purus est Deus.—**Respond.**, *neg.* primum conseq. Nam ad rationem actus puri non sufficit, ut sit simplex substantialiter, sed requiritur praeterea, ut excludat omnem potentialitatem receptivam accidentium quod non competit animae (3).

Objic. 3.° Quaecumque sunt, et non differunt, sunt idem. Sed Deus et anima sunt et non differunt. Nam quae differunt, conveniunt genere; Deus autem cum nulla re convenit genere.

Respond., *dist.* Major. Si neque differentia propria nec impropria differunt, *conc.*; si quamvis proprie non differunt, tamen improprie differunt, id est vere discriminantur se totis, *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Nam aequivocatio committitur in voce *differo* (4).

Objic. 4.° Testante sacro Scriptore, nos *Dei genus sumus* (5), Atqui id propter animam dictum esse intelligendum est.—**Respondeo** *dist.* Major. Eo sensu, ut de substantia Dei accipiamus *esse* sive animae sive corporis, *neg.*; eo sensu, ut esse accipiamus a Deo per creationem animae ad imaginem et similitudinem ejus, *conc.* Et *concessa* Minor., *neg.* conseq. (6).

ARTICULUS II

Rejecto generatianismo *vel* traducianismo, *statuitur* creatianismus.

601. Opiniones et historia. Generatianismus est systema eorum qui animam rationalem arbitrantur a parentibus, sicut corpus ipsum produci. Vocatur etiam *traducianismus* a *traduce*, qui licet proprie propaginem vel brachium vitis significet, quo illa ab una in aliam arborem *traducitur*, per translationem sumitur «pro omni eo, quod de re aliqua in aliam transfunditur, atque veluti in infinitum propagatur» (7), ac nominatim pro genitura vel semine. Doctrinam hanc tradidit Tertullianus et Apollinaristae cum suo duce et Luciferiani: eidem favere videntur S. Gregorius Nyssenus aliique Patres, S. Augustinus vero aliquando incertus haesit; itemque S. Fulgentius, Rufinus, Eucherius Lugdunensis, Cassiodorus, S. Gregorius M., Isidorus Hispalensis et Rabanus Maurus, quamquam nullus eorum traducianismum tueretur. S. Anselmi aetate nullam de hac re *certam* extare sententiam scripsit in ejus vita Eadmerus; paulo autem post traducianismus absque ulla dubitatione rejici coepit a Scholasticis, donec iterum a Lhutero ejusque asseclis restitutus est, contradicentibus aliis protestantibus. Quare hyperbolice locutus esse videtur S. Hieronymus, cum scripsit, *maximam partem occidentalium* adhaesisse traducianistis; nam si Tertullianum excipias, nullus occidentalium, saltem alicujus nominis, reperitur, qui hanc doctrinam diserte profiteretur, etsi plures dubitasse fatendum est (1). Ipsemet S. Augustinus ideo inter generatianismum et creatianismum anceps fuit, quia nihil clare traditum in sacris Bibliis videbat, et quia creatione animorum posita, difficilius esse arbitrabatur originalis peccati propagationem explicare. Quae difficultas non potuit non S. Augustinum aliosque Patres vexare, quia Pelagiani negationem originalis peccati ex eo probabant, quod singulae animae a Deo immediate creentur: quare mirum non est Patres illos dubitare potuisse. Nihilominus S. Augustinus de creatianismo numquam non honorifice loquitur, nec veretur illos, qui *propaginem animarum... defendunt, inconsideratae temeritatis accusare* (2),

---

(1) *Genes.* cap. 2, vers. 7.

(2) S. Thom., 1 p., quaest. 90, art. 1. Cfr. 2.° dist. 17, quaest. articulum 1, ad 1.um

(3) Cfr. Compend., volum. 2.um, num. 196, 255, 3.um

(4) Vide Compend., volum. 2.um, num. 108.

(5) *Act. Apost.*, cap. 17, vers. 28.

(6) Quaedam alia in opere fusiori, volum. 9.°, num. 227.

(7) Ambros. Calepin., ad vocem *Traduces.*

602. **Traducianismus duplici modo propugnatus videtur:** ex semine corporeo, ut voluit Tertullianus, et ex semine quodam peculiari animae, «sicut enim, inquiunt, ab una candela accenduntur multae, sic ab una anima, per sui multiplicationem absque diminutione vivificantur multa corpora» (3).

Opiniones recentiorum. Traducianismo favere videntur quidam recentiores catholici, ac nominatim Hermes, Oischinger, Frohschammer et Klee, quamvis duo postremi nolunt animas traduce propagari, sed creari ab ipsis parentibus. Antonius vero Rosmini novam traducianismi formam invexit, statuens animam filiorum, *qua sensitivam*, derivari a parentibus per generationem, sicut derivatur anima belluina, eamdemque postea evadere rationalem propter apparitionem ideae entis, quam Deus illi manifestat. Quae opinio renovat commentum Leibnitzii, de quo postea, et dudum relata fuisse videtur a S. Thoma (4).

Sententia denique communis catholicorum est, animam humanam creari a Deo.

603. PROPOSITIO. 1.ª **Anima rationalis nequit a parentibus propagari per traducem, sed producitur per creationem, non ab angelis aut a parentibus, sed ab ipso Deo immediate factam.**

Prima pars probari potest ex variis documentis ecclesiasticis, quae videri queunt in alio opere, et ex auctoritate plurium Patrum (1), quos postea secuti sunt Petrus Lombardus seu Magister Sententiarum, S. Thomas (2), S. Bonaventura (3) et Scholastici omnes, quorum multi contrariam sententiam gravi notarunt censura (4). Sufficiant instar exempli verba illa gravissima S. Leonis Magni in sua epistola dogmatica ad S. Turibium: *Quam impietatis fabulam ex multorum sibi erroribus tenuerunt* (Priscillianistae); *sed eos omnes chatolica fides a corpore suae unitatis abscidit,* **constanter praedicans atque veraciter,** *quod animae hominum priusquam inspirarentur corporibus, non fuere,* **nec ab alio incorporantur nisi ab opifice Deo, qui et ipsarum est creator** *et corporum.* Ratione autem

---

(1) Cardin Mazzella, *De Deo creatore*, disp. 3, art. 3, num. 559.

(2) Epist. 190 *ad Optatum*, cap. 4, num. 18.

(3) S. Bonavent, 2.°, disp. 18, art. 2, quaest. 3, post S. August., epist. 190, cap. 4, num. 15.

(4) 1 p. quaest. 118, art. 2, ad 2.um

Prob. 1.° Potentia materialis nequit producere substantiam spiritualem. Atqui potentia generativa hominis materialis est, anima vero rationalis spiritualis. Ergo impossibile est animam rationalem produci generatione parentum.

Prob. 2.° Anima rationalis vel produceretur virtute corporei seminis, vel virtute seminis spiritualis. Atqui neutro modo.

Non virtute seminis corporei vel per traducem corporeum, tum quia virtus ejusmodi seminis materialis est, nec proinde sufficiens ad rem spiritualem producendam; tum quia forma spiritualis non potest produci nisi creatione, cum neque materia constet in se, nec a materia dependeat in *esse*, semen autem corporeum creare nequit.

Non virtute seminis spiritualis vel per traducem spiritualem. Nam tradux ejusmodi reapse inintelligibilis est. Non enim potest esse aliquid decisum ex anima parentum, quippe quae simplex est. Non virtus ex eadem anima profluens; illa enim non potest agere actione creativa, quae solius Dei propria est; neque etiam actione eductiva, quia terminatur ad formam a materia vel subjecto dependentem in *esse* (5).

Secunda pars probatur 1.° Cum *fieri* sit via ad *esse*, tale *fieri* vel talis productio competit cuilibet rei, quale est illius *esse*. Atqui *esse* animae est independens a materia. Ergo et actio, per quam producitur, debet esse a materia vel subjecto independens. Actio vero hujusmodi est creatio.

Prob. 2.° Quidquid de novo fit, vel generatur vel creatur. Atqui anima non generatur. Ergo...

Prob. Minor., nam Major constat, quia generatio, utpote actio ex praesupposito subjecto, contraponitur creationi, non est enim medium inter actionem ex praesupposito subjecto et actionem subjecto carentem. Probatur ergo Minor, quia anima vel generaretur per se, vel per accidens. *Non per se*, quia solum composita dicuntur generari per se, anima vero rationalis non est composita. *Non per accidens*, nam generari vel fieri per accidens competit formis materialibus vel dependentibus a materia in *esse*, qualis profecto non est anima rationalis (1).

---

(1) Vide volum. 6 um, num. 129, *Prob. 1.°*
(2) 1 p. quaest. 118, art 2.
(3) 2.° dist. 18, art. 2, quaest. 3.
(4) Vide in alio opere, loc. nup cit., toto paragr. *Nec vero solum...*
(5) Cfr. opus fusius, volum. 6.°, num. 229.

Confirmatur ex symbolo fidei, quod a Leone IX credendum propositum est Petro Episcopo, ubi haec habentur: *Animam non esse partem Dei, sed* **ex nihilo creatam...** *credo et praedico.*

Non est autem anima creata ab angelis, ut blateravit Avicenna, **neque a parentibus, sed immediate a Deo**, quia virtus et actio creativa soli Deo competit, ut supponimus ex Theodicea (2).

604. Propositio 2.ª—**Repugnat, ut anima humana, quatenus sensitiva, derivetur a parentibus generatione, postea vero fiat intellectiva, per intuitionem ideae entis.**

Prob. 1.° Anima humana, quatenus sensitiva, quae a parentibus generare dicitur, vel est eadem realiter cum rationali vel non. Si est eadem, non potest produci generatione, sed creatione, ac proinde falsum est eam produci a parentibus. Si non est eadem, in primis jam non est a parentibus anima rationalis, cujus originem investigamus; nam anima humana est rationalis, ac de illius duntaxat origine agimus, non de alterius animae distinctae origine. Deinde anima illa sensitiva, a parentibus producta, vel remanet, cum apparet anima rationalis vel non. Si remanet, sunt duae saltem animae in homine, quod absurdum est (n. **570**). Si non remanet, falso asseritur animam humanam produci a parentibus; anima enim humana est illa quae manet in homine, quamdiu hic subsistit.

Prob. 2.° Cum anima sensitiva fieri dicitur rationalis per manifestationem ideae entis, vel mutatur substantialiter, vel non. Si substantialiter mutatur, composita est, nam mutatio substantialis postulat, ut res quae mutatur, quantum ad aliquid maneat, et quantum ad aliud transeat (3). Si non mutatur substantialiter, anima illa remanet sensitiva, nec fit spiritualis et immortalis. Anima ergo humana erit ordinis pure sensitivi.

Dices forte animam sensitivam non mutari proprie sed converti in rationalem. — **Verum in primis** incredibile est animam intuendo ens, nempe immanenter agendo, in aliam converti. Deinde a quo, quaeso, peragitur talis conversio? Ab aliqua causa creata? At conversio haec reapse foret actio quaedam creativa, nulla autem creata causa creandi pollet virtute. A Deo? Ergo jam admittitur creatio divina, qua profecto posita, supervacaneae sunt gratuitae fictiones intuitionis entis.

---

(1) Cfr. Compend., volum. 3.um, num. 245, 4.°

(2) Vide S. Thom,. 1 p. quaest. 90, art. 3; *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 87.

(3) Cfr. Compend., volum. 2.um, num. 256, 258.

Prob. 3.° Anima sensitiva incapax est intuitionis ideae entis; nam haec intuitio est actus spiritualis qui elici a principio pure sensitivo nequit. Ergo non potest anima humana sensitiva fieri rationalis per apparitionem ideae entis.

Denique damnata est decreto S. Inquisitionis (14 Decembris 1887) haec propositio doctrinam continens Rosminii: *Cum sensitivo principio intuibile fit* esse, *hoc solo tactu, hac sui unione principium illud antea solum sentiens, nunc simul intelligens, ad nobiliorem statum evehitur, naturam mutat, ac fit intelligens subsistens atque immortale* (1).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

605. **Objic. 1.°** ex sacris Litteris. α) In libr. *Genesis* legitur *Cunctae animae... quae egressae sunt de foemore Jacob, fuere sexaginta sex* (2). Ergo animae illae generatione per traducem productae sunt. β) *Anima carnis in sanguine est* (3). Atqui sanguis traducitur cum semine. Ergo et anima.—**Respond. ad** α) animas ibi per synecdochen intelligi ipsos homines anima constantes, ut alias quoque fieri videmus in sacris Litteris (4). **Ad** β) *neg.* conseq., tum quia per animam intelligenda est vita, sive animalis, sive etiam hominis, ut sensus sit, non ut anima vel vita sit identice sanguis, sed ut praecipue dependeat a sanguine, sine quo perit animal et homo; tum quia licet anima dicatur cum multis residere etiam in sanguine, nullatenus sequitur, communicato sanguine alteri, ut fit in generatione, debere quoque communicari animam, sicut nec, effuso e vulneribus sanguine, anima simul effunditur (5).

Objic. 2.° Si animae a Deo creentur, illud absurdum consequetur, ut Deus dicendus sit adulteris et fornicariis in hominis procreatione cooperari. «Quod argumentum, inquit Bellarminus, ab Apollinare excogitatum, Gregorius Nyssenus duodecimo libro *de anima* pene insolubile judicavit» (6).

Sed bene respondet S. Hieronymus (7), non magis absurdum esse, ut Deus adulterinis conceptibus inspiret animas, quam ut terra gremio suo confoveat semina, quae sator furto sustulerit, vel immunda projecerit manu. Praeterea objectio aeque premit generatianismi patronos; nam etiamsi parentes per traducem producerent animas, deberet Deus cooperari concursu suo, sine quo nulla res creata potest agere. Ad actiones porro peccaminosas concurrit Deus, non quatenus malae sunt, quo pacto nihil positivum important, sed quatenus physicam entitatem continent.

Objic. 3.° Filii non raro eamdem prae se ferunt indolem ac temperamentum, quod parentes. Ergo anima producitur a parentibus.—**Respond.**, *neg.* conseq., quia indoles ac temperamentum pendet ex dispositione corporis, ideoque jure merito refundi potest in parentes, corpus generantes.

---

(1) Apud Denzinger, *Enchirid.*, num. 1256.

(2) *Genes.*, cap. 46, vers. 26.

(3) *Levit.*, cap. 17, vers. 11.

(4) Ita v. g. *Levitici* cap. 5, vers. 1 seqq. Vide S. Thom., *de potent.*, quaest. 3, art. 9, ad 1.^{um}; Bellarmin., *De amissione gratiae et statu peccati*, lib. 4, cap. 11, in respons. ad object. 1.^{am}

(5) Aliud argumentum theologicum solutum videri potest in opere fusiori, volum. 6.°, num. 232, *Objic. 1.°* γ) et *Objic. 3.°*

(6) Bellarmin., op. et loc. cit.

(7) Lib. 3 *Apolog. contr. Rufin.*

Objic. 4.° In homine una et eadem est re anima vegetativa, sensitiva et intellectiva. Atqui vegetativa, et sensitiva est per generationem a parentibus. Ergo et intellectiva.

Respond., *conc.* Major., *disting.* Minor. Anima sensitiva, et vegetativa quae realiter identificatur cum intellectiva, *neg.*; anima vegetativa et sensitiva, quae in sententia multorum praecedit in embryone, antequam intellectiva adveniat *transeat* nunc, nam de hoc mox disputandum erit. Et *neg.* conseq.

Objic. 5.° Homo generat sibi simile, sicut caetera agentia univoca, nempe generat hominem. Atqui homo constituitur per animam rationalem. Ergo et hanc homo debet producere, siquidem alia agentia eatenus generant sibi simile, quatenus inducunt formam.—**Respond.**, *dist.* Major. Ita ut homo ad generandum hominem debeat physice producere, quidquid est in homine, *neg.*; ita ut sit causa ultimo determinans unionem animae cum corpore, *conc.* Et *concessa* Minor, *neg.* conseq. (1). Non esse necesse ad generandum vel efficiendum aliquid, ut causa producat totaliter effectum, patet in omnibus generationibus, in quibus profecto causa generans non facit, sed praesupponit materiam primam. Sed neque necesse est absolute, ut causa secunda producat etiam formam, si haec sit spiritualis, ut dicatur vere compositum ex materia et forma spirituali generare, dummodo ea sit causa moraliter et ultimo determinans productionem ejusmodi formae atque unionem cum materia, nempe generationem humani compositi; sicut e converso, ut quis vere dicatur occidere hominem, non requiritur, ut ipsam animam interimat. Ratio autem est, quia terminus generationis est compositum, homo, non vero materia nec forma. Causa ergo quae determinat, ut materia et forma substantialiter uniantur, et sic existat compositum, vera causa compositi est. Jam vero parentes generantes ita sua actione disponunt materiam, et determinant ad receptionem animae rationalis, ut nisi haec a Deo crearetur, et corpori infunderetur, vere miraculum fieret. Ergo parentes vere generant hominem (2).

Objic. 6.° Si haec foret certa doctrina, incredibile est, tot Patres contrarium tradere potuisse, ut nos ipse concessimus.

Respond. *neg.* assert. Primo enim non multi sunt reapse, nec auctoritate pollent, qui contrarium docuerunt. Apollinaris enim haereticus fuit. Luciferiani saltem schismatici, Tertullianus erravit etiam circa animae spiritualitatem. S. Macarius obiter tantum dicit parentes *e corpore suo et anima gignere liberos.* Abucara ita loquitur, cum traducianismum innuit, ut, nisi verba benigna interpretatione molliantur, vel ipsum generalem concursum Dei videantur excludere. Anastasius presbyter parum notus est. S. Gregorius Nyssenus si attente perlegatur, quamvis quaedam duriora scribat, id praecipue intendere videtur, ut in generatione hominis animam simul cum corpore produci persuadeat. Deinde Patres qui ancipites fuerunt, non officiunt nobis, sed tantum non positive favent. Caeterum mirum non est, quod, nondum penitus eliquata Ecclesiae doctrina per aliquam definitionem, in re satis perplexa potuerint dubitare.

Objic. 7.° Illud creatur, quod nullo praesupposito subjecto producitur. Atqui anima humana non sic producitur, sed requirit materiam apte dispositam. Ergo anima rationalis non creatur.

---

(1) Vide S. Thom., 2.° dist. 18, quaest. 2, art. 1; ad 4.um

(2) Vide S. Thom., loc. nup. cit.; *de potent.*, quaest. 3, art. 9, ad 6.um; *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 89, *Unde patet salutio ad quartum*, ubi plura in hanc rem, sicut etiam in 1 p., quaest. 118, art. 2.

Respond., *dist.* Major. Illud creatur, quod fit nullo praesupposito subjecto sustentationis, e cujus potentia educatur, *conc.*; quod producitur nullo etiam praesupposito subjecto purae informationis, quod non sit causa materialis, sed solum potentia perficienda et actuanda per formam, *neg.* (1). Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 8.° Forma est actus vel id, *quo* compositum est, non vero id *quod* est (2). Atqui terminus creationis debet esse id *quod* est, nempe aliquid subsistens (3). Ergo anima non creatur. – **Respondeo,** *dist.* Major.: forma materialis seu dependens in *esse* a materia, *conc;* forma spiritualis, *neg.*, nam forma spiritualis non solum est id *quo* compositum est, sed etiam id *quod* est, quia potest sola et separata esse. *Disting.* etiam Minor. Terminus creationis est res subsistens, sive complete sive etiam incomplete, *conc.;* solum complete, *neg.* Et *neg.* conseq.—Quaedam alia in opere fusiori (4).

ARTICULUS III

Quo tempore creetur anima, et corpori infundatur.

606. Status quaestionis. Exclusa superius praeexistentia animarum inde ab initio mundanae creationis (n. 575), reliquuum est, ut determinetur tempus praecisum, quo creantur animae singulae a Deo. Cum *praeexistentianismo* cognationem habet commentum Leibnitzii et asseclarum ejus, in eo situm, quod animae futurae humanae, inde ab initio creatae, ac corpusculis organicis inclusae extiterint in spermate protoparentis Adam, a quo transfundantur filiis ac nepotibus usque ad postremum hominem ope generationis (5). Et sic generatio non est nisi *transformatio* quaedam et augmentatio corpusculi primigenii, quo anima continetur. Porro animae ne in morte quidem hominis se corpusculo isto adhaerescente exuunt, quia, dissoluto crassiori et exteriori ac corruptibili, remanet perpetuo intra istud corpusculum; unde mors hominis non est vere separatio animae ab omni corpore, sed tantum *involutio* seu inclusio intra corpusculum. Hanc sententiam discere potuit Leibnitzius ex Platone apud S. Thomam (6). Caeterum existimavit animas istas, quamdiu in corpusculis delitescunt, esse duntaxat sensitivas et ratione carentes, fieri autem singulas rationales, cum per actum generationis novos homines constituere incipiunt (7); quam doctrinam videtur nostris diebus renovasse Antonius Rosmini (n. 601) inde modo inaudito explicans immunitatem B. Virginis Mariae ab originali peccato (1).

---

(1) Cfr. Compend., volum. 2.um, num. 283, *Subjectum porro.*
(2) Cfr. Compend., volum. 3.um, num. 245, 4.°
(3) Cfr. Compend., volum. 3.um, num. 57.
(4) Volum. 6.°, num. 232, 233.
(5) Vide Leibnitz, *Essai de Theologie sur la bonté de Dieu et la liberté de l'homme*, part. 1, num. 98.
(6) 1 p., quaest. 66, art. 7.
(7) Id., ibid., pag. 208. Cfr. volum. 6.um, num. 245.

607. **Sententia inter catholicos.** Communis vero et certa sententia docet animas tum creari a Deo, cum corporibus infundendae sunt, et sic humani embryones animantur. Quod si tempus amplius determinare velis, ecce apparent opiniones. Veteres philosophi et medici, ut antiquatam quamdam opinionem taceamus, communissime docebant, post actum conceptionis germen non statim animari, sed tantum virtute quadam instrui, e principio foecundante patris derivata, qua materia paulisper disponatur, ut rudem aliquam organizationem accipiat, unde reddatur subjectum aptum animae recipiendae, ac tum demum produci animam. Caeterum animatio foetus virilis ex Aristotelis aliorumque sententia dicebatur locum habere quadragessimo die, octogesimo autem animatio faeminei foetus. Non tamen opinabantur illi scriptores foetum illico animari anima rationali, sed primo anima vegetativa, deinde, perfecta magis organizatione, anima sensitiva, et demum anima rationali, ita ut adveniente perfectiori anima, praecedens periret, nec unquam essent duae simul animae. Quare hominis generatio non esset una simplex actio, sed series generationum, quarum priores posterioribus praeparent viam: per primam enim existit embryo nondum vivens, per alteram vivens pure vegetativum (quando nempe inchoata organizatione anima vegetativa educitur), per tertiam vivens sensitivum, ac tandem in postremo stadio homo, videlicet quadragesimo vel octogesimo die. En celebrem opinionem Thomistarum, quam multi etiam nostrates tuebantur, ut Suarez (2), Conimbricenses, etc., subscribentibus etiam quibusdam recentioribus, ut Liberatore, Cornoldi et Rev. Domino Farges et Barbedette (3).

Verum alii, rejecta ista successione animarum, maluerunt statim, ac foetus idoneus est ad aliquas vitales operationes eliciendas, animam rationalem creari a Deo, et infundi, quamvis primo solum vegetales functiones efficiat, scilicet ob rudiorem corpusculi organizationem, mox etiam sensitivas, ac tandem longe serius rationales. Haec fuisse dicitur sententia Magni Alberti, Scoti aliorumque veterum, quam tenuerunt multi Scotistae (4) ac nostrates, ut Theophilus Raynaudus, Compton, Hurtado, Arriaga, etc.: eademque nostris diebus communissima evasit inter Philosophos ac Theologos, ita tamen ut recentiores non solum excludant in humano foetu diversarum animarum successionem, sed praeterea censeant, rationalem animam creari et infundi a Deo, non post multos dies, sed in ipso primo conceptionis momento, prout alibi explicatum est (Cosmol. numero 317), nam praesens controversia specialis non est nisi complementum generalis controversiae de embryonis animatione in omnibus viventibus (1).

---

(1) Rosmini, *Introduzione del Vangelo secondo Giovanni*, lez. 64, pag. 193.

(2) *De anim.*, lib. 2, cap. 8; *de Incarnat.*, tom. 2, disp. 10, sect. 2.

(3) *Philosoph. scholast.*, tom. 2, *Psycholog.*, lib. 3, cap. 3, art. 2 num. 219.

(4) Vide Mastrium, *de anim.*, disp. 1, quaest. 8, num. 8.

608. Propositio I.ª **Anima rationalis tunc creatur, quando corpori est infundenda; cum vero nullo solido fundamento fulciatur opinio de successiva plurium animarum existentia in embryone, existimandum est, rationalem animam in ipso conceptionis infundi momento.**

Prima pars patet ex supra probatis (n. 578).

Secunda pars, *excludens successivam animarum existentiam in embryonis formatione*, facile probatur 1.° ex contrariarum rationum solutione. Haec enim sunt praecipua illius opinionis fundamenta: α) Non potest anima rationalis introduci in subjecto, convenientem non habente organizationem, exercendis suis virtutibus idoneam. Atqui embryo initio caret ejusmodi organizatione, cum nondum est nisi massa informis apta solum ad aliquam nutritionem, et serius ad sensationem. **Confirmatur**, quia in morte ideo anima decedit, quia corpus ineptum est ad functiones homini consentaneas peragendas.

Respond. ad argumentum α), *dist.* Major. Non potest anima introduci in subjecto convenientem non habente organizationem ad omnem suam virtutem exercendam, *nego;* ad aliquam, *conc.* Et *concess.* Minore, *neg.* conseq. Si ad infundendam anima expectanda foret organizatio sufficiens, ut ea totam virtutem suam explicaret, non esset illa creanda, donec habeat etiam organismus evolutionem sufficientem ad praebenda apta phantasmata, ex quibus intellectus species abstrahat, et intelligat: quod profecto nemo dixerit. Sufficit ergo, ut adsit organizatio vel potius dispositio materiae sufficiens ad inchoandam nutritionem, illa enim est aptum subjectum virtutis nutritivae, qua profecto pollet anima rationalis (n. 649). Idque probatur ex *Confirmatione*, quae nobis potius favet. Nam in morte anima non recedit, quamdiu potest aliquam functionem vegetativam elicere, quamvis nullam jam possit sensitivam nec rationalem.

β) *Secundum argumentum adversariae opinionis* Si germen, aptum duntaxat ad opus nutritionis, foret subjectum idoneum rationali animae recipiendae, posset illam recipere etiam germen plantae atque animalis, nam vegetandi virtute pollet etiam anima plantae cujusvis et animalis. —*Neg.* assert. Sicut enim ovulum ipsum seu principium passivum non potest foecundari nisi principio activo ejusdem speciei, ita ovum jam foecundatum seu embryo vel foetus, nequit accipere indiscriminatim quamlibet animam, sed unam determinatae speciei, capacem constituendi vivens illius speciei, a quo paratus est talis embryo.

γ) *Argumentum tertium.* Anima est actus corporis organici. Atqui in momento corporis nulla est in embryonaria cellula organizatio. **Respond.**, *dist.* Major. Anima est actus corporis organici, saltem organizatione quadam rudiori et elementari, quae principio vitali actuata sufficiat ad primas inchoandas operationes vitales, *conc.* actus corporis organici organizatione perfectiori et completa, *subdist.*: quando haec dabitur, *conc.;* ita ut nequeat actuare nisi materiam perfecte organizatam, *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

---

(1) Cfr. opus fusius, volum. 4.°, num. 151.

δ) *Argumentum quartum.* In Levitico puerperae purificari jubentur quadragesimo die, si masculum peperissent, sin autem foeminam, octogesimo. Ergo causa legis ea fuit, quod corpusculum maris quadragesimo, foeminae autem octogesimo animaretur.—**Respond.**, *neg.* conseq., quidquid aliter nonnulli senserint. Vide P. Alapide in eum locum Levitici. Et nota in contrarium etiam, jam communiter Theologos sentire, quod foetus omnes abortivi cujusvis aetatis baptizandi sint sub conditione, si vivant: quod supponit communiter judicari probabilem nostram doctrinam.

Prob. 2.° Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Atqui nulla est necessitas multiplicandi animas in embryone, cum sola rationalis sufficere valeat. Ergo...

Postrema pars propositionis probatur. Nam ex communi Physiologorum consensu statim, ac ovum seu passivum principium foecundatum est, opus fabricationis organismi per nutritionem inchoatur. Ergo agnoscenda est jam illico animae praesentia. Atqui non praecedit anima pure vegetativa nec sensitiva, ut ostensum modo est. Ergo rationalis (1).

609. PROPOSITIO 2.ª **Commentum Leibnitzii de animabus humanis initio creatis et inclusis in seminalibus corpusculis, quod nuper renovasse Rosminius videtur, multis capitibus rejiciendum est.**

Prob. 1.° quia gratis confictum est. 2.° Quia premitur iis omnibus incommodis, quibus premi ostendimus systema *involutionis germinum* (2). 3.° Praeterea ex communi hominum sensu hominis generatio consistit in junctione animae cum corpore. Atqui non talis esset generatio humana in sententia Leibnitzii, sed transformatio quaedam et augmentatio corpusculi dudum formati. Unde parentes non vere generarent, sed potius occasionem praeberent, ut corpuscula dudum producta et animam continentia evolverentur. 4.° Unde e converso non daretur vera mors in homine, quae ex communi omnium sensu consistit in separatione animae a corpore; nam in Leibnitziana sententia solum corrumperetur crassum et externum corpus, anima vero semper adhaereret primaevo corpori. 5.° Illa autem graviora sunt, quod in Leibnitziana opinione α) nec B. Virgo Maria Christum Dominum vere concepisset, quia non formasset reapse Corpus illius, nec concurrisset ad unionem animae cum corpore; β) nec e converso Jesus Christus Dominus noster vere mortuus fuisset; γ) nec daretur in fine saeculorum vera carnis resurrectio, siquidem anima nunquam se carne penitus exuisset. Quae omnia contra fidem divinam sunt. 6.° Quis denique non reprobet gratuitam illam *transcreationem* vel transformationem substantialem et specificam, qua animae, quae prius erant tantum sensitivae, in actu generationis dicuntur evadere rationales? (n. **604**) (3).

CAPUT IV

DE ANIMA RATIONALI, UT EST CORPORIS FORMA

Aggredienda jam est differentia specifica, qua rationalis anima secernitur a formis subsistentibus completis, quales sunt angeli, quae non possunt materiam informare, sicut anima humana, et si quando assumunt corpora id faciunt sicut formae pure assistentes (4).

---

(1) Cfr. Cosmol., num. 317.

(2) Cfr. Cosmol., num. 315.

(3) Cfr. opus fusius, volum. 8.°, num 236, et num. 246, 247.

(4) Cfr. Compend. volum. 3.um, 244.

ARTICULUS I

An et quo pacto anima rationalis sit forma corporis.

610. Duae quaestiones hic agitari possunt: prima de re, utrum nempe anima rationalis sit forma corporis; secunda de modo, utrum corpus informet *qua rationalis.*

I.—Utrum anima rationalis sit forma corporis.

Sententiae variae. Plato dicitur opinatus esse animam rationalem uniri corpori ut motorem mobili: quod si verum est (nam non desunt qui Platonis mentem in sano sensu interpretentur), anima se haberet respectu corporis, sicut eques respectu equi, et homo respectu vestis quam induit, et sicut gubernator vel nauta respectu navis, quatenus intelligentiae ductu, quasi clavo, corpus moveret ejusque moderaretur actiones (1). Negarunt vero diserte animam rationalem esse formam corporis, ut alios omittam, Themistius, Simplicius et Averroes, cujus separatum intellectum superius explosimus (n. 573): eademque doctrina attributa est Petro Joanni Olivi vel de Oliva, quae damnata est a concilio Viennensi, quamquam non una est de Olivi erroribus opinio criticorum (2). Post Cartesium vero Platonis opinio invaluit extra Scholasticorum cohortem: unde hominem definivit vicecomes de Bonald *intelligentiam organis utentem* (3). Antonius Günther etiam animam rationalem non concipit ut principium informatione sua *esse* aliquod substantiale tribuens corpori, sed ut spiritum quaemdam purum, ideoque ne animam quidem voluit appellare. Communis vero Scholasticorum sententia tenet animam rationalem esse formam corporis substantialem. In duobus tamen scinduntur inter se Scholastici: primo, utrum anima ita, informet materiam, ut nulla alia sit in agnoscenda forma substantialis, qua de re, in Cosmologia in actum est (n. 353 seqq.); secundo, utrum anima rationalis sit forma solum secundum gradum principii vegetativi et sensitivi, an etiam secundum gradum intellectivi principii.

611. Propositio 1.^{a} **Anima rationalis seu principium intellectivum in homine est forma substantialis corporis** (4).

---

(1) Alcinous, *de doctrina Platonis*, cap. 17; et S. Thom., 1 p. quaest. 70, art. 1; quaest. *de anim.* art. 1; *de spirit. creat.*, art. 2.

(2) Cfr. notam ad num. 570.

(3) L'homme est une *intelligence servie par des organes; les brutes au contraire, sont des organes mus par un instinct.* De Bonald, *Oeuvres*, tom. 5, pag. 23.

(4) Vide S. Thom. 1 p., quaest. 76, art. 1; *Contr. Gent.*, lib. 2. cap. 56, 68, 69, 70, 71; quaest. *de spirit creat.*, art. 2; quaest. *de anim.*, art. 3.

Prob. 1.° Nomine formae substantialis, ut constat ex Cosmologia, venit actus constituens in sua specie substantiam corpoream. Atqui anima rationalis in sua specie constituit hominem, qui corpus quoddam physicum est, specifice, immo generice, a caeteris omnibus mundi corporibus distinctum. Ergo...

Prob. 2.° Illud, unde corpus *esse* substantiale accipit, non effective, sed formaliter, dicitur, et est forma substantialis ejusdem. Atqui ab anima rationali accipit humanum corpus *esse* substantiale, nempe sensitivum vel animalis, et vegetativum seu plantae, immo et *esse* corporis (n. 353), nam non est in homine nisi una sola anima, quae principium est omnis vitae, rationalis, sensitivae, ac vegetativae, neque est praeterea ulla alia forma substantialis. Ergo anima rationalis est forma substantialis corporis (1).

Prob. 3.° Anima rationalis est *vere, per se* et *essentialiter* immediata forma corporis humani. Atqui non potest esse talis forma, nisi sit forma substantialis in sensu classico Scholasticorum. Ergo...

Major definita est in concilio Viennensi sub Clemente V et in Lateranensi V sub Leone X, quibus in locis anima rationalis seu intellectiva dicitur *vere per se et essentialiter forma corporis humani* ac postea a Pio IX in litteris ad archiepiscopum Coloniensem contra Güntheri doctrinam, eadem anima definitur *vera per se atque immediate corporis forma:* quod ab eodem Pontifice confirmatur in litteris ad episcopum Wratislaviensem, in qua damnantur Baltzeri errores (2).

Sensus porro istarum particularum is esse videtur, ut anima sit forma corporis *vere* id est, proprie ac non metaphorice; *per se*, id est, natura sua (quatenus *per se* opponitur τῷ *per accidens)* vel non occasione alterius vel sine auxilio medii alicujus (quatenus *per se* opponi potest τῷ *per aliud)*; *essentialiter*, quatenus informare corpus convenit animae secundum essentiam; denique est forma *immediata*, quatenus illa per se ipsam nulloque interveniente medio informet, contra ac Güntheriani, v. g., volebant, qui non rationalem animam seu *spiritum*, ut loquebantur, sed aliam contendebant esse fontem vitae in corpore (n. 569). Sed jam

Minor probatur. Nam *α*) in primis anima est substantia (n. 568). Deinde non potest intelligi in ecclesiasticis documentis, quod sit forma accidentalis, cujus nomine ex communi sensu non venit nisi figura vel conformatio quaedam corporea. Quis autem putet accidentalem formam significari per eam, quae dicitur *vere per se atque essentialiter forma*. β) Conciliares voces interpretandae sunt praesertim in sensu, quem tunc temporis inter disputantes de re controversa ac tandem definita prae se ferebant. Atqui vox *forma* in tempore Conciliorum significabat in scholis substantialem formam, cum potissimum Joannes Olivi ad concilium Viennense accusatus sit, quod negasset *animam rationalem esse formam corporis* (1). γ) Animam esse formam corporis in sensu Scholasticorum, egregie declaratur, dicendo eam esse *vere*, *per se essentialiter* et *immediate* formam corporis; non autem dici posset *vere* forma ejus, si esset forma pure assistens. δ) Pius IX contra Günther et Baltzer docuit animam rationalem esse principium omnis vitae in corpore. Atqui non potuit significare animam esse solum principium efficiens, quia principium pure efficiens non dicitur esse forma illius, in quo aliquid efficit. Ergo significavit esse principium simul formale, tribuens corpori *esse* substantiale viventis, et consequenter virtutem eliciendi vitales operationes: nempe intendit infallibilis Ecclesiae Magister, animam esse formam substantialem.

---

(1) Cfr. S. Thom., 1 p. quaest. 76, art. 1; quaest. *de anim.*, art. 1; *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 68, paulo post. initium.

(2) Vide apud Denzinger, *Enchiridion*, num. 409, 621, 1509, etc. Cfr. Concilium Constantinopolit. II, can. 4.°, ubi idem innuitur, apud Denzinger, num. 175.

612. Propositio 2.ª—**Anima rationalis ita corpus informat, ut nulla in eo sit alia forma substantialis, nec ipsa uniatur cum materia prima media aliqua entitate absoluta, sed immediate per se ipsam.**

Prima pars patet ex probatis in Cosmologia (n. **363**).

Secunda pars *de unione immediata* excludit *mediatorem plasticum* Cudworthi caeteraque media, per quae quidam veteres uniri animam cum corpore autumabant (2). Probatur autem, quia, anima materiae unitur ut forma substantialis ejus. Atqui forma per se immediate unitur materiae ceu actus natura sua proportionatus et destinatus ad illam perficiendam (3). Ergo... Caeterum docet S. Thomas animam rationalem, quamvis *immediate* informet, *mediate* tamen movere corpus videlicet media potentia (4).

Illud etiam probe nota per hanc nostram assertionem non excludi praevias dispositiones, quae in materia praecedere debent ad animae receptionem: mens enim immediatam animae informationem statuentium est solum negare, quod anima natura prius uniatur cum ulla alia entitate, quam cum ipsa materia.

Denique ideo in propositione excluditur disserte *absolute entitas media* inter animam et materiam primam, quia ut alias traditum reliquimus, *modus unionis* potest inter materiam et formam intercedere, quin propterea unio desinat esse vere immediata (5).

613. Objic. 1.° Inter actum et potentiam, vel formam et materiam, debet esse proportio. Atqui non est proportio inter rationalem animam et materiam primam. Ergo...

---

(1) Vide Héfélé, *Histoire des Conciles*..., trad. por M. Pabbé Délare, tom. 9, pag. 422.

(2) Apud S. Thom., 1 p., quaest. 76, art. 7; *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 71.

(3) Cfr. Compend., volum. 3.um, num. 247. Et lege S. Thom., locis proxime citatis.

(4) Lege S. Doctorem, *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 71.

(5) Vide Compend., volum. 3.um, num. 253.

Respond., *dist.* Major. Debet esse proportio entitativa, *neg.*; habitudinis sita in perfectibilitate unius per aliam, *conc.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 2.° Si anima est forma corporis, ex utroque unum componitur. Atqui ex anima et corpore nequit unum componi. Nam ex duobus actu existentibus non potest fieri aliquid unum (1); anima vero intellectualis actu existit, et similiter corpus hominis.

Respond., *neg.* Minor. Ad probation. *dist.* Major. Anima seorsim existit, et similiter corpus suis propriis existentiis, *neg.*; existunt una communi existentia, *conc.* Et *neg.* conseq. (2).

Objic. 3.° Omne illud, cujus *esse* est in materia, est materiale. Sed si anima est forma corporis, *esse* ejus est in materia. Ergo...— **Respond.**, *dist.* Major. Omne illud, cujus *esse* est in materia, si sit penitus in ea *immersum* vel *comprehensum totaliter* a materia, est materiale, *conc.*; si non sit penitus immersum, sed elevatum et excedens capacitatem receptivam materiae, *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Ut enim optime declarat rem cardin. Cajetanus (3), anima rationalis elevata est supra materiam *quoad fieri, quoad esse* et *quoad operari*: quoad *fieri*, quia utpote spiritualis creari debet, et sic *deforis* advenire, non vero educi de materiae potentia; quoad *esse*, quia non intrinsece dependet in *esse* a materia; quoad *operari*, quia quamvis secundum virtutem sensitivam et vegetativam dependeat intrinsece a materia, et sit in ea immersa, sed secundum virtutem intellectivam non dependet intrinsece ab illa, sed est penitus elevata, quia non potest materiae communicare *esse* ac virtutem spiritualem, sicut communicat sensitivam et vegetativam, quae organicae sunt. Quamvis enim anima rationalis sit entitative simplex, multiplex est virtute, et sic potest, communicata materiae virtute vegetativa et sensitiva, reservare sibi intellectivam, utpote spiritualem, cujus materia est incapax (4).

Objic. 4.° Cujus *esse* est commune corpori, oportet et operationem communem esse. Atqui si anima est forma corporis, *esse* quoque illius est huic commune. Ergo et virtus animae communis erit corpori, et sic nulla erit operatio inorganica. Quare spiritualitas animae stare nequit cum hac nostra propositione.

Respond., *dist.* Major. Cujus *esse* est corpori commune quasi totaliter in eo immersum, *conc.*; quasi non totaliter immersum, sed elevatum supra materiam, *subdist.*; omnis ejus operatio est communis, *neg.*; aliqua, *conc.*; Et *contradist.* Minore, *disting.* conseq. primum membrum secundum *subdistinctionem* Majoris. Tum *nego* alterum membrum primi conseq. et etiam secundum conseq

Objic. 5.° Id quod rei secundum se inest, semper inest. Sed formae per se inest materiae uniri. Ergo nequit forma esse nisi unita materiae. Sed anima rationalis potest esse a materia separata, cum sit immortalis. Ergo nequit esse forma corporis.

Respond., *dist.* Major. Quod inest rei secundum se, semper inest, vel actu vel aptitudine, *conc.*; actu praecise, *subdist.*; quantum est de se, *trans.*; si adsit aliunde impedimentum, quale adest in re praesenti ex corporis corruptibilitate, ne anima semper cum eo maneat unita, *neg.* Et *concessa* Minore, *dist.* primum conseq. Forma materialis, *conc.;* spiritualis, *subdist.:* ex parte sui vel quantum ex de se, *trans.*; si materia inepta fiat, ut informetur a tali forma, *neg.* Tum *neg.* alterum conseq.

---

(1) Cfr. Compend., volum, 2.$^{\text{um}}$, num. 303.

(2) S. Thom., *Contr, Gent.*, lib. 2, cap. 69, *In prima enim ratione...*

(3) In 1.$^{\text{am}}$ part., quaest. 76, art. 1, *Ad evidentiam hujus difficultatis...*

(4) Cfr. quaedam instantiae solutae in volum. 6.°, num. 241, post respons. ad *Objic. 4.°*

Instabis. Hinc sequitur duplicem statum esse animae naturalem, unionis et separationis. Atqui impossibile est duos contrarios status esse connaturales.—**Respond.**, *dist.* Minor.: simul, *conc.;* successive, *neg.*

Objic. 6.° Si anima uniretur corpori, deberet uniri propter bonum suum; non enim est forma propter materiam; utpote imperfectiorem, sed materiam propter formam Atqui anima perficit materiam, nec possibile videtur, ut perfici ab ea, vel ullum bonum percipere queat. Ergo...—**Respond.** *neg.* alterum Minoris membrum. Nam anima et perficit materiam, et perficitur ex unione cum illa, tum quia nonnisi per istam unionem potest ipsa explicare totam suam virtualitatem, videlicet quatenus est sensitiva et vegetativa; tum quia et in ordine ad intellectuales operationes juvatur ex unione, cum sic habeat phantasmata, ex quibus species abstrahat, non enim potest in hac vita intelligere sine conversione ad phantasmata (n. 241, 242).

Objic. 7.° Operatio sequitur *esse*. Atqui anima habet operationes in quibus non communicat corpus. Ergo et habet *esse*, in quo non communicat corpus, ideoque non est forma.—**Respond.**, *neg.*, conseq. Nam ex Minore solum sequitur *esse* animae non penitus immergi seu comprehendi totaliter a materia (1).

II.—Utrum anima informet materiam quatenus est rationalis.

614. **Status quaestionis.** Quamvis controversia haec magis esse videtur de nomine, Cajetanus et Ferrariensis nolunt animam corpori uniri, quatenus rationalis est: quorum doctrinam quia severius nonnulli judicarunt, P. Joannes Martínez de Prado conatus est recto sensu interpretari, et ad communem aliorum trahere sententiam. Quidquid de hoc sit, discordia nulla esse potest in hac re loquendo in sensu reali, quia certum est animam rationalem realiter eamdem esse cum sensitiva et vegetativa in homine. Solum ergo lis de hoc esse potest, utrum anima corpus informet solum secundum gradum principii sensitivi et vegetativi, quatenus hi a gradu rationalis distinguuntur ratione. Communem sententiam exprimit sequens

615. Propositio 2.ª—**Rationalis anima, qua talis, vel secundum gradum etiam principii intellectivi, est forma corporis.**

Prob. 1.° Certum est hominem, qua hominem, non minus formaliter esse rationalem, quam sensitivum vel vegetativum. Atqui homo, qua homo rationalis esse non potest, nisi quia constituitur ex anima rationali, qua rationalis est; siquidem anima, qua sensitiva, non potest constituere nisi sensitivum. Ergo...

Prob. 2.° Homo, ut homo, constituitur per aliquam animam. Atqui non constituitur homo per animam rationalem, qua vegetativam, nec qua sensitivam. Ergo... (2).

Prob. 3.° In sententia egregie redditur adaequata ratio diversitatis ingeniorum in diversis hominibus. Sola enim varietas potentiarum sensitivarum, non videtur satis explicare, cur tam varius sit in diversis individuis gradus virtutis intellectualis, ex eo nempe quod ex perfectioribus externis organis procedant perfectiores sensationes, et consequenter clariora phantasmata perfectioresque intellectuales species, cum potissimum vis et praestantia intellectus non consistat solum in fabricandis melioribus speciebus, sed etiam in certitudine judicii et acumine ac penetratione discursus. Si autem anima rationalis, qua talis, informet materiam, eique sese inmisceat, haud aegre concipitur, eam in ipsa sua spirituali substantia pro variis corporis dispositionibus varie affici, ut rationalis virtus plus minus robusta, ut ita dicam, ex illa dimanet.

---

(1) Quaedam alia in opere fusiori, volum. 6.°, num. 241. Cfr. plura alia argumenta apud S. Thom., locis cit. Et habenda prae oculis quae dicta sunt circa spiritualitatem et immortalitatem, et quae inferius dicentur circa unionem animae naturalem.

(2) Vide S. Thom., 1 p. quaest. 76, art. 1.

Unde etiam, docente S. Thoma (1) cum Aristotele, qui habet optimam corporeae complexionis compositionem, organum tactus constituentem, melioris sunt intellectus (n. 98). Quaedam objectiones solutae videri queunt in alio fusiori opere (2).

ARTICULUS II

De sede animae in humano corpore.

616. Si anima est forma corporis, sedem in eo habeat, necesse est. Quaestio autem est, utrum anima sit in toto corpore. Ut vero controversiam clarius intelligas, corpus hic bifariam accipi potest: primo pro tota illa entitate substantialiter una, quae spectat ad humanam naturam; deinde pro corpore, ut ita dicam, apparente, id est, pro hac ipsa entitate substantiali simul cum quibusdam adjectitiis substantiis, quae in eodem continentur, quaeque vel non pertinent, vel certe dubitatur, num pertineant ad ipsam substantiam veri corporis humani: tales sunt, v. gr., pili, ungues, etc. Agendum ergo est seorsim de corpore in utroque sensu

I.—An et quomodo sit anima rationalis in tota entitate corporis humani.

617. Ratio dubitandi et sententiae. Ratio dubitandi petitur ex animae simplicitate; non enim intelligitur quo pacto possit res simplex esse praesens toti extenso corpori. Hinc ut anima possit esse in toto corpore, materialistae voluerunt ipsam extensam esse. Alii vero animam certis corporis partibus addixerunt nempe Plato capiti, Epicurus et Stoici universo cordi, Diogenes arteriosae cordis caveae, et alii aliis partibus, ut videre est apud Plutarchum (3). Proximioribus temporibus Van Helmont animam in pyloro reclusit, Malebranche in toto cerebro, alii in variis ejus partibus, ut Lancisius ac de la Peyronié in corpore *calloso*, et Cartesius, quem multi secuti sunt, in conario seu *glandula pineali* (4). At communis Patrum, Scholasticorum et catholicorum scriptorum sententia docet, animam *secundum suam entitatem* esse totam in toto corpore cunctisque partibus ad illud vere pertinentibus, *secundum virtutem* tamen non esse totam in singulis partibus. Quare animae convenit praesentia definitiva in toto corpore (5).

---

(1) 1 p., quaest. 76, art. 5 fin. corp.
(2) Volum, 6.°, num. 244.
(3) *De placit. Philos.*, lib. 4, cap. 5.
(4) Vide haec fusius exposita in volum. 6.°, num. 248.
(5) Cfr. Compend., volum. 3.^{um}, num. 209.

618. Propositio 1.ª—**Anima rationalis quoad individuam suam essentiam vel substantialem entitatem tota est in toto corpore ac in qualibet parte (1); at secundum virtutem non est tota in toto corpore, sed principalius residet in cerebro et in corde.**

Prima pars prob. 1.° Anima rationalis est in toto eo, cui vere tribuit speciem tamquam substantialis forma. Atqui tribuit speciem toti copori ac singulis partibus vere ad illud pertinentibus. Ergo...

Minor probatur, quia et corpus integrum et partes ejus ita in suo *esse* per animam constituuntur, ut specifice differant non solum ab aliorum viventium corporibus, sed etiam a corpore ac partibus hominis mortui, nam corpus animatum capax est operationum vitalium, quarum penitus incapax est corpus mortuum. Unde veteres dicebant, hominem vel animal mortuum non ita vocari nisi *aequivoce*, et similiter manum, oculum, etc., mortui hominis.

Prob. 2.° Cum anima sit fons totius vitae in homine (n. **570**), debet informare totum illud quod vivificat. Atqui vivificat totum corpus (2).

Secunda pars constat 1.° experientia. Nam virtus videndi, audiendi etc., non exercetur id toto corpore, sed tantum in quibusdam organis. Ergo in illis solis inesse dicenda est. 2.° Virtus omnis sensitiva et vegetativa organica est, ut supra probatum reliquimus. Ergo pro sua specifica ratione varias requirit dispositiones et organicam conformationem. Atqui non eamdem ubique habet corpus humanum organizationem ac dispositiones ad receptionem virtutis animae. Ergo...

Postrema pars non est minus evidens, quia in cerebro et corde majorem anima exserit virtutem, quam in reliquo corpore; cerebrum enim est organum praecipuum et centrum vitae sensitivae, cor autem vitae vegetativae, ut ex superius disputatis innotescit (n. **15, 52**). Et hoc solum fortasse significare voluerunt veteres illi, qui sedem animae in cerebro et corde constituerunt, videlicet eam esse praecipuam sedem, in qua magis suam virtutem exserit.

Caeterum hoc spectat ad perfectionem animae rationalis, ut requirat diversa organa, per quae multiplicem suam exerceat virtutem. Nam *quanto... aliqua forma est nobilior ac simplicior, tanto est majoris virtutis. Unde anima quae est nobilissima inter formas inferiores, etsi simplex sit in substantia, est tamen multiplex in potentia et multarum operationum: unde indiget diversis organis ad suas operationes complendas, quorum diversae animae potentiae proprii actus esse dicuntur, sicut visus oculi, auditus aurium, et sic de aliis. Propter quod animalia perfecta habent magnam diversitatem in organis, plantae vero minimam* (3).

619. **Objic. 1.°** Si vere anima esset tota in toto corpore, esset replicata, nam animae simplici sufficiens locus est in puncto simplici. Atqui replicatio naturaliter repugnat, ut probatum est in Cosmologia de corporibus.—**Respond.,** *neg.* Major., nam replicatio est praesentia rei in multis locis adaequatis; locus autem adaequatus animae est totum corpus, quod informat et vivificat.

Objic. 2.° Quod est in alio, est ad modum ejus, in quo est; quidquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur. Sed modus corporis est extensus. Ergo extenso modo est anima in illo.

Respond., *dist.* Major.: praecise secundum naturam et modum entitativum subjecti, *neg.*; secundum ejus capacitatem receptivam, *concedo*. Et *concessa* Minore, *neg.* conseq. (1).

---

(1) Vide S. August. (*De Trinit.*, lib. 6, cap. 6; *Contr. epist. Fundamenti*, cap. 16; *De agone christ.*, cap. 20; *De immnortalit. anim.*, cap. 6); S. Thom. (1 p., quaest. 76, art. 9; *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 72; quaest. *De spirit. creat.*, art. 4; quaest. *De anim.*, art. 10; 1.° dist. 8, quaest. 5, art. 3).

(2) Vide plura in opere fusiori, volum 6.°, num. 249, *Prob. 3.°*

(3) S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 72, prop. fin.

Objic. 3.° Si anima esset tota in toto corpore, et tota in singulis partibus, unaquaeque pars, v. gr., oculus, digitus, etc., foret animal et homo, nam constat anima rationali et corpore organico. Atqui hoc absurdum est.—**Respond. 1.°**, *retorqueo* argumentum, nam idem ob eamdem rationem dicendum esset de cerebro, corde, glandula pineali.—**Respond. 2.°**, *neg.* Major. Nam homo non est nisi compositum ex anima rationali et tota illa materia, in qua et conservari ipsa potest, et suas potentias et passiones naturae suae debitas habere.

Objic. 4.° Si anima esset in qualibet parte, intellectus esset in pede, quia anima est in pede, intellectus vero in anima. Atqui hoc absurdum videtur.

Respond. 1.°, *neg.* anteced. et probation., quae est syllogismus habens quatuor pedes.—**Respond. 2.°** posset *concedi* Major, quin ullum sequatur absurdum. Intellectus tamen non operatur nisi quatenus est in cerebro, ubi sunt phantasmata, ex quibus abstrahit species, quaeque comitantur operationem intellectus.

Objic. 5.° Si anima est in qualibet parte corporis, movebitur simul motibus contrariis, vel movebitur simul et quiescet, v. gr., si unam manum attollas, alteram deprimas, vel quiescentem teneas.

Respond., *dist.* assert.; movebitur per se, seu ratione sui, motibus contrariis, etc., *neg.*; per accidens, vel ad motum corporis, quod informat, *conc.*; in hoc enim nulla est repugnantia.

Instabis. Si anima esset tota in qualibet parte, hac praecissa, vel corrumperetur illa, vel retraheretur ad reliquum corpus, et sic per se movebitur. Et contrarium accideret, augescente per nutritionem corpore.

Respond., *neg.* assert. Nam anima in praedictis casibus reapse non movetur, sed tantum vel desinit informare, vel incipit informare partem corporis sine motus ullius necessitate.

Objic. 6.° Intelligi nequit, quo pacto actus simplex sit in subjecto extenso; eo enim ipso diffusus esse videtur, atque adeo extensus.—**Respond.**, *neg.* assert. Quamvis enim imaginatione repraesentare nesciamus rem, mente tamen ac ratione evidenter capimus ita debere esse, quia corpori extenso *esse* tribuere debet anima, non quidem in genere causae efficientis, sed formalis. Itaque sicut auctoritas et jurisdictio principis, una cum sit et simplex, ad plura loca se extendit, ita anima diffunditur per corpus non extensiva diffusione, cujus incapax est ex defectu partium, sed diffusione realis praesentiae. Simili modo Deus praesens est totus cunctis rebus locisque ac partibus eorum, quamvis simplicissimus sit entitative.

Objic. 7.° Magis conveniunt inter se corpora duorum hominum, quam partes dissimilares, v. g., cerebrum et cor ejusdem hominis. Atqui eadem anima inesse non potest duobus corporibus. Ergo neque diversis partibus ejusdem.

Respond., *dist.* Major. Magis conveniunt, etc., secundum entitatem, *conc.*; secundum habitudinem, *neg.* Nam anima cum sit virtute multiplex, habet efficacitatem sufficientem, ut informet ac det esse partibus heterogeneis ejusdem corporis; non autem, ut informet duo corpora.—Quaedam alia in opere fusiori (2).

---

(1) Vide S. Thom., quaest. *De anim.*, art. 10, ad 14.^{um}

(2) Volum. 6.°, num. 251.

II.—Utrum omnes partes intra humanum corpus contentae animentur.

620. **Status quaestionis.** Multae sunt in humano corpore partes: aliae solidae, ut musculi, ossa, nervi, etc.; aliae fluidae, ut sanguis, saliva, lac, bilis, succus gastricus, etc. Quaedam harum adeo manifeste vivunt vita sensitiva et vegetativa, adeo evidenter spectant ad corporis humani integritatem, quod sine illis mancum prorsus ad omnibus jūdicaretur, ut dubitari nequeat, quin anima informentur: tales sunt musculi, nervi variaque organa et membra, quae ita humanum corpus constituunt, ut vel ex ipsius conscientiae testimonio prodantur ceu sedes sensationum, vel certe manifeste vegetant, et physica unione continuativa communicantur cum partibus sentientibus. Aliae e contrario tales sunt, in quibus nec ulla est organizatio, nec signum vitae, ut sudor, urina et faeces aliae. De his omnibus nulla est controversia: priores certissime animantur, non autem posteriores. Aliae sunt, de quarum animatione disputant viri docti: quaedam solidae, ut ossa, dentes, capilli, ungues, quae tanquam appendices corporis humani videri possunt; quaedam liquidae, in quarum numero recensebantur sperma et lac, et quatuor illi notissimi *humores*, sanguis phlegma vel pituita, et duplex bilis, flava et atra. Nunc divisio haec humorum obsoleta est, sed multi alii liquores agnoscuntur a Physiologis; nam praeter sudorem et urinam et sanguinem plures alii elaborantur ab organismo per secretionem ope glandularum, ut saliva, lacrymae, succus gastricus et intestinalis ac pancreaticus, bilis, lympha, chylus, animale sperma, lac..., quos omnes liquores specie distinctos esse constat ex eorum chimica compositione, usu, fine. De his omnibus plus minus disputabatur apud veteres. Nos autem solum intendimus de solis memoratis solidis agere.

Sententiae. Et primo quidem circa ossa, communis opinio asserebat illa animari; idemque communius de dentibus affirmabatur. Quod ungues et capillos vel pilos barbamque attinet, alii affirmabant, alii negabant, alii cum S. Bonaventura et Durando contendebant quidem animari, non tamen anima rationali, sed anima speciali vegetativa, ideoque censebant ungues et capillos, etc., se habere in humano corpore, fere sicut herbae in solo, vel sicut parasiti in alieno corpore habitantes. Eaedemque controversiae, quae de unguibus et pilis hominum, agitabantur de setis, crinibus, lana, plumis, itemque de aculeis herinaceorum, squamis piscium, rostris et cornibus, etc.

621. PROPOSITIO 2.ª **Omnes illae partes corporis humani, in quibus aliqua operatio vitae, vel mere vegetativae, deprehenditur, anima rationali informari dicendae sunt: quare ossa, dentes, ungues, pili et capilli eadem anima informari omnino videntur.**

Prima pars probatur, quia nulla est operatio vitae sine anima. Atqui in humano corpore non datur nisi una anima, eaque rationalis (n. 570). Ergo in quacumque parte, ad corpoream substantiam pertinente, operatio aliqua vitalis cernitur, in ea residere rationalis anima dicenda est. Hinc animantur tendines, venae, cartilagines, variae membranae, pellis..., in quibus et nutritionis signa et physica continuatio, saltem imperfecta, cum caeteris corporis partibus patescunt.

Secunda pars probatur, quia in praedictis omnibus partibus adest contextus cellularis et organizatio quaedam, et nutritionis operatio et incrementum cernitur; ut omittam nunc illam controversiam, utrum ossa et dentes vere sentiant, doloremque experiantur, an vero sensationes, quas in hisce partibus experiri videmur, ad partes alias vicinas pertineant. Verum haec innuisse hic sufficiat: fusius tractata et ab objectis vindicata videre potest, qui volet, in alio opere (1).

---

(1) Volum. 6.°, num. 252, 256.

III.—Utrum sanguis animetur.

622. Haec erat praecipua veterum controversia circa humores intra humanum corpus contentos. Nam sperma vel semen animale et lac communior opinio negabat esse animata; de quatuor autem illis, quos nuper innui, humoribus, quamvis acerrime disputarent, tamen generatim quod quisque de sanguine tenebat, idipsum de illis affirmabat. Circa sanguinem vero in duas sententias dividebantur Philosophi et Theologi (1), aliis ajentibus, negantibus aliis animatum esse sanguinem. Cum enim tantum sit in humano corpore momentum et pretium sanguinis, ex quo illius pendat vita, cumque nos suo sanguine Christus Dominus redemerit, et laverit a peccatis nostris (2), Theologi occasionem arripuerunt, in libris *de Incarnatione* et *Eucharistia*, quaestionem hanc pertractandi. Verum argumenta hinc inde allata nondum potuerunt rem satis eliquare, sed utramque opinionem in sua probabilitate relinquunt. Nec vero recentiores Physiologi, quamvis constantissime sanguinis studio incubuerint, quidquiam invenerunt, quod ad finem antiquae controversiae imponendum valeat. Sane sanguinis compositionem minutatim declarant, illum esse corporis nutrimentum docent, virtutemque globulorum sanguineorum ad vivificandum organismum experimentis demonstrant: quin etiam nonnemo scripsit animationem sanguinis esse communem nostrae aetatis Physiologorum sententiam; sed id non omnino verum est, saltem in sensu, quo praesens controversia inter Philosophos agitatur. Nam inter Philosophos et Theologos quaeritur, utrum sanguis, et quidem *totus*, animetur *anima rationali;* sed recentiores, saltem generatim de hoc non curant, sed solum contendunt *sanguinis hematicos globulos* esse cellulas viventes, immo plures sunt, ac nominatim Henricus Milne Edwards, Colin et Le Bon, qui putant eos esse *organitas* seu parva corpuscula *vita sua individuali viventia*: quam sententiam in Cosmologia refutavimus (n. 378 seqq.), cum excluderemus *colonistarum* theoriam. Controversiam praesentem de sanguinis animatione agitare hic non possumus, ne volumen hoc nimium excrescat; illam fuse pertractatam, expensis argumentis in utramque partem afferri solitis, videat, qui velit, in alio opere (3).

ARTICULUS III

Quae qualisque unio inter animam rationalem et corpus intercedat.

623. Status quaestionis. Si anima rationalis est forma corporis unionem aliquam cum hoc ineat, necesse est, eamque non accidentalem, sed substantialem (4), secundum ea quae alibi statuta sunt generatim de unione formae substantialis cum materia prima (5). Hanc ergo unionem magis nunc declarandam assumpsimus propter summum rei momentum.

---

(1) Vide, si lubet, in opere fusiori, volum. 6.°, num. 256.
(2) *Apocal.*, cap. 1, vers. 5.
(3) Volum. 6.°, num. 256, 259.
(4) Variae divisiones rationesque unionis declaratae videri queunt in Compend, volum. 3.°, num. 246.
(5) Compend., volum. 3.°, num. 247.

I.—Utrum unio animae cum corpore sit naturalis et personalis.

Ante responsionem nota unionem personalem hic non sumi pro *hypostatica*. Hypostatica unio in eo sita est, quod una persona qualis est v. g. persona Verbi, assumat extraneam naturam, eamque suam faciat, et possideat operationes illius eliciendo, et passiones suscipiendo tamquam verum subjectum *quod* (1). Hic vero unio personalis intelligitur unio duarum partialium substantiarum (quae non sint seorsim personae) ex qua resultet una persona, unum vere subjectum *quod*, sicut nomine naturalis venit ea, ex qua duae partiales substantiae coeunt in unam naturam seu commune principium operationum.

624. PROPOSITIO 1.ª—**Unio animae rationalis cum corpore est non solum personalis, sed etiam naturalis, ac proinde vere substantialis, ex qua nimirum existit una persona et una natura, unaque per se ac simpliciter substantia composita, homo.**

Prima pars: *Est personalis*, probatur. Unio animae cum corpore est vere personalis, si uni eidemque subjecto tribuatur quidquid sive ad animam sive ad corpus spectat. Atqui ita se res habet. Ergo...

Minor probatur α) ex communi hominum sensu; persona enim exprimitur per pronomen *Ego*. Atqui ad idem τό *Ego* referunt omnes quae ad animam (ut v. g.: *Ego intelligo, volo, Philosophiae operam navo*, etc.), et quae ad corpus pertinent (ut v. g.: *Ego*, idem qui intelligo *vulneratus sum, sedeo, in media platea corrui, capite doleo*, etc.) Ergo... **Confirmatur**, quia ex eo solum, quod vestis tua comburatur, vel calcei lacerentur, etc., diceres: *Ego cremor, Ego discerpor*, etcetera, ridereris sane. Cur? quia alterum est suppositum tuum, et alterum suppositum vestis et calceorum, quorum actiones et passiones non sunt profecto *tuae*.

β) Idem probatur ex testimonio conscientiae, quae corpus refert ut vere *suum*, et pariter animam, non autem ut aliquid a *se alienum*.

γ) Idem confirmatur ex doctrina Ecclesiae; Quia sicut eidem subjecto ac Personae Verbi tribuuntur in Christo, quae ad divinam et humanam naturam pertinent, ita etiam de eodem praedicantur, quae sunt corporis et animae sanctissimae Humanitatis. Unde in symbolo Athanasiano Christus Dominus praedicatur *perfectus Deus et perfectus homo*, **ex anima rationali et humana carne subsistens...** *Nam sicut* **anima rationalis et caro unus est homo**, *ita Deus et homo unus est Christus.*

Secunda pars: *Est naturalis*, est contra eos, qui nolunt agnoscere in homine vel animali operationes *conjuncti*, sed tantum animae solius aut corporis.

---

(1) Cfr. Compend., volum. 2.^{um}, num. 310.

Prob. 1.° Natura est principium operationis. Atqui ex unione animae cum corpore resultat principium operationum, quae neque ab anima solunt effici possunt, neque a solo corpore, nempe vegetationis et sensationis (n. 159, 17, 21, 128). Ergo.

Prob. 2.° a priori. Omne *esse* specificum est natura quaedam seu principium consentanearum operationum. Atqui ex unione animae cum corpore resultat in composito novum *esse* specificum (n. 611). Ergo..

Prob. 3.° Certum est animam rationalem experiri ut *suas* affectiones corporeas, v. g., dolorem ex vulnere vel abscissione organi. Atqui hoc impossibile est explicare, nisi ex anima et corpore unum exurgat operationum et passionum principium. Ergo... (1).

In alio sensu etiam est naturalis unio animae, quatenus ex ipso naturae instituto peragitur tamquam fructus generationis naturalis, non autem violenter nec contra naturam, nec ob poenam peccati alicujus (n. 279), ac proinde praeter primam ac directam Creatoris intentionem. Anima enim est complementum, quod materia sufficienter praeparata exspectat, corpus autem est subjectum, quod anima requirit ad exercendam evolvendamque suam totam virtutem, ita ut anima nisi corpori uniretur, non posset potentias suas vegetativas et sensitivas explicare. Immo vero nec intellectum potest anima in praesentis vitae statu exercere sine corporis dependentia et adjumento (n. 246, seqq.). Quamobrem unio animae rationalis cum corpore est in bonum utriusque.

Tertia pars: *Est substantialis*, est contra quosdam recentes Philosophos, qui concedunt quidem ex anima et corpore unam naturam existere, non vero *unam* vere substantiam (2).

Prob. 1.° Ex unione animae cum corpore resultat una natura composita, ut modo probatum est. Atqui nec est ulla realis differentia inter naturam et substantiam, nec possibile est ex multis actu substantiis unam vere naturam existere (3). Ergo aut negandum est ex anima et corpore resultare unam naturam, aut asserendum est etiam resultare unam per se substantiam.

Prob. 2.° Animus humanus sentit ut *suas* affectiones corporis. Atqui id fieri nequit, nisi animus uniatur cum corpore ad unum aliquid substantiale constituendum: intelligi enim non potest, quomodo sentiatur ut *suum*, quod neque est identicum neque cum sentiente unitum in unitatem substantiae.

Prob. 3.° Nihil potest alteri unione sua speciem tribuere, nisi unum cum eo efficiatur nam non specificat agendo in ipsum, sed per intimam sui communicationem, id est, in genere causae formalis. Atqui anima unione sua speciem tribuit corpori. Ergo...

---

(1) Vide S. Thom., 3 p., quaest. 2, art. 1, ad 2.um

(2) Vide cl. P. Palmieri, *Anthropol.* thes. I, part. 2; thes. III, part. 2. Cfr. opus nostrum fusius, ubi haec sententia magis enucleatur, vol. 6, num. 260, *Tertia pars propositionis*.

(3) Vide Compend., vol. 2.um, num. 302, 303.

625. Caeterum planum est, ut praedicta unio intercedere queat, requiri convenientes dispositiones in materia. Siquidem inter actum et potentiam requiritur proportio talis, ut illa possit hanc perficere, haec vero ab illo perfici. Atqui materia nuda ex se non habet ejusmodi proportionem, nisi praevie disponatur. Hinc generatim ad introductionem, cujusvis formae praecedere solent mutationes variae accidentales in subjecto. Et e converso ex defectu istarum dispositionum in materia occurrit interitus formae in compositis et mors in homine. Quae causa est etiam, cur anima rationalis nunquam creetur et infundatur, nisi materia rite praeparetur a parentibus.

626. **Objic. 1.°** Persona humana constituitur ex sola anima. Ergo humana persona non resultat ex unione animae cum corpore. **Prob. anteced.** α) Anima vocatur ab Apostolo homo interior seu *qui est intus* (1). β) Anima humana subsistet extra corpus, cum sit immortalis. Atqui nihil potest subsistere nisi suppositum vel persona. γ) Demum corpus dici solet instrumentum animae, at instrumentum non unitur principali agenti in unitatem personae.

Respond, *neg.* anteced. **Ad probat.** α) *dist.* assert.; in sensu proprio, *neg.;* per synecdochen, sumendo partem pro toto, *conc.* **Ad probat.** β) **respond 1.°**, argumentum solum probare ut summum, quod anima separata personae rationem habeat. **Respond. 2.°**, *dist.* Minor.: nihil potest subsistere nisi suppositum, si sit completum in natura, *conc.*; si sit incompletum et pars speciei, qualis est anima rationalis, *neg.* (2). Utrum autem anima separata possit dici *semipersona*, ut vult Cajetanus, est quaestio de voce, ac pendet ab illa quaestione, utrum anima cum separatur a corpore, mutet modum essendi: de quo forte inferius nonnihil dicemus. **Ad probat.** γ) *dist.* Major.: corpus dicitur instrumentum conjunctum animae, *conc.*; separatum vel externum, *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. (3).

Objic. 2.° Quidquid advenit alicui habenti *esse* in se subsistens, advenit accidentaliter. Atqui corpus advenit animae in se subsistenti. Ergo corpus advenit animae accidentaliter, ac proinde unio utriusque non potest esse naturalis nec substantialis.

Respond., *dist.* Major.; si advenit tamquam forma determinans modum essendi, *conc.*; si advenit tamquam subjectum *esse* specificum accipiens ab illo, cui advenit, *neg.* Et *contradist.* Minor., *nego* conseq.

Objic. 3.° Si anima et materia constituerent unam naturam unamque substantiam, invicem confunderentur Atqui hoc absurdum videtur. Ergo...

Respond., *dist.* Major.: invicem confunderentur, id est, intime permiscerentur, et mutuo se pervaderent atque afficerent, *conc.;* una in alteram converteretur, vel utraque periret, ut tertium quiddam resultaret, in quo jam nec anima nec materia actu extarent amplius, *neg.* Et *contradist.* Minore *neg.* conseq. Nam unio animae cum corpore non est unio elementorum in mixto, sed unio actus et potentiae (4), mutuam afferens penetrationem, mutuumque influxum, non quidem in genere causae efficientes, sed in genere causae formalis, per intimam sui communicationem, ex qua ita se mutuo afficiunt, ut et affectiones animae redundent in corpus, ut cum quis ex apprehensione, v. g., mali sudat, tremit, lacrymatur, etc.; et e converso affectiones per se solum tangentes materiam et corpus, in ipsam animam influant profundissime, ut cum videmus ex morbis aerumnisque corporis animam deprimi, et segniorem reddi ad operandum etiam per spirituales potentias (1).

---

(1) I *Corinth.* cap. 4, vers. 16.
(2) Vide S. Thom., 1 p. quaest. 75, art. 4, ad 2.^{um}
(3) Vide S. Thom., 3 p. quaest. 2, art. 6, ad 4.^{um}
(4) Cfr. Compend., volum. 3.^{um}, num. 247.

Objic. 4.° Nequit esse naturalis unio, quae tota cedit in bonum materiae, formam autem ipsam maxime deprimit. Atqui ejusmodi est unio animae rationalis cum corpore. Ergo...—**Respond.**, *disting.* Major. Si formam deprimat, quin ullum ei bonum afferat, *conc.;* secus, *neg.* Nam sine unione cum materia non posset virtutem suam sensitivam et vegetativam explicare.

Instabis. Naturalis esse nequit unio, quae formam impedit, ac retardat a perfectione suae operationis. Atqui anima rationalis unione sua cum materia impeditur a perfectione intelligendi. Etenim anima unita non potest intelligere nisi per conversionem ad phantasmata, separata vero intelligit sine ista conversione: qui modus intelligendi longe perfectior est.

Respond., *neg.* Major: Non est naturalis unio, per quam impeditur forma a perfectione suae operationis pro tempore, quo formae convenit talis perfectio operationis, *conc.;* pro tempore, quo paulatim disponi debet ad perfectiorem operationem, *neg.* Et *contradist.* Minor., cujus probationem pariter *dist.;* perfectius est absolute intelligere per conversionem ad pure intelligibilia, praecisis phantasmatis, *conc.;* perfectius est pro anima, *subdist.;* in statu separationis, *conc.;* in unionis statu, iterum *disting.;* perfectius quidem, sed indebitum, ideoque non naturale, *conc.;* perfectius et simul naturale, *neg.* (2).

II.—Ratio formalis et variae causae unionis declarantur.

627. Causae unionis, sicut cujuslibet alterius rei, **quatuor distingui, possunt:** *finalis*, *efficiens*, *formalis*, *materialis*. De finali nihil necesse est dicere, quia finis unionis est compositum humanum constituere. De caeteris ergo breviter agendum, et primo quidem

A) DE CAUSA FORMALI. Causa formalis unionis proprie nulla est, nempe in sensu physico, quia non componitur ex materia et forma. Itaque solum agitur hic de causa formali impropria et metaphysica, id est, de ipsa formali ratione unionis. Quae, ut constat ex alibi probatis (3), videtur reponenda in entitate pure modali, quae probabilius unica est, non duplex; quia necesse non est fingere duos modos, alterum se tenentem ex parte formae, alterum ex parte materiae, cum sufficiat unus ad utramque vinciendam. Si autem quaeras,

Utrum materialis sit, an vero spiritualis modus unionis inter animam et materiam; probabilius videtur esse materialis ac divisibilis, itemque distincta ab actione, qua creatur ipsa anima, prout probatur in opere fusiori (4).

628. B) CAUSA MATERIALIS SEU SUBJECTUM UNIONIS ANIMAE RATIONALIS CUM CORPORE. Sermo est de subjecto sustentationis, ex cujus potentia unio educatur. Et in primis materia vel corpus esse subjectum ejusmodi unionis, eruitur ex hujus nuper asserta materialitate. Utrum autem eadem unio recipiatur etiam in anima, controvertitur: multi negant eam recipi in anima *tamquam in subjecto sustentationis*, aliis tamen affirmantibus (1). Ex iis vero ipsis, qui negant animam esse subjectum sustentationis, alii putant unionem in ea esse tamquam in termino intrinseco vel subjecto purae adhaesionis, alii vero concedunt eam esse tamquam in subjecto purae informationis (2).

---

(1) Vide haec fusius declarata in opere fusiori, volum. 6.°, numerus 263, 264. Et lege S. Thom., *de verit.*, quaest. 26, art. 10; art. 6, ad 8.um

(2) Quaedam alia in opere fusiori, volum. 6.°, num. 262.

(3) Cfr. volum. 3.um, num. 253.

(4) Volum. 6.°, num. 265.

629. C) CAUSA EFFICIENS UNIONIS ANIMAE CUM CORPORE, saltem aliquo modo, est ipse homo generans. Certum enim et exploratum est, quod parentes generent filios, Atqui generatio hominis habet pro formali termino *quo* unionem animae cum corpore vel, si mavis, animam unitam. Ergo homo generans in aliquo vero sensu est causa efficiens unionis. **Minor probatur,** quia terminus totalis *qui* generationis est compositum humanum, in quo non est nisi materia, forma et unio (3). Atqui homo generans non potest generare materiam nec animam, quae sunt terminus creationis. Ergo ut homo generet hominem, debet saltem aliquo modo causare unionem. Si autem quaeras quo pacto causet unionem homo generans, duae possunt esse rationes rem explicandi: *prima*, parentes generantes, materiam disponendo, videlicet ovulum praeparando ac foecundando, ad eum producere statum, ut sit subjectum idoneum animae, naturaliter postulans illius creationem et infusionem a Deo factam. Hoc pacto homo generans solum moraliter causat unionem: quod tamen satis est, ut vere causa illius dicatur. Et nihil amplius videtur S. Thomas in pluribus locis requirere (4). *Secunda ratio rem explicandi* praeter hanc moralem causalitatem tribuit generanti physicam causalitatem in ipsam unionem ope virtutis principio saltem activo generationis impressae. Quae sententia non videtur improbabilis, ut ostenditur in opere fusiori (5).

Disputatum etiam fuit, utrum homo generans, sit causa adaequata, inter creatas, unionis, nam non defuit, qui diceret ipsam animam rationalem posse unionem sui cum corpore perficere. Verum hoc negat communis Scholasticorum sententia (6).

III.—Excluduntur praeposterae unionis anima cum corpore explicationes.

630. Ex praejecta doctrina possunt, ac debent breviter confutari praeposterae quaedam explicationes unionis animae rationalis cum corpore. Et primo quidem

A) SENTENTIA PLATONIS fuit, animam corpori uniri tamquam motorem mobili (n. 617).

PROPOSITIO 2.ª **Anima rationalis, quamquam movet etiam corpus mediis potentiis, nequit tamen dici corpori uniri ut motor mobili.**

Prima pars: *Anima movet corpus suum mediis potentiis* ex eo innotescit, quod potentia motiva triplex distinguitur, *directiva, imperativa et executiva* (n. 53); et per eas animam corporis motus moderari, experientia ipsa compertum habemus.

---

(1) Cfr. Compend., volum. 2.um, num. 283.

(2) Cfr. opus fusius, volum 6.°, num. 266.

(3) Cfr. Compend., volum 3.um, num. 222.

(4) Vide v. g. *de potent.*, quaest. 3, art. 9, ad 6.um; 1 p. quaest. 118, art. 2, ad 4.um, *Contr. Gent.* lib. 2. cap. 89; 2.° dist. 18, quaest. 2, art. 1, ad 4.um; *Compend. Theolog.*, cap. 93 fin.

(5) Volum. 6.° num. 168, 169.

(6) Vide opus fusius, volum: 6.°, num. 270.

Secunda pars: *Anima non unitur corpori, ut motor mobili* probatur 1.° quia *mobile non sortitur speciem a suo motore* (1). Atqui corpus humanum sortitur speciem ab anima (n. **570** *Prob. 1.°*) 2.° *Mobile non habet esse per suum motorem* (2). Atqui corpus humanum accipit *esse* sensitivum, vegetativum et ipsum esse corporis ab anima (n. **570**) 3.° *Mobile neque generatur per applicationem mobilis ad ipsum, neque per ejus separationem corrumpitur* (3). Atqui corpus humanum generatur per animae unionem, corrumpitur per separationem. 4.° Anima unitur corpori ut actus et forma substantialis ejus. Atqui motor non est actus nec forma mobilis.

631. B) SYSTEMA MALEBRANCHII vocatur *assistentiae* vel *causarum occasionalium*, in eo situm, quod anima ideo dicatur corpori uniri, quia praesens eidem assistit, quin agat in illud quidpiam, nec corpus in animam, sed solus Deus occasione harum vel illarum impressionum in corporeis organis efficiat in anima has vel illas perceptiones et appetitiones, et vicissim occasione harum illarumve perceptionum et appetitionum solus Deus excitet in corpore hos aut illos motus (4).

632. PROPOSITIO 3.ª **Absurdum est systema occasionalismi vel assistentiae.**

Probatur. Systema istud α) innititur occasionalismo, qui suo loco rejectus est (5). β) Non explicat, sed destruit veram unionem animae cum corpore, nam praesentia non est unio. γ) Nec admittit, nec explicare potest, quo pacto ex unione animae cum corpore resultet una natura unaque persona. δ) Contradicit conscientiae testanti manifeste animam nostram agere et pati multa in corpore ac cum corpore. ε) Nec explicare potest finem, propter quem anima uniri debeat cum corpore. Non enim debet uniri *ut sit*, quia potest sine illo esse, utpote spiritualis: *non ut operetur*, quia nihil ipsa operari dicitur, sed solus Deus.

633. C) CARTESIANUM ET LOCKIANUM SYSTEMA INFLUXUS PHYSICI. Non inquirimus, utrum detur physicus influxus inter animam et corpus: illum enim dari probavimus supra (n. **626**, in respons. ad *Objic. 3.°*), tamquam necessario consequentem ex mutua utriusque communicatione *formali*. Cartesiani autem et Lockiani ponunt *efficientem* influxum animae in corpus et corporis in animam, et praecise per hanc mutuam actionem haec inter se formaliter uniri (6). Siquidem, existentibus quibusdam motibus in corpore, v. g. impressionibus organorum periphaericorum, excitatur anima et determinatur ad sentiendum, et vicissim existentibus quibusdam volitionibus in mente, determinantur certi motus et actiones in corpore: et sic anima et corpus invicem influunt, ac dependent mutuo in suis actionibus. Et in hoc consistit eorum unio.

634. PROPOSITIO 4.ª **Unio animae cum corpore formaliter consistere nequit in mutuo influxu, qualis a cartesianis propugnatur.**

Prob. I.° In hoc systemate anima et corpus supponuntur in homine seorsim duae substantiae completae ac subsistentes. Atqui non sunt duae hujusmodi substantiae, sed una composita, itemque una natura et persona (n. **624**). 2.° Influxus mutuus cartesianorum nihil habet, quod non possit reperiri in artificiali et prorsus externa partium unione. 3.° Ut anima corpus, corpus animam determinare ad agendum valeat, necessaria est praevia eorum unio. Ergo haec nequit formaliter stare in praedicto actionum commercio cum dependentia mutua. **Prob. antec.** Nam corpus est substantia materialis, anima vero spiritualis. Atqui non intelligitur, quo pacto materiale in spirituale agere queat, nisi supponatur intime cum eo conjunctum. Hinc perpetuae cartesianorum anxietates, quaerentium *pontem*, per quem anima ad intuenda corpora transeat. Deinde vero conscientia testatur corpus a nobis sentiri ut aliquid *nostrum*. Atqui hoc supponit praeviam unionem. 4.° Addi queunt probationes contra Platonem factae (n. **630**).

---

(1) S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 57, *Amplius, mobile...*

(2) S. Thom., loc. nup. cit. *Adhuc mobile...*

(3) S. Thom., loc. nup. cit., *Item, mobile...*; ubi plura, si vis, require.

(4) Malebranche, *Recherche de la verité*, lib. 6, part. chap. 3.

(5) Vide Compend., volum. 2.um, num. 462.

(6) Cfr. opus fusius, volum. 6.°, num. 275.

635. D) SYSTEMA LEIBNITZIANUM HARMONIAE PRAESTABILITAE non aliam agnoscit inter animam et corpus unionem praeter harmonicum consensum utriusque operationum eo modo, ac si ex communi aliquo vinculo atque influxu procederent, quamvis nullum ejusmodi reapse vinculum detur. Nam in systemate harmoniae praestabilitae anima ita dicitur a Deo creata, ut vi sibi propria sine corporis vel alterius externi principii influxu producat omnes perceptiones atque appetitiones continuata serie, et similiter corpus ex se ac vi structurae suae determinatum est ad efficiendam continuatam seriem motuum, perceptionibus et volitionibus animae respondentium ita ut anima eamdem hanc operationum eliceret seriem, licet corpus non existeret, et pariter corpus, quamvis non adesset sibi haec anima. Quoniam ergo in infinita corporum et animarum multitudine possunt dari quaedam animae, quarum perceptiones et appetitiones congruerent adamussim motibus quorumdam corporum, Deus omnipotens, omniscius, liberrimus creator omnium, jungere decrevit singulis animabus ea corpora, quorum series continuata motuum perfecte consentirent atque harmonice seriei perceptionum et appetitionum animarum, quasi series operationum et animarum, et corporum ex communi interventu vel mutua actione procederent. En celebre systema praestabilitae harmoniae (1).

636. PROPOSITIO 1.ª **Harmoniae praestabilitae systema est hypothesis pure gratuita et repugnans, viamque aperiens multis sequelis catholicae doctrinae parum consentaneis.**

Prima pars constat, quia nulla ratio sive a priori sive a posteriori persuadet animam et corpus continuata serie sic operari, ut Leibnitzius commentus est.

Secunda pars probatur, quia 1.° systema istud *repugnat experientiae;* influxum enim mutuum realem animae in corpus et vicissim cuivis testatur conscientia (n. **626**, in respons. *Objic. 3.°*) 2.° *Repugnat communi omnium sensui*, quibus persuasum est, animam et corpus in se invicem influere, itemque plures dari in animo nostro cogitationes et appetitiones, quarum posteriores non habent in prioribus rationem sufficientem. 3.° *Repugnat rationi.* *a*) Ratio enim dictat unionem animae esse naturalem et personalem, ut probatum manet. Id autem sustineri nequit in leibnitziano systemate. β) Ratio dictat nos posse cognoscere ex loquela caeterisque vitae et ingenii signis in aliorum corpore relucentibus, adesse coram hominem rationali anima praeditum. Atqui hoc certo asseri nequit in Leibnitzii systemate; nam iidem motus et actiones corporeae, ex quibus omnes concludimus praesentiam corporis, rationali anima praediti procederent continuata serie, etiamsi anima nulla esset.

---

(1) Cfr. opus fusius, volum. 6.°, num. 277, ubi haec magis enucleantur.

Tertia pars probatur 1.° quia doctrina Ecclesiae est animam rationalem esse *vere*, *per se*, *essentialiter* atque *inmediate* corporis formam. Id vero stare nequit in leibnitziano systemate. 2.° Idealismum absurdum et catholice doctrinae contrarium esse suo loco est ostensum (1) Atqui harmonia praestabilita ducit ad idealismum; siquidem ex Leibnitzio anima vi sibi propria producit omnes suas perceptiones atque appetitiones: quod est principium et forma idealismi subjectivi. Immo vero totidem verbis docet Leibnitzianus Wolf, quod *anima eodem, quo nunc, modo sibi repraesentaret hoc universum, etiamsi mundus adspectabilis non existeret* (2). 3.° In eodem systemate perit penitus libertas, quae stare nequit, ubi series repraesentationum et apetitionum ita continuate procedunt, ut prima secundae, secunda tertiae, atque ita porro, sit ratio sufficiens, qua posita in sententia Leibnitzianorum non potest non subsequi rationatum. Idipsum vero clarius apparet in corporis motibus, in quibus nulla prorsus esse potest libertas, quandoquidem omnes procedunt vi structurae corporeae absque ulla determinatione vel dependentia animae. Unde frustra darentur praecepta corpus respicientia, qualia sunt illa: *Mortificate... membra vestra* (3); *Fugite fornicationem* (4) et caetera: et falsa foret illa Christi Domini sententia: *De corde... exeunt cogitationes malae, homicidia, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasfemiae* (5).

637. E) SYSTEMA ROSMINII UNIONEM ANIMAE IN SENSU FUNDAMENTALI (n. **163**) reponentis. Videlicet sensus fundamentalis, qui et *animalis* vocatur a Rosminio, est perennis quaedam perceptio, natura saltem prior omni externa sensatione, per quam anima corpus suum sentit; et per hanc praecise sui corporis fundamentalem sensationem contendit praedictus scriptor animam uniri corpori, *prout sensitiva est;* prout vero rationalis est, eamdem uniri, quatenus intelligentia sua cognoscit hunc ipsum sensum fundamentalem absoluto et intelligibili modo, nempe instar entitatis cujusdam (6)

638. PROPOSITIO 6.ª **Falsum est systema Rosminianum de unione animae cum corpore.**

Prob. 1.° quia innititur duplici falso supposito: *primum* est sensus fundamentalis alibi rejectus (n. **164**); *secundum* est opinio Rosminii, asserentis sensum istum constituere puram animae substantiam (7). 2.° Unio secundum Rosminium facta non potest esse realis, sed tantum intentionalis. Nam vel consistit in ipsa formali sensatione, vel in aliquo sensationis effectu: primum horum reddit unionem pure intentionalem, alterum vero falsum est, quia actus immanens nihil extra subjectum sentiens vel cognoscens ponit. 3.° Sensatio fundamentalis referret experimentali modo corpus tamquam *ad nos spectans.* Atqui experimentalis ejusmodi relatio non est possibilis, nisi praevie supponat corpus animae unitum. Ergo unio non potest formaliter consistere in sensu fundamentali.

---

(1) Cfr. Compend. volum. 1.^{um}, num. 338.
(2) Wolf, *Psycholog. rational.*, sect. 3, cap. 4 num. 614.
(3) *Coloss.* cap. 3, vers. 5.
(4) *1 Corinth.* cap. 6, vers. 18.
(5) *Matth.*, cap. 15, vers. 19.
(6) Vide Rosmini, *Psycolog.* vol. 1, lib. 3, cap. 102; Pestolazza, *La Mente di Antonio Rosmini*, num. 6, pag. 86, 88, 90.
(7) Rosmini, *Psycolog.*, lib. 1, cap. 5, num. 81. Cfr. *Saggio sull' origine delle idee*, volum. 2, pag. 772, nota 4.

639. **Parallelismus Psychophysicus.** Docet: *a*) duplicem eventuum seriem, psychicorum et physicorum (animam substantialem respuunt) in homine (et in bruto) essentialiter differre inter se: *b)* esse ad invicem omnino independentes (alteram in alteram nullum exercere influxum, nequidem efficientem, sed in unaquaque serie phaenomenorum antecedens causat sequentem) tamen *c*) alteram alteri perfecte atque harmonice semper consentire aut respondere, juxta alteram semper parallelo modo procedere.

Porro rationem sufficientem hujus correspondentiae sive parallelismi, *a)* alii nullam afferunt sed ut factum primigenium correspondentiam universalem sine mutuo influxu admittendam esse dicunt; *b*) alii ex eo repetunt quod phaenomenum psychicum habeant ut resultantiam quamdam, comproductum effectum, secundarium, appendicem seu epiphaenomenum phaenomeni physici; *c)* alii demum (Spinoza, Bain, Clifford, Huxley, Carus Yold) eo quod utramque seriem putant esse unam eamdemque realitatem, quae ex una quasi facie aspecta sit motus vel aliquid corporeum; ex alia autem sit amor vel ratiocinium. «Pars spiritualis inquiunt et corporalis hominis se habent sicut latus concavum et convexum circuli; sunt scil. duae appaientiae ejusdem rei ex duplici loco». (Fechner) Eventus psychicus est pars interior, facies interna processus physici seu chemici (Taine).

Manet igitur speciatim refellendus parallelismus psycho-physicus et cum eo doctrina identitatis psycho-physicae, quod systema inter psychologos modernos est maxime vulgatum, texte Busse, qui egregie illud refellit in opere. *Geist und Koerper Leib und Seele.*

640. **Refutatur parallelismus psychophysicus.** 1.° Hoc systema negat substantialitatem animae humanae, quae doctrina est erronea, perniciosa et absurda.

2.° Negando *influxum* inter corpus et animam, *a*) clarissimae experientiae contradicit, quae nobis renuntiat motum manus ad scribendum, pedum ad ambulandum, a nostrae voluntatis influxu seu determinatione pendere; *b)* in absurdissimos incidit errores; nam sic jam non homines ambulant, loquuntur, legunt, quia ambulare... loqui *volunt*, non ideo doctos scribunt libros. quia cogitationes, manus et calamum regunt, sed quidquid in mundo fit, sine influxu illius cogitationis et volitionis fit, et si nemo esset qui vellet et cogitaret, eadem eodem ordine phaenomena physica acciderent. Non ideo Napoleon apud Austerlitz hostes fudit, quia per intelligentiam et artem milites rexit; non ideo examinandus interroganti recte respondet, quia intelligit quaestiones et responsa scit; sed ob causas physicas; afferuntur extrinsecus motus in corpus hominis, currunt per nervos ad cerebrum, a cerebro in os, brachia, pedes, quae illico incipiunt loqui, agere. ambulare. *c*) Rationem sufficientem parallelismi et consonantiae, actiones animicas inter et corpus, vel nullam afferunt, vel absurdissimam. Quid enim magis absurdum quam serio affirmare, processum chemicum et affectum amoris, motum neuronae et ratiocinium idem esse?

3.° Parallelistae si sibi constent, debent ad panpychismum progredi, qui in omnibus plane rebus et atomis cum eventibus physicis actus psychicos conjunctos esse docet, nam: *a)* cum actiones et mutationes nerveae nullo modo influant in vitam psychicam quare haec soli systemati nerveo sit alligata?; *b*) ut dolorem digiti (factum psychicum) ab acu pungente illum, productum declarare possint parallelistae, necesse habent admittere in acu duplicem ordinem et physicum et psychicum, ut ille digitum vulneret, hic vero dolorem ejus causet.

IV.—Rationes quae pro parallelismo afferri solent non probant.

1.ª «Principium causalitatis clausae» sive homogeneae, influxum agentis physici in psychicum, spiritualis in corpus omnino vetat.

Respond. *a)* Tale principium si verum foret, prohiberet tantum influxum activum seu efficientem, animam inter et corpus, non vero *substantivum* sive formalem; *b)* Ipsi adversarii fatentur non esse analyticum sed quoddam postulatum; *c)* Revera non modo non demonstratur (quia effectum solum postulat causam proportionatam, quis autem probet agentem spiritualem non proportionatam esse effectui materiali?) sed est falsissimus et peniciosissimus, quia saltem Deus multis modis in mundum agit (Cfr. Donat. Ontol. n. 309-311).

2.ª Principium constantiae energiae certum est, sed si anima in corpus ageret, id saltem incertum esset; ergo...

Respond. 1.°) *dis.* Maj. certum est intellectum de sola energia materiali, *trans.* vel *conc.;* de energia psychica, *nego*; c. d. *neg.* cons.

Respond. 2.°) *trans.* Major *dist* Minor.; si agendo in corpus illi imprimiret influxum aliquem physicum, *conc.* vel *trans.;* si vero agat in corpus solummodo causalitate morali, *neg.*

3.ª Curvatio et convexitas lineae curvae non possunt non modificari simul et harmonice, quin tamen una influat in aliam; ergo a pari, phaenomena physica et psychica.

Respond.: *neg.* paritatem: Curvatio et convexitas lineae curvae vel circumferentiae non sunt duo attributa hujus lineae *absoluta*, sicut phaenomena physica et psychica hominis, sed relativa; i. e. objective sunt una res, et duplicitas resultat ex duobus actibus illam aspicientibus ex diverso loco, quia relationes distantiarum diversarum partium diversae sunt pro diverso loco e quo lineam curvam contemplamur.

DISPUTATIO DECIMA

CAPUT I

DE HYPNOTISMO ET SPIRITISMO

Duo restant breviter tractanda, quae ad notitiam humanae naturae perficiendam spectant *hypnotismus* et *spiritismus*, qui phaenomena quaedam continent communem ordinem rerum praetergredientia, quae nostris diebus omnium sermone percrebrescunt, atque innumeris praebent scriptis materiam.

ARTICULUS I

Brevis descriptio hypnotismi.

641. Hypnotismus (a graeco ὕπνος, *somnus)* est «somnus quidam nerveus», ut ait qui eidem nomen imposuit, anglus Braid (2), vel melius est somnus artificialis seu non sponte naturae adveniens, sed aliunde impositus, in quo mira phaenomena occurrunt. Historiam ejus inde a remota antiquitate contextam vide, si lubet, in opere fusiori (3), ubi ostenditur successisse *mesmerismo* et *magnetismo*, cum quo multi re identificant hypnotismum, cujus initia videntur ad annum 1841 revocanda esse, cum anglus medicus urbis Manchester, Jacobus Braid, post multa simul cum gallo medico Lafontaine instituta experimenta, opus conscripsit, in quo et phaenomena sententiamque suam de re tota exposuit, et statum magneticum *hypnotismi* nomine donavit.

642. Somno hypnotico dicuntur obnoxii esse plerique homines, alii tamen magis, alii minus. In refractariis, qui pauciores sunt, numerantur homines scientiis exculti animique fortioris; propensissimi omnium dicuntur esse hysterica affectione laborantes. Consensus tamen praevius hypnotizandi, saltem pro prima vice, requiritur, sine quo conatus omnes hypnotizatoris frustranei evadere queunt; cum vero semel quis hypnotizatus sit, potest deinceps etiam inscius et nolens hypnotizari. Sunt etiam qui putent, aliis tamen contradicentibus, *zonas* quasdam *hypnogenicas* esse in corpore, quae si tangantur ab hypnotizante, etiam prima vice posse aliquem invitum hypnotizari.

---

(1) Quaedam alia in opere fusiori, volum. 6.°, num 302.
(2) *Neurypnologie*, trad. gallica Julii Simonis, pag. 23.
(3) Volum. 6,°, num. 303.

643. Modi somnum hypnoticum inducendi sunt tres praecipui: *primus*, gignendo diversimode vividam in sensibus (praesertim visu et auditu) impressionem et consequentem defatigationem (v. g. ope luminosi objecti). *Secundus* est per palpationes, gestus et attrectationes *(pases)*, fixo hypnotizantis obtutu in hypnotizandum. *Tertius* per directam *suggestionem*, persuadendo et praecipiendo somnum ope verborum et gestuum; suggestio enim dicitur actus, quo hypnotizans hypnotizato ideam rei aut actionis alicujus communicat. Duo priores modi videntur influere physice, tertius moraliter vel intentionaliter aut *psychice*, ut alii loquuntur; priores enim agunt immediate in nervea centra, gignendo in quibusdam illorum defatigationem et paralysim, unde sequatur major caeterorum excitatio, et sic primo et immediate influunt in organum, tertius autem magis directe agit in ipsam phantasiae vel imaginationis potentiam. Quidquid vero sit, utrum duo primi modi valeant ad hypnotizandum seorsim et independenter a tertio, hic certe vel solus sufficit, immo et suggestio etiam per telephonum vel per litteras sufficere dicitur ad hypnotizandum absentem.

644. Stadia hypnotica alia ab aliis assignari solent, Charcot et schola Parisina tria numerat: *lethargum* vel somnum profundum cum membrorum resolutione, *catalepsim* aut immobilitatem ac rigiditatem et *somnambulismum* seu miram excitabilitatem cognoscitivam cum magna facilitate suscipiendi suggestiones hypnotizantis. Bernheim autem ejusque schola Nanceyensis negant se hujusmodi phases vel stadia diversa in omnibus hypnotizandis observasse, ideoque malunt admittere varias classes vel gradus eorumdem. Quidquid sit de his,

645. Ingens est hypnoticorum phaenomenorum multitudo, quae ad quaedam capita revocantur.

α) *Phaenomena ordinis vegetativi* sunt v. g. alterationes in circulatione *vaso-motrici*, nempe variatio pulsus, maculae rubrae in pelle, vesicatio, effusio sanguinis e naribus aliisve corporis partibus ab hypnotizatore assignatis. Hos tamen effectus se nunquam obtinuisse fatetur Bernheim, quantumvis procurasset. Huc revocari possunt curationes hypnotismo attributae.

β) *Phaenomena ordinis sensitivi* sunt *anaesthesia* seu privatio sensus, quo reduci potest *anelgesia* vel doloris insensibilitas, et *hyperaesthesia* vel intensior sensibilitas: quae suggestione vel imperio hypnotizantis in hypnotizato obtinentur. Ad hyperaesthesiam pertinet hallucinatio, sive positiva sive negativa, quarum prior consistit in eo, quod percipiantur, vel percipi videantur quae non sunt, altera vero in eo quod non percipiantur, quae percipi deberent. Phantasia quoque validissime excitatur, ut, imaginem aliquam suggerente hypnotizatore, alias et alias ad eamdem rem pertinentes aut cum illa connexas vividissime repraesentet. Huc referri possunt

Phaenomena intellectualia magis communia, ut *duplicationis* personae, cum quis putat se esse duas distinctas personas, et sic diversas exsequitur series actionum personis illis respondentes. Mirabilis quoque apparent effectus suggestionis *retroactivae* ac *posthypnoticae*, quorum primus in eo stat, quod hypnotizatus, suggerente hypnotizatore, firmiter credat se dixisse vel fecisse, quae nunquam dixit vel fecit, in eaque persuasione permaneat etiam expergefactus, vel e converso memoriam amittat praeteritorum actuum vel cogitationum, quasi nunquam illa habuisset. Suggestio posthypnotica *(sugestión a plazo)* ea vocatur, qua hypnotizatus acceptum ab hypnotizatore imperium rem aliquam certa die vel hora perficiendi, licet mox oblitus fuerit, adventante tamen tempore assignato, adamussim, impellente nescio qua interna vi, fidelissime mandat exsecutioni.

γ) *Phaenomena ordinis affectivi* sunt intimum commercium inter hypnotizatum et hypnotizantem ac caeca et quasi automatica obedientia huic ab illo praestita etiam in rebus indoli suae valde repugnantibus. Non raro etiam hypnotizatus vel hypnotizata magno accenditur affectu erga hypnotizantem.

δ) *Phaenomena ordinis locomotivi* sunt vel cataleptica immobilitas et impotentia mutandi situm, vel automatismus et ineluctabilis excitatio ad motum, quae suggestionem aut imperium hypnotizantis consequuntur.

ε) *Phaenomena ordinis immaterialis extraordinaria* vel *superiora*, quae constituunt id quod *occultismum* dicunt, quia reconditiora sunt, et vires naturae notas excedunt. Quo spectant 1.° *effectus imperii pure mentalis*, cum nempe hypnotizatus exsequitur quae hypnotizans sibi imperat sine ullo externo signo per suggestionem in mente latentem: 2.° *mira notitia*, qua hypnotizatus, conspectis chirothecis vel capillis aliave re alicujus, quem non novit, lineamenta illius corporis et animi vitamque anteactam describit: 3.° *visio clausis penitus oculis* et cognitio eorum, quae in urbis procul distantis plateis geruntur: 4.° *transpositio sensuum*, qua v. g. visio, durante statu hypnotico, peragitur extra proprium organum in pede, manu, etc.: 5.° *notitia cogitationum* alterius, *divinatio futurorum*, *cognitio linguarum* extra statum hypnoticum ignoratum, vel morborum ac medicinarum. Hujus ordinis superioris vel *occultismi* phaenomena multi se unquam vidisse negant, immo et in fabellarum regionem amandant; alii vero non minori fide digni scriptores realia esse fatentur.

Porro illud est communissimum phaenomenum hypnotismi, hypnotizatum, excusso sopore, oblivisci penitus omnium, quae sibi in eo statu evenerant, quamvis possit eorum renovare memoriam, si rursus hypnotizetur (1).

ARTICULUS II

An phaenomena hypnotica naturalibus causis sint adscribenda

646. **Status quaestionis.** Effectus, quos in rerum natura cernimus, duplicis generis esse possunt, *naturales* et *supernaturales* vel *praeternaturales.* Priores ordinem virium legumque naturae sequuntur, ac proinde a causis naturalibus (2) procedunt: posteriores sunt illi qui ordinem hujusmodi transcendunt, ideoque non procedunt a causis naturalibus. Praeternaturales autem dicuntur illi effectus, qui sive quoad substantiam sive saltem ratione modi, quo hic et nunc producuntur, non possunt procedere a causis physicis proprie dictis, seu per vires et energiam naturae corporeae ac visibilis.

I.—Exponuntur sententiae.

647. **Sententiae circa hypnoticorum phaenomenorum causas** ad tres praecipuas revocari queunt: prima putat nullum phaenomenum causis naturalibus attribui posse. Ita opinatur, P. Joannes Josephus Franco. Alii cuncta phaenomena generatim causis naturalibus adscribunt: in quorum numero sunt multi medici et naturalium scientiarum cultores. Alii demum mediam tenent viam, excludentes a naturalium causarum activitate saltem phaenomena occultismi, immo et quaedam alia, prout magis declarabitur.

Inter patronos porro secundae sententiae ingens varietas est in assignandis naturalibus causis phaenomenorum magneticorum et hypnoticorum. 1.° Mesmer *fluidum* quoddam *universale magneticum* invexit, distinctum a virtute magnetis. 2.° Puysegur *fluidum electricum:* 3.° alii *fluidum vitale* vel *zoomagneticum:* 4.° alii *fluidum nerveum:* 5.° alii *fluidum odycum,* per quod sensatio *exteriorizari* dicitur, immo et photographicis imaginibus exprimi: 6.° alii *reverberationes idearum et volitionum,* quae ab hypnotizante transmittuntur hypnotizato: 7.° alii *undulationes cerebrales,* quae per actus psychicos per se invisibiles hipnotizantis in cerebro productae, per aerem medium usque ad cerebrum hypnotizati pervehantur, eoque commoto, reproducant in hujus anima sensa hypnotizantis: 8.° alii *fluidum aethereum:* 9.° alii *duplex* fingunt *cerebrum* vel cerebrum duplicem habens medietatem, quarum altera peragat mentales operationes in statu normali, altera in statu hypnotici somnii. Omnes hae hypotheses, ut vides, causas physicas naturales assignant: easque fusius expositas et rejectas habes in alio nostro opere (1).

---

(1) Cfr. opus aliud, volum. 6.°, num. 304-306, ubi haec et quaedam alia declarantur, et magis evolvuntur, adductis etiam testimoniis peritorum virorum.

(2) Cfr. Compend. volum. 3.^{um}, num. 199.

648. **Sententia vero frequentissima phaenoménorum hypnoticorum causam reponit in suggestione,** in qua agnoscenda conveniunt tum multi, quia omnia phaenomena censent esse naturalia, tum etiam illi qui quaedam causis praeternaturalibus tribuunt, nam quae naturalia sunt, arbitrantur per suggestionem sat commode explicari: quod praesertim judicant de hallucinatione, anaesthesia, hyperaesthesia, automatismo et caeca obedientia ad hypnotizantis nutum. Remque sic fere declarant. In normali statu vigiliae activitas animae distribuitur inter varias potentias diversis centris addictas, ita ut inferioribus potentiis directioni ac moderamini superiorum subjectis, omnia ordinate procedant. Verum in hominibus, in quibus nerveum aequilibrium est parum stabile, uniformis et continuata excitatio praecipuorum nervorum sensitivorum (optici, acustici et etiam tactivorum), experientia teste, facile inducit suspensionem activitatis cellularum cerebralium correspondentium ope solius obtutus in splendens objectum vel palpationum caeterorumque praesidiorum, quibus hypnoticus captatur somnus. Suspensa hoc pacto virtute animae in quibusdam organis vel centris, poterit major efficacitas in aliis centris accumulari, et potissimum in phantasiae ac localis motus organis. Quia vero istae facultates in statu normali vigiliae reguntur imperio voluntatis propriae, aptae sunt, ut alterius quoque ductum voluntatis sequantur, eliciendo actus ab alio suggestos. Quare hypnotizator, qui arte sua potuit aequilibrium facultatum rumpere cum paralysi quarumdam psychicarum operationum et majori aliorum excitabilitate, poterit quoque activitatem centrorum ita dissociatorum dirigere suggerendo varias ideas et actus, quos hypnotizatus intensius ac vivacius, quam posset in normali statu, exsequatur. Cum enim hypnotizator versetur in commercio cum hypnotizato, quamcumque ideam vel actum suggerat, vividissimam in hujus phantasia excitabit imaginem, et per eam alias quoque multas associatas, cum vero propter statum somni non habeat judicium liberum, inanes istas rerum imagines nesciet a realibus discernere objectis. Quare si rosam, v. g. hypnotizator nominet, facile judicabit hypnotizatus, se rosam manu tenere, odorari. Sic ergo explicata manebunt phaenomena hallucinationis et hyperaesthesiae. Ac simili fere modo intel-

---

(1) Volum. 6.°, núm. 307, A. *Hypotheses physicae.*

ligitur consequi posse phaenomena automatismi, etc. (1). Ipsa quoque vegetativi ordinis phaenomena contingere haud valde diverso modo poterunt per imaginationem, cujus tanta est vis ad gignendos et medicandos proprii corporis morbos, ut id omnium sermone inde a remotissima antiquitate celebretur (2). Ita rem declarant RR. PP. Castelein, Bonniot, Coconnier et Joannes Mir, ac RR. Dom. Méric et Gay.

II.—Quaenam phaenomena possit probabiliter naturalibus causis adscribi.

649. Expositis variis sententiis, aperiendum mihi jam est, quid verisimilius videatur.

Dico 1.° *Somnus hypnoticus non videtur causas naturales superare.*

Probatur. Defatigatio potentiarum animae somnum gignit, ut ex somno naturali patet. Atqui hypnotizans per superius insinuata media (n. **643**) defatigationem in hypnotizando magnam potest gignere. Ergo et sommum hypnoticum producere. Hinc fit, ut animalia quoque dudum a P. Anastasio Kircher et nostris diebus ab aliis hypnotizentur: hungari etiam dicuntur feroces equos hypnotizare, ut facilius edomentur.

Negari tamen nequit esse discrimen inter defatigationem, unde sequitur naturalis somnus, et fatigationem quae causa est hypnosis: prior est lenta, spontanea, tranquilla; posterior subitanea, violenta, agitata, quae ipsis externis signis dilatatae pupillae, celerioris pulsus, saepe etiam sudoris, dignoscitur: quae totidem videntur indicia fortioris excitationis, unde etiam consequi videntur caetera discrimina hypnotici somni, nempe lethargus, catalepsis, somnambulismus. Nam violenta illa nerveae compagis defatigatio longe majorem centrorum dissociationem producit, quam in normali somno, et sic *anaemiam* quarumdam, et aliarum *hyperaemiam* et *dynamogeniam* facultatum inducit. Nihilominus non desunt in somno hypnotico mysteria, qualis est facilitas illum captandi, quando quis jam alias hypnotizandus est, itemque facilitas excutiendi somnum hypnoticum insufflatione, imperio hypnotizatoris, etc.

650. **Dico 2.°** *Videntur non deesse causae naturales, ob quas hypnotizatus arctiore cum hypnotizato commercio ligetur, atque ad*

---

(1) Vide cl. P. Castelein, *Cours de Philosophie, Psychologie*, pag. 661, 662; et A. Méric, *Le merveilleux et la science*, liv. 2, cap. 2, pag. 252, 253. Cfr. quoque Fröbes, op. cit. t. II, pag. 589-604. Lindworsky-*Psicologia Experimental* (trad. 1923) pag. 403-410.

(2) Cfr. opus fusius, volum. 6.°, num. 308.

ejus suggestiones magna cum docilitate excipiendas exsequendasque disponatur.

Probatur. Possibile videtur naturaliter, ut hypnotico somno sopitus α) percipiat externo sensu suggestionem vel solius hypnotizantis, vel certe illius praecipue, β) illamque intelligat, et γ) omnino sequendam ducat. Ergo stat propositio.

Probatur antecedens per partes. α) Notum est experientia, dormientes interdum sensibus externis uti, quin penitus expergefiant, nam et colloquuntur cum aliis, et eorum interrogationibus respondent. Quod vero magis mireris, eadem experientia teste, interdum dormientes non sentiunt objectum excellens, v. g. vehementem sonum, dum levissimum percipiunt rumorem: quod significant nonnulli, cum dicunt perceptionem externi sensus in somno *electivam* esse, quia percipi potissimum solent ea, erga quae magis quis vel facilius *afficitur.* Ergo ex hoc intelligitur, cur hypnotizatus in somnambulismo unice, vel certe praecipue, hypnotizatorem audiat, cumque illo speciale commercium instituat; quia cum ad eum confugerit et in ejus se manibus constituerit, ac mente animoque in illum intentis somno correptus sit, et magna demum ac mira ab illo speret, natura ipsa effici videtur, ut erga ipsum praecipue afficiatur, eumque unum prae caeteris audiat, et attendat.

β) Quod hypnotizatus hypnotizatorem intelligere queat, liquet tum exemplo somniantium, qui cum aliis confabulantur; tum ratione, quia si audiat hypnotizantem hypnotizatus, poterit hujus phantasia rem suggestam imaginari, vigilante autem phantasia, facile aderit actus intellectus et usus aliquis rationis quippe quae ideo feriari solet, quia sopita est phantasia.

γ) Quod demum hypnotizatus persuadeat sibi suggestionem hypnotizantis exsequendam esse, probatur, quia hypnotizatores plerumque solent esse homines vi suasiva pollentes et arte imponendi aliis suam voluntatem, hypnotizati autem generatim sunt bene affecti erga hypnotizantem et debiliores, ideoque dociliores, ad illius jussa exsequenda, praesertim cum non parvam saepe habeant opinionem atque exspectationem de illius arte atque industria. Quae causa est, cur docti et litterati viri et suspicaces ac difficiles minus apti sunt, ut hypnoticentur, aut saltem mirabiliora edant phaenomena, quia indociliores sunt, nec multum fidunt hypnotizatori.

651. Dico 3.° *Quod attinet phaenomena ordinis vegetativi spectata vi, qua phantasia pollet, non videtur improbabile, quod eidem tamquam causae tribui queant plures hujusmodi effectus in hypnotizatis observati, saltem si seorsim spectentur.*

Quanta sit vis imaginationis. Ante probationem praemitto quaedam circa vim imaginationis. Ut omittam nunc sententiam Avicennae, dicentis imaginationem posse alienum corpus separatum transmutare, itemque opiniones aliorum circa vim fascinationis (1); certum videtur, imaginationem multa praestare posse circa *proprium* intense imaginantis corpus, et circa corpus *conjunctum* vel inclusum in proprio, nempe in foetu. Sententia est Benedicti XIV, non videri «dubitandum de viribus imaginationis; foetus enim sive hominum sive bestiarum, matris potissimum imaginatione, signatos passim videmus, dum exeunt ab utero matris (2)». Eademque est communissima opinio veterum cum S. Thoma (3). Quam ad rem, omissis aliis factis (4), notissimum est quod in *Genesi* narratur, nempe greges Labani ad aspectum decorticatarum virgarum concipientes, foetus edidisse varii coloris (5), ex vi nimirum phantasiae vividissime repraesentantis virgas versicolores, ut communissime explicant cum pluribus Patribus Theologi et commentatores, e quorum sententia, quamvis S. Joannes Chrysostomus et Theodoretus aliter opinentur, res secundum naturae leges accidere potuit.

Quod vero spectat ad imaginationis vim circa proprium corpus, in primis jam superius eam causam esse phaenomenorum somnambulismi notavimus; eamdemque plurimum valere et ad creandos et ad curandos morbos, constans est veterum et recentiorum opinio, nam et nauseam provocat cum vomitu, et calorem ac frigus in corpore gignit, et varios commovet humores, circulationem sanguinis alterat, et excitando vehementiores affectus, dilatare vel contrahere cor potest, unde motus ejus accelerentur, aut retardentur ita, ut rumpi queant interdum sanguinea vasa cordis et cerebri, et etiam consequi mors et aliae graves affectiones (6). Causa vero hujus efficacitatis ea esse potest primo, quod cerebrum, in quo exercetur imaginatio, est centrum nerveum potissimum: quare cum eo magis laborare debeat organum, quo intensior sit ejus actus, phantasia vehementissime operante, potest sequi alteratio in nerveo systemate. Secundo, et praecipue, quia vivida phantasiae apprehensio vehementer concitat passiones, quae cum sint et ipsae organicae, magnamque afferant commotionem, praesertim in corde, ex intensa imaginatione poterit in systemate circulationis et nerveo maxima consequi alteratio (7). Speciatim autem sententia frequentissima Theologum et Benedicti XIV (1) est, posse ex vivida phantasiae apprehensione, vehementiores animi affectus concitantis, sanguineum sudorem excitari in corpore, cujus rei exemplum, nobis pia veneratione prosequendum, est sudor Christi Domini in horto Getsemani, et alia similia et vetera et recentiora (2) narrantur. Neque vero solum sudor per totum corpus sed etiam affluxus sanguinis ad determinatam corporis partem, caeteris relictis intactis, contingere potest vi imaginationis et intellectus de illa parte intense cogitantis, ut docet Hack Tuk cum multis Physiologis (3). Hisce praenotatis

---

(1) Cfr. in opere fusiori, volum. 6.° num. 311, initio in nota.

(2) *De Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione*, lib. 4. pars 1 cap. ult., num. 14.

(3) 2.° dist. 20, quaest. unica, art. 2, ad 3^{um}; *de malo*, quaest. 4, art. 8, ad 13.^{um}

(4) Cf. Benedict. XIV, loc. cit., num. 18; Moigno, *Les splendeurs de la foi*, tom. , pag. 977.

(5) *Genes.*, cap. 30, vers. 37-42.

(6) Cfr. S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 3., cap. 39, *Adhuc, universae...*

(7) Cfr. S. Thom., *de potent*, quaest. 6, art. 3, ad 7.^{um}; 3 p. quaest 13, art. 3, ad 3.^{um}

Probatur propositio. Inter phaenomena, quae vi phantasiae naturaliter contingere queunt, sive in corpore proprio sive in foetu, et hypnotica phaenomena ordinis vegetativi (n. **645** α) haud exigua inest similitudo et cognatio ut haec ad illorum genus revocare liceat. Atqui priora illa naturaliter accidere possunt vi phantasiae. Ergo et hypnotica phaenomena ordinis vegetativi (4).

652. Dico 4.° *Aliqua phaenomena ordinis cognoscitivi et motivi videntur posse ex causis naturalibus proficisci, non tamen omnia.*

Prima pars probatur. In primis omnia quae in naturali somnambulismo (n. **542** seqq.) et hallucinatione (n. **547**) contingunt, non apparet ratio, cur etiam nequeant naturaliter contingere in somnambulismo artificiali, in quo versatur hypnotizatus. Et sic naturalis esse poterit hyperaesthesia imaginationis et quorumdam externorum sensuum cum aliorum anaesthesia, et consentaneis actibus intellectus; nec solum hyperaesthesia unius sensus, sed etiam circa unum determinatum objectum cum insensibilitate respectu alterius objecti (n. **650**). Naturales quoque poterunt esse multi miri motus non solum variorum membrorum (n. **648**), sed etiam locales totius corporis, ambulando et per loca difficillima gradiendo, et actionis multas perfectius, quam in vigilia, exercendo. Quia cum hypnosi multae potentiae ferientur; quae vigilant, possunt intensius, atque adeo perfectius, operari (5). Quae omnia magis declarantur in opere fusiori (6).

Secunda pars *negans quaedam phaenomena satis explicari.* Recensebo aliqua. α) Et primo quidem suggestiones retroactivae (n. **645**, β), nescio quomodo explicare valeant. Nam praeterita in memoriam revocari possunt, quamdiu remanent species: quare ut detur impotentia memorandi, oportet, ut vel deleantur, vel penitus obruantur species rememorativae. Atqui hoc quomodo fieri possit sola hypnotizantis suggestione? Quomodo, e converso, tantam suggestio inducat perturbationem, ut quis sibi persuadeat etiam extra hypnosim, se vidisse vel fecisse, quae nunquam vidit nec fecit? β) Suggestiones quoque posthypnoticae (n. **645** β), mihi sunt inexplicabiles. Sane hoc est principium vulgatissimum hac in re, hypnotizatum in vigilia oblivisci penitus eorum, quae sibi acciderant in eo statu. Cur ergo aut quomodo is, cui posthypnotica suggestio facta est, expergefactus obliviscitur imperii ab hypnotizante sibi impositi, donec assignato tempore illud repente recordatur, et impulsu, nescio quo, incitatus trahitur ad illud exsecutioni mandandum? γ) Neque magis explicari valent hallucinationes negativae *extra statum hypnoticum*, vi quarum hypnotizatus objecta quaedam ab hypnotizatore interdicta, etiamsi coram adsint, non potest videre nec audire. Nam objecta illa profecto species suas immittunt, aeque ac quaelibet alia, in sensus illius, cui ab hypnotizatore injunctum fuerat, ne videret vel audiret: id physice certum est. Sensus autem acceptis speciebus non possunt non sentire, si recte dispositi sunt (1).

---

(1) Loc. cit., cap. 26, num. 7.

(2) Vide Hack Tuk, *Le corps et l'esprit*, pag. 20 et 221 in opere nostro fusiori, ad fin. num. 311, in notis, ubi haec enucleatius evolvuntur et testimoniis scriptorum confirmantur.

(3) Op. nup. cit., pag. 213.

(4) Cfr. opus fusius, vol. 6.°, num. 312 ubi quaedam etiam instantiae contra hoc argumentum solventur.

(5) S. Thom., 1. 2.ae, quaest. 77, art. 1.

(6) Loc. cit., num. 313.

Atqui sensus hypnotizati, cum jam extra statum hypnoticum versatur, sani recteque dispositi sunt, ut vel ex eo patet, quod reliqua omnia objecta perfectissime percipiat. Ergo non apparet, quomodo interdicta sibi ab hypnotizatore objecta nequeat percipere. δ) Nec faciliorem habent explicationem suggestiones illae, quibus membra quaedam hypnotizati *etiam in vigilia* ad aliqua opera v. g. ad scribendum, torpescunt, dum ad alia simillima expedita sunt (2).

653. Dico 5.° *Phaenomena immaterialia, quae* **superiora** *vocitantur, et ad* **occultismum** *pertinere dicuntur, nullatenus possunt per naturales causas explicari.*

Prob. I.° Phaenomena haec superiora (n. **645** ε) eadem ipsa sunt quae sub nomine magnetismi proposita sunt ab episcopo Lausanensi in sua consultatione (19 Maji anno 1841) ad Sacram Congregationem S. Officii (3). Atqui S. Congregatio magnetismum ejusmodi phaenomenis obtinendis intentum vocat *novum genus superstitionis.* Ergo stat propositio; non enim ita judicasset gravissimum illud tribunal, si talia phaenomena ex naturalibus causis procederent.

Prob. 2.° expendendo varia superioris ordinis phaenomena. α) *Suggestio pure mentalis* nullove signo externo manifestata impossibilis est. Nemo enim potest alterius cogitationes animique sensa intueri (n. 341), immo nec sensationes ipsas internas (n. 342). β) *Cognitio ac descriptio personae ignotae inspecta re aliqua ad illam pertinente* superat naturalem virtutem; quia res ad personam aliquam pertinens nullam habet connexionem vel similitudinem cum corporis animive lineamentis. γ) *Idem patet de visione clausis oculis*, vel *interposito muro*, itemque *descriptio rerum*, *quae in plateis remotissimae urbis gerantur*; siquidem visio exerceri nequit sine speciebus ex ipsis objectis nequeunt. ε) *Transpositio sensuum* non magis possibilis est, quia sensationes addictae sunt propriis cujusque organis periphaericis, ut patet ex superius dictis. ε) *Cognitio futurorum contingentium* (n. 340) nisi sit pure conjecturalis et incerta, superat virtutem intellectus nostri, sicut etiam *locutio linguarum ignotarum* et *morborum medicinarumque extra hypnoticum statum ignotarum cognitio*. Nam linguae non subito addiscuntur, sed paulisper acquiruntur, cognita vocum significatione; morbos autem, saltem alienos, et medicinas sine studio atque experientia non innotescere, norunt omnes, ac praesertim medici. Proprios autem ipsius hypnotizati morbos posse interdum cognosci, conceditur. Morbos enim futuros praecedunt prodromi plus minus sensibiles, quos non repugnat in statu hypnotico propter majorem animi recollectionem melius sentiri, quam in statu vigiliae, in quo, quia virtus animae cognoscitiva magis dissipata est per innumeras omnis generis perceptiones, affectiones organicae leviores, quae morbos praecurrunt, longe facilius mentis aciem effugiunt. Et ob eamdem rationem hypnotici videntur posse melius observare praesentium morborum suorum symptomata et manifestationes.

---

(1) Tamen plures existunt casus in quibus organo recte conservato suspenduntur functiones v. gr. in amaurosi hysterica, etc., etc.

(2) Cfr. quaedam alia in volum. 6°., num. 314.

(3) Vide illam consultationem in opere fusiori, loc. cit., num. 303.

III.—Utrum phaenomena hypnotismi naturaliae sint dicenda, an praeternaturalia.

654 Communissima est sententia Philosophorum ac Theologorum, quaedam phaenomena opinantium esse naturalia, praeternaturalia vero quaedam alia: ita sentiunt inter alios R. P. Coconier, Lehmkhul, Matharan, Portalié, Villada, Genicot, Castelein, Bonniot, Joannes Mir, Rev. Dom. Méric, Gay, Lelong, Vacant, etc., quibus adhaerent quidam naturalium scientiarum cultores, ut Venturoli, Constantinus James, Guermomprez, Aragon, Obejero, Donadiu... Quamvis illud est inter hos scriptores discrimen, quod alii aliis plura inter naturalia recenseant, conveniunt tamen in eo, quod praeternaturalia judicent quaecumque *occultismum* continent (n. 645, ε).

655. **Dico 6.°** *Quamquam quaedam hypnotismi phaenomena seorsim sumpta possint naturalia esse, alia tamen praeternaturalia sunt, quae diabolo tribui debent.*

Probatio duorum priorum partium sequitur ex hactenus dictis. Nam naturalia sunt phaenomena, quae ex causis physicis naturae procedunt, praeternaturalia vero, quae easdem causas transcendunt. Atqui quaedam phaenomena hypnotica seorsim sumpta videntur per naturales causas explicari, alia vero non, ut probatum manet. Ergo...

Dixi plura phaenomena, *seorsim sumpta*, naturalia esse, quia eadem ipsa quae per se non superant causas naturales si permisceantur cum phaenomenis praeternaturalibus, jure merito concludas ea, saltem hic et nunc, non naturalibus, sed praeternaturali causae esse adscribenda.

656. **Probatur postrema pars.** Quia cum haec phaenomena proportionatam causam in natura visibili et corporea non habeant, naturae spirituali atque invisibili tribuenda sunt. Natura autem spiritualis vel est Deus vel angelus, bonus vel malus, et animae separatae a corpore. Atqui Deus et angeli boni praeter cursum naturalium causarum non operantur nisi raro et ob finem dignum gloriae divinae, qualis profecto non reperitur generatim in phaenomenis et experimentis hypnoticis. Idem dicendum est fere de animabus separatis, quarum officium non est mundanas res administrare, nec interveniunt, nisi rarissime ac jubente Deo ob specialem aliquam rationem, in humanis actionibus dirigendis. Ergo restat, ut phaenomena praeternaturalia tribuenda sint malis angelis.

657. Hinc vero facile colliges, quid dicendum sit de liceitate usus hypnotismi: qua de re lege theologos moralistas. Qua in re, ut aequius judicium feratur, attendendum est non solum ad causas phaenomenorum, sed etiam ad pericula sanitatis et moralitatis quae facile adsunt in usu hypnotismi (1). Habendum quoque prae oculis est responsum a S. Congregatione S. Officii datum 26 Julii anni 1899 ad quemdam medicum qui quaesierat, num sibi liceret partem sumere in disputationibus, quae in medicorum societate instituebantur circa suggestiones hypnoticas in cura infantium aegrotorum adhibitas, atque in novis experimentis de hac re faciendis. S. Congregatio in haec verba respondit: **Quoad experimenta jam facta** *permitti posse, modo absit periculum superstitionis et scandali, et insuper orator paratus sit stare mandatis S. Sedis, et partes Theologi non agat.* **Quoad nova experimenta,** *si agatur de factis, quae certo naturae vires praetergrediantur, non licere; sin vero de hoc dubitetur, praemissa protestatione nullam partem haberi velle in factis praeternaturalibus, tolerandum, modo absit periculum scandali.*

---

(1) Cfr. opus fusius, volum. 6.um, num. 305, 3.°

ARTICULUS III

Utrum hypnotica phaenomena infirmare queant veritatem miraculorum ac donorum supernaturalium.

658. **Difficultas contra miracula** a recentioribus proposita huc paucis revocatur: Catholici nomine miraculorum donant facta mirabilia phaenomenis ac prodigiis hypnotismi similia. Atqui haec ordinis naturalis sunt. Ergo et miracula: quare miracula nulla sunt in sensu catholicorum intellecta. Ac difficultas speciatim urgetur contra morborum curationes, sanctorum quorumdam stigmata, extases, raptus, visiones, quae omnia ope hypnotismi obtineri blaterant sanctae religionis nostrae inimici.

659. PROPOSITIO.—**Absurdissima vereque insana est eorum sententia, qui ex hypnoticis phaenomenis catholicae doctrinae veritatem de miraculis aliisque donis supernaturalibus convelli, aut certe infirmari, dictitant.**

Probatur 1.° de miraculis. Objectio adversariorum respicit tantum miracula in morborum curatione sita. Jam vero haec objectio α) supponit falsissime non dari miracula nisi hujus generis. Atqui dantur alia diversa miraculorum genera (1). β) Supponit morbos omnes, quorum curatio miraculo adscribitur, ejus esse naturae, quibus depellendis vel imaginatio hypnotizati vel industria et ars suggestiva hypnotizantis conferre aliquid valeat. Atqui innumerae sunt curationes morborum a sanctis factae, in quibus nec imaginatio nec ars quidpiam prodest, v. gr., illuminatio caecorum, restitutio pedis vel brachii amputati, curatio cancri, instantanea ulcerum sanatio, etc. γ) Supponit non esse in Ecclesia Dei criteria ad vera a falsis miracula discernenda. Atqui dantur ejusmodi certa criteria (2).

Prob 2.° de extasi et raptu; sed prius quaedam sunt praenotanda. Extasis importat mentis excessum, ac describi potest cum S. Augustino (3) *alienatio a sensibus corporis saltem exterioribus;* eaque, ex doctrina S. Thomae bifariam contingit, secundum vim apprehensivam et secundum vim appetitivam (4). Raptus quamquam generatim accipiatur pro eodem, ac extasis, in eo tamen proprie loquendo differt ab illa, quod violentiam quamdam importat, quae a mysticis, inquit Benedictus XIV (5), «explicatur de violento corporis motu, cum alienati videlicet in altum elevantur, et interdum sic a terra elevati per aliquod tempus manent»: cui explicationi adhaeret cardinalis de Lauraea (1). Extasis triplex distinguitur: naturalis (v. g., ex morbo, vel ex vehementi rei alicujus contemplatione vel imaginatione), daemoniaca (causata a daemone, v. gr., ligando sensus, excitando phantasiam) et divina (immissa a Deo vel immediate vel mediis angelis bonis) (2).

---

(1) Cfr. Compend., volum. 3.^{um}, num. 112.

(2) Vide Benedicto XIV, *De servorum Dei beatificatione*, etc., lib. 4, part. 1, cap. 8, num. 2. Cfr. Compend., volum. 3.^{um}, num. 124. Et lege, si lubet, quaedam alia de hac re in opere fusiori, volum. 6.°, num. 321.

(3) Lib. 2.° *ad Simplician.*, quaest. 1, num. 1.

(4) Vide S. Thom., 2.^{a} 2.^{ae}, quaest. 175, art. 5.°, ad 2.^{um} Cfr. *De verit.*, quaest. 13, art. 4; et Suarez, *De Religione*, lib. 2, cap. 18, num. 6 seqq.

(5) Op. cit., lib. 3, cap. 49, num. 3, ubi fuse ac praeclare. Cfr. Sanctum Tomam, 2.^{a} 2.^{ae}, quaest. 175, art. 2, ad 1.^{um}

Jam eatenus ex phaenomenis hypnoticis contra divinorum donorum supernaturalium veritatem aliquid concluderetur, quatenus non possent discerni extases ac raptus divini ab illis phaenomenis. Atqui possunt discerni. Ergo... Minor patet, quia α) signa divinae extasis petuntur 1.° ex vita et moribus ejus, qui in extasim rapitur. β) Extasis divina fit cum maxima compositione totius hominis interni et externi. Quod tamen non ita intellige, ut quilibet motus insolitus corporis tamquam inordinatus et indecens habendus sit: nam in sanctis extaticis dari possunt motus insoliti, non tamen indecentes et inhonesti, qui diabolicae extasis signa sunt, sicut etiam membrorum distorsiones. γ) Extaticus in divina extasi non loquitur nisi coelestia, quae adstantes ad amorem Dei excitent; ad se reversus, humilis et quasi pudore confusus apparet, coelesti quadam laetitia perfusus, nec de praesentia circumstantium gaudet, ne in sanctitatis opinionem veniat. δ) Extaticus, ut plurimum, dum orationi vacat, vel inter audiendum sacrum, vel post sumptam eucharistiam, vel dum sermones audit de Deo aut paradiso, extasi corripitur. ε) Demum antecedentia, concomitantia et extasim subsequentia perspicue divinum opus demonstrare solent (3). An quidpiam simile vidisti in hypnoticis et histericis phaenomenis? (4).

Prob. 3.° de stigmatis sanctorum, cum quibus nihil habent commune vesicationis hypnoticae ac sanguineae exsudationes. Sane α) ejusmodi phaenomena accidunt in statu somnambulismi, ac suggerente hypnotizatore, et in hominibus aegrotis et usu hypnotismi jam dispositis ad edenda ejusmodi facta rariora. At nihil tale cernitur in hominibus sanctis. β) In phaenomenis hypnoticis totum negotium reducitur ad sanguinis exsudationem; in sanctorum vero stigmatis adest laceratio contextuum et vulnera sponte dehiscentia contemplatione Passionis Jesu Christi, absque morbo vel instrumento, quae nulla curata remedio nec tabescunt, nec pure manant, interdum suavi fragant odore. γ) Stigmata apparuerunt in hominibus sanctitate florentibus, et humilitate ac modestia conspicuis, qui nihil aegrius ferebant, quam ut tam mirabilia dona Dei aliis innotescerent (5).

---

(1) Opusc. 5, *De oratione*, cap. 6, in princip.

(2) Cfr. volum. 6.um, num. 322.

(3) Vide Benedicto XIV, op. et loc. cit., num. 7, ubi haec fuse et accurate.

(4) Cfr. aliud opus, volum. 6.°, num. 322.

(5) Cfr. volum. 6.um, num. 323.

CAPUT II

De spiritismo.

660. Spiritismus est *systema evocationis spirituum ad mirabiles obtinendos effectus.* Originem habuisse dicitur Londini anno 1743 ope viri cujusdam nomine Swedemborg, qui *Novam Ecclesiam christianam* fundavit, in eamque quosdam asseclas adscivit in Helvetia, et praesertim in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis, ubi anno 1844 non parvos fecerat illa secta progressus. Sacerdotes hujus sectae pollere dicebantur facultate evocandi animas mortuorum, et commercium statuendi inter eas et aliquem ex membris ejusdem, ideoque dicti sunt *spiritualistae*; eorumque officium *spiritualismus.* Ad annum usque 1847 spiritus formas sensibiles assumebant, et sub iisdem varia edebant responsa; anno autem insequente per rumores et ictus portarum, murorum aliorumque objectorum respondere coeperunt duabus foeminis familiae Fox in oppido Hydesville. Sic modus commercium cum spiritibus instituendi magis perfectus est ex communi pacto cum illis inito a praedictis faeminis, quae ab Americanis *media* appellatae sunt ceu mediatrices inter spiritus et eos qui responsa quaerebant illorum. Mox *mediorum* vel pythonum numerus ad amplius quadraginta millia auctus est, quorum alia *scribentia* (*Writing Mediums)* alia *loquentia (Speaking Mediums)* distincta sunt pro modo, quo spirituum oracula reddebant. Nec vero solum hominibus, sed etiam rebus inanimatis virtus et officium mediorum inditum est horum arbitrio: quare circa annum 1851 responsa reddi coeperunt per tabulas rotantes, per tripodes aliaque objecta materialia, quae appenso sibi lapideo calamo *(lapiz)* scripto notabant oracula. Caeterum spiritismus ex America ad Europam aliasque regiones mox perductus est.

661. Phaenomena spiritistica praecipua haec sunt: α) motus gravium corporum, interna vel certe invisibili virtute contra leges physicas effectus: β) splendor varius tenebras conclavis illuminans, nullo adhibito corpore lucido: γ) rumores et strepitus diversi generis: δ) perturbationes in organicis et spiritualibus adstantium actibus, velut subitaneus rigor membrorum, respiratio intercepta, suspensae sensationes, incerta perceptio, libertas praepedita (1). Quae phaenomena realia prorsus esse, in dubium prudenter revocari nequit.

---

(1) *Civiltà Cattolica*, 2, serie 5.ª. volum. 11, pag. 190. Roure, *Le bilan du Spiritisme*, *Etudes*, a. 1923, pag. 402. Id. *Les Amitiés Spirituelles*, de Sédir, *Etudes*, a. 1993, pag. 42. Ugarte de Ercilla, S. J. *El Espiritismo*, et scripta varie de Spiritismo ab Heredia, S. J., qui experimentorum fraudes detexit.

Mediorum quatuor sunt genera, *audientium* (sermocinantium cum spiritibus) *videntium* (quibus spiritus sensibili apparet forma), *scribentium* (sub ineluctabili spirituum impulsu), *interpretantium* (ictus et motus objectorum secundum pacta prius signa). Ex spirituum porro responsis nova confecta est a spiritistis doctrina philosophica et religiosa, quam fuse tradidit personatus Allan-Kardec, novique invecti sunt ritus ad decipiendos incautos aptissimi: omnia enim tendunt ad exscindendam, si fieri posset, catholicam religionem.

662. **Si jam causas phaenomenorum spiritismi quaeras,** plures hypotheses in medium prolatae sunt similes illis, quae ad hypnoticos effectus declarandos adduci solent (n. **647**), nempe *fluidi electrici, nervei, vitalis* et *odyci, psychicae vis* et *virtutis magicae*, etc., quae tamquam insufficientes prorsus rei explicationes rejiciuntur in opere nostro fusiori (1). Quae omnes generatim vel ex eo concidunt, quod phaenomena declaranda assumunt per causas materiales et cognitionis expertes. Atqui phaenomenorum istorum causa necessario est intelligens ac distincta ab ipsis mediis, utpote quae et novit interrogationes pythonum vel mediorum, et edit responsa, pluraque efficit quae naturam intellectualem vindicant. Causa ergo praedictorum phaenomenorum est aliquis spiritus. At quisnam, quaeso? *Non certe Deus*, quem profecto non decet hominum vanae curiositati satisfacere, profanos ludos promovere, a religione vera virtutisque exercitatione abducere. *Neque etiam boni angeli*, ob easdem rationes. Spiritistae phaenomenorum causas dicunt animas mortuorum; alii malunt esse cacodaemones; nec desunt qui fingant spiritus quosdam medios inter angelos et mortuorum animas quos, *geodaemones, gnomes, sylphos*, etc., vocant. Verum hi postremi in chimaerarum regionem amandandi sunt; spirituales enim substantiae vel sunt completae vel incompletae. Si incompletae, animae sunt; si completae, angeli, sive boni sive mali. Nulli ergo sunt spiritus medii inter animas et angelos.

663. PROPOSITIO. **Vera causa phaenomenorum spiritisticorum sunt spiritus maligni, non animae damnatorum, sed diaboli.**

Prima pars: *Sunt spiritus maligni.* In responsis spirituum continetur: α) dogmata religioni verae contraria, β) odium sacerdotum et rituum Ecclesiae catholicae, γ) interdum etiam obscoena; nec δ) ex spiritisticis spectaculis manavit ullum bonum pretio dignum, sive in ordine morali et scientifico, sive in ordine physico. Atqui nihil ejusmodi refundi potest in spiritus bonos. Deinde licet sermo restringeretur ad effectus indifferentes, repugnat, ut spiritus beati, ab homine non sancto evocati, sensibiliter appareant, et ludis spectaculisque vanam adstantium curiositatem pascant, edoceantque, sive loquendo sive agendo, quae certe nullatenus conferunt ad gloriam et honorem Dei procurandum. Et ob eamdem rationem excluduntur a causalitate spiritisticorum effectuum animae beatae atque in purgatorio detentae, quippe quae sanctae sunt, solamque gloriam Dei quarere queunt.

---

(1) Volum. 6.°, num. 325.

Secunda pars: *Causa praedictorum phaenomenorum non sunt animae damnatorum*, probatur 1.°, quia communissima Theologorum cum quibusdam Patribus doctrina tenet, mortuorum animas ita suis adstrictas esse receptaculis, ut exinde nonnisi ex divina dispensatione valeant egredi: quare etiam apparitiones animarum miraculosae censentur (1). Ergo credibile non est, Deum animabus damnatorum permissurum esse, ut ludicris spiritismi spectaculis, quoties evocentur, assistant.

Prob. 2.° Ex doctrina Theologorum cum S. Thoma (2) finis apparitionum animarum hic est, ut animae damnatae dum *ad eruditionem hominum et terrorem permittantur viventibus apparere*, sicut animae purgantes *ad suffragia expetenda.* Atqui nullus ejusmodi finis cernitur in spiritisticis conventiculis. Ergo...

Prob. 3.° Docente S. Thoma (3) cum SS. Augustino (4) et Gregorio M. (5), *secundum naturalem cognitionem animae mortuorum damnatorum nesciunt quae hic aguntur.* Ergo neque scire poterunt quando evocentur a mediatoribus in spiritisticis conventibus, nec proinde illorum quaesitis respondere (6).

Tertia pars: *Daemones sunt vera causa phaenomenorum spiritisticorum* prob. 1.° per exclusionem aliarum causarum. 2.° Quia praedicta phaenomena α) non superant virtutem cacodaemonum, et β) maxime quadrant in illorum indolem, qualis ex catholica doctrina nobis innotescit, prout fusius declaratum videri potest in alio nostro opere (7). Si jam quaeras

664. Utrum ex spiritismo validum argumentum depromi possit contra catholicam religionem, responsio negativa manifeste probatur. *Primo, relate ad miracula*, quia nulla reapse proferuntur facta spiritismi, quae, spectatis criteriis miraculorum, illico non appareant opera naturalia vel certe diabolicam virtutem non superantia, sive opus in se respicias, sive modum et finem ejus. *Secundo, relate ad doctrinam,* quia responsa spiritistica, utpote a patre mendacii profecta, nullam prorsus merentur fidem. Cum praesertim ipsimet spiritistae fateantur esse quoddam spirituum genus, qui hominum malo delectantur, et fraudes amant (1). Praeterea verum vero opponi non potest. Atqui catholica veritas multis argumentis demonstratur. Ergo spiritistae doctrinae nec possunt illam evertere, nec verae esse in iis, quae ipsi contrariantur.

---

(1) Vide S. Thom., 1 p. quaest. 89, art. 8, ad 2.^{um}; 4.° dist. 45, quaest. 1, art. 1, solut. 3.

(2) 4.° dist. 45, quaest. 1, art. 1, solut. 3.^{a}

(3) 1 p. quaest. 89, art. 8.

(4) *De cura pro mortuis*, cap. 13.

(5) *Moral.* lib. 12, cap. 4.

(6) Cfr. opus fusius, volum. 6.°, num. 326, *Secunda pars*

(7) Loc. nup. cit., *Tertia pars.*

DISPUTATIO UNDECIMA

De anima separata.

Reliquum est, ut pauca summatim addamus de conditione animae humanae a corpore separatae: quae controversia, quamvis non ad Psychologiam proprie, sed ad Metaphysicam pertineat (2), hic per modum appendicis tractanda est. Neque enim justus tractatus instituendus esse videtur de objecto, quod paucissima disputanda suppeditat. Caeterum consideratio praesens jucundissima nobis esse debet, cum sermo sit de statu, quem brevi sortitura est anima nostra, quando, solutis vinculis corporeae compagis, sola vivet in nova regione novum retinens modum essendi.

CAPUT I

MODUS ESSENDI ANIMAE SEPARATAE

ARTICULUS I

An et qualem mutationem patiatur anima separata circa suam entitatem.

665. Status quaestionis. Cum anima sit simplex essentialiter (n. 581), non potest ullam subire substantialem mutationem (3). Et nihilominus diversum modum essendi habet in statu unionis et separationis, ideoque mutatur aliquo modo. Ut res melius intelligatur, consideranda venit animae substantia: *a*) *relate ad existentiam;*

---

(1) Allan-Kardec, *El libro de los espíritus* num. 99, *Diferentes órdenes de espíritus.*

(2) Cfr. Compend., volum. 1.^{um}, num. 539, *Prob. 1.°*, *Ne dicas.*

(3) Cfr. Compend., volum. 2.^{um}, num. 258, 3.^{um}

β) *relate ad modum unionis substantialis cum corpore;* γ) *relate ad personalitatem.*

666. α) *Relate ad existentiam*, certum est animam separatam non accipere novam existentiam; tum quia in nostra doctrina essentia rei actualis non distinguitur realiter ab ejus existentia (1); tum quia tametsi distingueretur, nulla est ratio, cur anima in separatione spoliaretur sua existentia pristina, cum haec sit independens a corpore, sicut ipsa essentia. (Cfr. n. 587.)

β) *Relate ad unionem cum corpore*, anima separata mutat modum essendi substantialem, sed mutatione tantum negativa, quia nempe transit ab unionis statu ad ejusdem carentiam, ad quod profecto necesse non est novam acquirere realitatem.

Nec probabis positivam esse mutationem istam ex eo quod anima separata novum modum operandi assequatur.—**Nam non eum assequitur** propter novam quamdam virtutem, quae sibi obveniat in separatione, sed propter antiquam virtutem, quae prius impedita erat ex unione cum corpore.

γ) *Relate ad personalitatem vel subsistentiam*: qua de re non unus est modus loquendi. Cardin. Cajetanus videtur sentire animam separatam reddi subsistentem et *semipersonam*, acquisita nova quadam entitate, nam rationem personae statuit in entitate superaddita naturae. Semipersonam vero ideo dixit, quia anima separata est incompleta substantia. Aliis tamen videtur, praecisa appellatione personae vel semipersonae, anima non minus perfecte subsistere in se, quoad rem ipsam, in unionis, quam in statu separationis; quia cum sit independens in *esse* a corpore, quando unita est, non subsistit per subsistentiam totius ac dependenter a materia, sicut formae materiales, sed per suam propriam et partialem subsistentiam, cujus ratione et est terminus creationis *ut quod*, et habet operationes suas, in quibus non communicat corpus. Si ergo in unionis statu sic subsistit, poterit similiter subsistere separata, quin novam ullam acquirat entitatem, qua prius careret. Quidquid vero de hoc sit, certum est, animam separatam esse reapse subsistentem, suique juris et dominam suarum operationum, undecumque id proveniat.

Quod porro ad denominationem personae vel semipersonae spectat, est quaestio de voce: plerique denominationem illam respuerunt, alii tamen, ut Suarez (2), Mastrius et Lossada (3), non detrectant.

---

(1) Cfr. Compend., volum 2.^{um}, num. 261 seqq.
(2) *De anim.*, lib. 6. cap. 1, num. 3.
(3) *De anim.*, disp. 2, cap. 7, num. 137.

ARTICULUS II

Utrum status separationis sit animae naturalis, an violentus.

667. **Variae opiniones**. Origines et illi qui animam rationalem completam substantiam, sicut sunt angeli, nec natura sua destinatam esse voluerunt ad informandum corpus, statum separationis naturalem, unionis violentum consequenter arbitrari debuerunt. Alii cum Ferrariensi statum separationis violentum dicunt; alii vero naturalem, quae est opinio Scotistarum et nostratum communissime (1), secundum quos uterque status successive connaturalis est, quamvis deinceps disputent, uter sit dicendus connaturalior. Quarta est sententia Thomistarum, opinantium statum separationis neque connaturalem neque violentum esse, sed *praeternaturalem*: eademque tribuitur S. Thomae, qui scripsit, *esse separatam a corpore esse praeter rationem naturae animae.*

Notandum ad quaestionis solutionem 1.°, violentus dici id *quod est a principio extrinseco*, *passo non conferente vim*, seu reluctante, sive active sive etiam exigitive (2). Naturale vero aut connaturale, prout oppositum violento, dicitur quod conforme est inclinationi vel ingenitae cujuslibet rei exigentiae. 2.° Observandum est hic agi de statu unionis vel separationis *in facto esse*, non vero *in fieri.* Nam plures etiam eorum, qui statum separationis naturalem esse contendunt, ut PP. Hurtado, Oviedo, Soarez lusitanus, arbitrantur nihilominus, in ipso instanti separationis violentiam animae inferri, quia expellitur ex corpore cum resistentia ad destructionem unionis, et cum exigentia dispositionum in corpore ad hoc, ut unio perseveraret.

668. Propositio.—**Status separationis nequit dici proprie violentus, sed connaturalis. Si autem comparatio instituatur inter utrumque statum, connaturalior videtur unionis, quam separationis status; aut, quod eodem recidit, status unionis est naturalis quasi per se primo, separationis vero quasi per se secundo et ex consequenti.**

Prima pars probatur 1.° Animae rationali non debetur naturaliter etiam ex parte sua unio perpetua cum corpore. Ergo esse aliquando separatam, non est contra debitum et exigentiam animae. **Prob. antec**. Si anima ex parte sua exigeret perpetuo uniri cum corpore, saltem modo connaturali, redderetur absolute dependens a corpore, sin minus ut a causa, certe ut a complemento intrinseco sibi naturaliter debito. Atqui hoc videtur multum spirituali detrahere.

---

(1) Vide Suarez (loc. nup. cit., cap. 9); Rubium *(De anim.*, tractatum *de anim. separata*, quaest. 6, num. 81); Mauri *(Quaestion. philos.*, *Quaestion. physico-metaphys.*, quaest. 3, ad 4.^{um}); Losada (loc. nup. cit., num. 129), etc., etc.

(2) Cfr. Compend., volum. 3.^{um}, num. 300.

Prob. 2.° Anima rationalis est natura sua immortalis, cui proinde perpetua debetur conservatio. Atqui non debetur illi perpetua conservatio in corpore, utpote quod corruptibile est. Ergo animae debetur naturaliter aliquando conservatio extra corpus: quare status separationis nequit dici violentus, nec praeternaturalis, sed vere naturalis (1).

Secunda etiam pars probatur. Illud est habendum maxime connaturale alicui, quod convenit ei ratione specificae differentiae; siquidem res per hanc in sua essentia et natura constituitur, atque a caeteris secernitur. Atqui status unionis convenit animae ratione suae differentiae specificae, nempe ut est forma informans, status vero separationis tantum ratione perfectionis quasi genericae, videlicet quatenus est substantia spiritualis, sicut angeli.

Prob. 2.° Ille status dicendus est magis naturalis, in quo res potest totam suam virtutem explicare. Atqui talis est solum status unionis, non vero separationis, in quo non sunt *formaliter* animae virtutes sensitivae ac vegetativae, quae sunt organicae. Ergo...

Major per se liquet, quia natura in statu, in quo nequit explicare totam suam virtutem, nequit apparere adaequate, qua talis natura est, sed tantum in gradu restricto: quare nequit status ejusmodi convenire rei secundum adaequatam rationem.

Dices 1.° Magis naturale est, quod diuturnius est. Atqui status separationis diuturnior est. Ergo...

Respond., *dist.* Major. Si major minorve diuturnitas pendeat praecise ex natura rei, cui aliquid naturale dicitur, *trans.*; si pendeat ex eo, quod adsint, vel non adsint externa impedimenta, *neg.* Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq. Ratio enim, cur status unionis non sit diuturnior, petitur ex corporis corruptibilitate.

Dices 2.° Ille status dicendus est simpliciter naturalis, in quo solo res finem suum naturalem assequi potest. Atqui anima nequit finem suum naturalem in unionis statu assequi. Ergo...

Respond., *dist.* Major.; si assecutio finis sequatur ex debito pure physico illius rei, *trans.*; si habenda sit tamquam praemium honestatis et virtutis, *neg.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq. Ex eo autem quod assecutio finis reservetur ad alteram vitam, in statu separationis acquirenda, non recte concluditur statum istum esse connaturaliorem; sed hoc solum ad summum, hominem talis esse naturae ac conditionis, qui nequeat *naturaliter* obtinere beatitudinem *naturalem* a toto composito possidendam, videlicet propter illius corruptibilitatem, sed tantum possidere possit eam in anima, quae unice immortalis est atque incorruptibilis. *Naturaliter*, inquam, et *naturalem* beatitudinem, quia de facto supernaturalem et prorsus indebitam naturae obtinebit in anima et corpore glorioso unitis post resurrectionem.

---

(1) Cfr. opus fusius, volum. 6.°, num. 330.

Immo vero non desunt graves Theologi, ut Suarez (1), Lessius (2), Theophilus Raynaudus (3), Thyrsus Gonzalez (4), qui probabile putant resurrectionem esse homini debitam naturaliter aliquo modo, quamvis prout de facto accidit, sit opus supernaturale. Quod si verum foret, ad naturam animae spectaret, ut Deus eam post aliquod tempus a morte iterum corpori suo uniret ad hoc, ut sicut in illo et per illud beatitudinem meruerat, in eo quoque ac cum illo possideret. Quaedam aliae objectiones solutae videri queunt in opere fusiori (5).

ARTICULUS III

An anima separata naturaliter appetat unionem.

669. Negant Soto, Ferrariensis, Mastrius, Quiros, Silvester Maurus aliique. Sed affirmant cum S. Thoma (6) communius nostrates, Suarez, Rubius, Conimbricenses (8) aliique.

670. Propositio.—**Anima separata videtur retinere *naturalem* vel *innatum* appetitum ad unionem cum corpore. Si vero sermo sit de appetitu *elicito*, anima justa in hac providentia unionem appetit cum corpore, quod novit gloriosum fore atque impassibile; at in altera providentia solove naturae lumine ducta non videtur appetitura fuisse unionem.**

Prima pars expresse videtur doceri a SS. Augustino (9) et Thoma (10), probatur autem 1.° quia innatus appetitus cum ipsa rei natura identificatur (n. **90**). Atqui anima cum creatur, et unita manet, appetitum innatum habet ad unionem. Ergo etiam cum separata manet; non enim naturam vel entitatem suam mutat in separatione (n. **666**). 2.° Appetitus innatus animae ad unionem aliud non importat nisi ordinationem naturalem ejus ad constituendum compositum. Atqui anima separata retinet ejusmodi ordinationem, siquidem est substantia incompleta, nec unquam amisit suam conditionem formae, nec amisisset, quantum est de se, actualem unionem. Ergo...

Dices. Si anima separata unionem innate appeteret, violentiam pateretur in tali statu, quod pugnat cum superius dictis (n. **668**).—**Respond.**, *dist.* Major. Si anima unionem appeteret, prout *reunio* est, *trans.;* si unionem non appetat praecise, prout *reunio*, est, et insuper appetat perpetuo existere eo modo, quo possibile naturaliter est, *nego*.

---

(1) *De anim.*, lib. 6, cap. 9, num. 6; *De mysteriis vitae Christi* (volum. ultim. *De Incarnat.*), disp. 44, sect. 7; *De beatitud.*, disp. 4, sect. 2, corollar. 5. Cfr. Prolegom. 4.um *De gratia*, cap. 2.

(2) *De Summ. Bono*, lib. 1, num. 64, 65.

(3) *Moral. Philos.*, dist. 1, art. 4, num. 311.

(4) *Selectar. disputat.*, tom. 4, disp. 1, sect. 5, num. 75 seqq.

(5) Loc. cit., num. 331, 332.

(6) 1. p., quaest. 76, art. 1, ad 6.um

(7) *De anim.*, lib. 6, cap. 10.

(8) *De anima separata*, disp. 2, art. 3.

(9) *De Genesi ad litter.*, cap. 35.

(10) 1. p. quaest. 76, art. 1, ad 6.um

Secunda pars probatur, quia anima justa probe novit, se corpori glorioso unitam assecuturam esse omnem possibilem sibi perfectionem, quin ulla privetur, cum usu praestantissimo sensuum et intellectus. Unde complete beata erit, nec ulla poterit affligi miseria ex consortio corporis.

Tertia pars per se innotescit. Quia anima separata, lumine tantum naturae ducta, aut judicaret impossibilem iteratam unionem cum corpore, aut certe possibilem duntaxat unionem cum corpore, quale fuit prius corpus, nempe corruptibile atque obnoxium aerumnis. Non est autem credibile, animam separatam optaturam esse novam cum ejusmodi corpore unionem.

ARTICULUS IV

Quaenam ex praehabitis accidentibus deferat anima ex hac vita migrans.

669. Accidentia animae, de quibus philosopho disputare licet, sunt potentiae, species et habitus.

Propositio.—**Potentiae organicae nullae sunt formaliter in anima separata, sed tantum virtualiter vel radicaliter, inorganicae vero cunctae permanent, sicut etiam species intelligibiles in hac vita comparatae, itemque habitus sive intellectus sive voluntatis.**

Prima pars de organicis liquet, quia potentiae organicae non possunt existere sine organo. Dicuntur autem *virtualiter* existere, quia est in anima virtus, ut, accedente corpore organico, statim dimanent potentiae organicae (1).

Secunda pars de inorganicis non minus liquet, quia earum subjectum est sola anima, a qua proinde naturaliter non possunt non dimanare ceu verae proprietates. Neque vero excipiendus est intellectus agens quamvis in statu separationis non possit abstrahere species ex defectu phantasmatum: id enim per accidens est, aliunde autem intellectus agens non minus est proprietas spiritualis animae, quam proinde semper comitetur, necesse est.

Majus dubium est de potentia locomotiva spirituali vel inorganica; utrum enim ea competat reapse animae rationali disputatur acriter inter Scholasticos, ut mox videbitur.

Tertia pars de speciebus et habitibus intellectus et voluntatis, probatur eadem ratione, quia nimirum sunt spirituales solique animae inhaerentes. Praeterea species intelligibiles non est, cur pereant, cum nec contrarientur alteri formae (n. **277**), nec indecentiam importent cum animae perfectione. Ob hanc postremam rationem habitus pravi et vitiosi, sive intellectus sive voluntatis, absunt ab anima beata propter indecentiam. Immo vero, docentibus Theologis, ex divina ordinatione deficiunt in anima beata ipsi habitus supernaturales fidei et spei, quia nec fides convenit videnti Deum, nec spes *comprehensori* vel possidenti beatitatem.

---

(1) Vide S. Thom., 1 p., quaest, 77, art. 8.

Dices. Doctrina S. Pauli est, quod in altera vita *scientia destruetur* (1). Ergo saltem habitus scientiae non videtur esse in altera vita.—**Respond.** 1.°, *quod verbum Apostoli est intelligendum quantum ad id quod est materiale in scientia, et quantum ad modum intelligendi; quia scilicet neque phantasmata remanebunt destructo corpore, nec erit usus scientiae per conversionem ad phantasmata* (2). **Respond.** 2.° cum aliis, S. Paulum ibi agere, ut eruitur ex contextu, de scientia, dono Spiritus Sancti, quae comitatur fidem et obscura est, ut explicat idem S. Thomas (3).—Quaedam aliae objectiones solutae manent in altero opere (4).

CAPUT II

DE OPERATIONIBUS ANIMAE SEPARATAE

Cum de operatione voluntatis nihil dicendum specialiter suppetat circa animam separatam, operationes vero organicae nullae possint in ea esse; restat, ut de sola intellectione ac motu locali sit nobis disputandum.

ARTICULUS I

De intellectione animae separatae.

Quod anima separata intelligat, patet tum ratione, quia species intelligibiles in hac vita comparatas retinet (n. **255**), tum ex sacris Litteris, in quibus animae mortuorum inducuntur loquentes et ratiocinantes (5). Sunt tamen de animae separatae intellectione plures quaestiones scitu dignae. Et primo quidem

---

(1) *1 Corinth.*, cap. 13, vers. 8. Cfr. 1 p., quaest. 89, art. 5, ad 1.^{um}.

(2) S. Thom., 1. 2.^{ae}, quaest. 67, art. 42, ad 1.^{um} Cfr, 1 p. quaestio 89, art. 5, ad 1.^{um}

(3) 2.^{a} 2.^{ae}, quaest. 9, art. 1 et 3.

(4) Loc. cit. num. 338.

(5) Vide v. g. *Luc.*, cap. 16, vers. 24 seqq.; *Sapient.*, cap. 5.

I.—An et quo pacto novas species intelligibiles acquirere valeat.

670. **Sententiae variae.** Quod anima separata non solis utatur speciebus in hac vita comparatis, communissima est Philosophorum opinio, qui tamen dissentiunt non parum in assignando modo, quo novas acquirat. Scotistae cum suo Magistro docent species intelligibiles ab anima separata abstrahi ope intellectus agentis ex ipsis objectis cognoscendis. Alii putant, sicut angelorum, ita et animae separatae species effluere ex ejusdem natura, fere sicut naturales proprietates dimanant ab essentia. Alii malunt eas imprimi intellectui ab ipsis objectis, saltem ab immaterialibus. Alii arbitrantur objecta immaterialia uniri posse immediate per se intellectui, qui proinde non egebit speciebus, cum ab ipsis objectis determinetur immediate ad cognitionis actum. Verum communior est doctrina opinantium a Deo, naturae Auctore, infundi animae separatae species intelligibiles: quam tenent cum S. Thoma (1) Ferrariensis, Cajetanus, Suarez (2), Rubius, Conimbricenses (3) aliique.

Ex his sententiis quarta Durandi et Nominalium, negans species esse necessarias, sed statuens cognitionem elici per immediatum concursum objectorum ipsorum communissime rejicitur (4), et hic praetermittenda nobis est.

671. PROPOSITIO 1.ª—**Animae separatae, praeter species intelligibiles in unionis statu, insunt quaedam aliae non quidem ex illius natura affluentes, acquisitas nec ab ipsis objectis cognoscendis impressae, nec ope agentis intellectus ex eisdem abstractae, sed a Deo Auctore naturae, infusae.**

Prima pars *de speciebus in statu separationis acquisitis,* probatur 1.°, quia status separationis naturalis est, et communiter diuturnior, quam unionis, immo perpetuus foret, si non daretur resurrectio carnis. Ergo non videtur conveniens, quod pro breviori statu habeat anima species naturaliter acquisitas, nullas vero pro diuturniori. 2.° Anima separata non videtur fore solitaria, sed societatem et familiaritatem cum aliis animabus esse initura. Ergo novas species acquirat necesse est, saltem ut alias animas cognoscat. 3.° Multi infantes decedunt cum pecato originali, qui nullas potuerunt in hac vita species ex phantasmatis abstrahere, nec ad visionem beatificam aliamve supernaturalem cognitionem admittuntur. Ergo vel carebunt omni prorsus cognitione, quod credibile non est, vel aliis speciebus intelligibilibus donari debebunt.

Secunda pars negans *istas species ex animae natura dimanare,* probatur 1.° Quia id etiam negatur communiter de speciebus angelorum. 2.° Si species in statu separationis ex animae natura effluunt, cur non etiam in statu unionis? Sicut enim unio non impedit quominus potentiae spirituales dimanent, ita non apparet cur impediat, quominus et species dimanent quae in hac hypothesi forent verae proprietates animae.

---

(1) 1 p., quaest. 89, art. 1, ad 3.^{um}, et art. 3.

(2) *De anim.*, lib. 6, cap. 4.

(3) *De anim.*, *De anim. separat.*, disp. 3, art. 5.

(4) Vide illam breviter refutatam in volum. 6.°, num. 339, post relatas sententias.

Tertia pars negans *species ab objectis imprimi*, probatur, quia objecta vel sunt materialia vel immaterialia. Atqui neutra possunt inmittere species in animam separatam. **Non materialia**, tum quia nihil materiale agere potest in immaterialem substantiam; tum quia materialia objecta non possunt efficere nisi materialem entitatem, species autem intelligibiles sunt spirituales. **Non immaterialia**, quia vel imprimerent speciem solum immediate agendo, vel mediate immittendo suum influxum per interjectum spatium. Si primum dicas, animae (saltem pro prima vice, donec speciem haberent acquisitam) non possent cognoscere ullas alias animas vel angelos, qui non essent in eadem prorsus ubicatione, nec possent simul plures animae eamdem substantiam immaterialem intelligere, quia non posset illam simul consistere in diversis locis. Sin alterum eligas, quaeri posset in primis, deturne in loco ubi sunt animae, reale spatium, per quod communicari valeat intellectui influxus et species ab objecto distante? Ac si datur, estne illud materiale, an immateriale. At qualenam, quaeso, foret spatium immateriale? Si autem materiale, quomodo potest in se recipere influxum spiritualem, qui ad cognoscentis intellectum deferatur? Nam influxus continens vel gignens speciem spiritualem, spiritualis sit, oportet. Ergo intelligi nequit, quo pacto immaterialia objecta speciem sui valeant in animae separatae intellectu imprimere (1).

Quarta pars negans *species ab intellectu agente produci*, probatur, quia intellectus agens ad speciem abstrahendam necesse est, ut ab aliquo determinetur (Cfr. n. 286.). Atqui non apparet, a quo possit determinari agens intellectus in anima separata. Non enim determinari potest *a phantasmatibus*, quae non sunt. *Non ab objectis*, quia haec vel sunt materialia, at materialia non possunt quidpiam agere in potentiam spiritualem: vel sunt immaterialia, et neque haec possunt determinare, quia deberent profecto determinare non per meram praesentiam quae nihil ponere potest in intellectu, ut ad actum determinetur, sed per realem actionem; quo autem pacto actionem suam objectum spirituale distans exercere valeat, intelligi nequit, ut modo arguebam in probatione tertiae partis.

Quinta pars asserens *species novas a Deo infundi animae separatae*, probatur 1.° per exclusionem aliarum sententiarum. 2.° Modus operandi sequitur modum essendi. Atqui anima separata est instar formarum per se subsistentium vel angelorum. Ergo modum quoque intelligendi debet habere his similem, videlicet per specierum a Deo infusionem. Itaque anima separata ex speciebus, quas secum detulit ex hac vita, et novis postea infusis a Deo, poterit multarum rerum cognitionem habere (1). Caeterum

---

(1) Cfr. opus fusius, volum. 6.°, num. 540, *Tertia pars.*

672. **Quandonam species istae infundantur a Deo,** incertum est. Dici tamen potest, quae rerum naturas rationesque necessarias repraesentant, eas videri in ipsa separatione animae a corpore infundi, quia rerum istarum cognitio spectat ad naturalem perfectionem animae separatae. Species autem rerum singularium et eventuum mundanorum, quorum cognitio non spectat ad connaturalem animae perfectionem, non est necesse, ut infundantur illico, sed tum possunt infundi, cum Deo placuerit illorum conferre notitiam. Quod si scire cupis

673. **Utrum Deus immediate per se, an vero mediis angelis** infundat animae separatae species; sententia S. Thomae et aliorum quorumdam contra alios est, infundere mediis angelis (2), idque probabile putat Eximius Doctor (3), quia Deus non facit per se immediate, quae potest facere mediis causis secundis.

II.—Quo pacto se intelligat anima separata.

674. Quod anima separata se intellectura sit, dubitari nequit, tum quia nullum aliud objectum adest sibi magis proportionatum, tum quia in illo statu jam non poterit corpore impediri, ne aciem cognitionis in se ipsam convertat. De modo ergo duntaxat est controversia.

Propositio 2.ª **Anima separata videtur suam substantiam cognoscere quidditative, intuitive ac comprehensive, et quidem immediate per se ipsam absque ulla specie.**

Primum probatur, quia nec habet impedimentum corporeae faecis, et sibi praesentissima est, ac summe intelligibilis in se, et procul dubio vehementer cupit se perfecte intelligere sine velamine. Valde autem inconveniens videtur, ut tam rationabile desiderium naturaliter expleri nequeat. Ergo anima debet se quidditative (n. 87) et intuitive (n. 83) cognoscere. Porro debet quoque se comprehendere n. 89), quia cum anima sit substantia limitatae perfectionis, potest certe creato intellectu comprehendi. Aliunde vero rationabile videtur, ut virtus intellectualis servet cum essentia proportionem, ac proinde non sit magis intelligibilis, quam intellectiva, seu non excedat suam virtutem cognoscitivam.

Quod si anima se intuetur, clare quoque cognoscet suas proprietates ac potentias, et quidquid est in se perfectionis et entitatis *naturalis*, ut habitus, species, actus.

Secundum probatur ex analogia. Nam angelicae substantiae se immediate intelligunt sine speciebus. Ergo cum anima separata similem illis habeat modum essendi, debet etiam sic se intelligere. Praeterea anima separata est in se intelligibilis sibique praesentissima, nec impeditur corpore. Ergo videtur non egere speciebus, ut se intelligat. Ideo autem in unionis statu non se immediate intelligit, quia habet modum essendi quasi formae materialis, et ipsa informatione praepeditur, ne possit effectum formae intentionalis praestare ad se intuendum, ac propterea se non cognoscit nisi per alienas species, ut suo loco declaratum est (n. 309).

---

(1) Quaedam objectiones Scotistarum solutae videri queunt in opere fusiori, num. 341.

(2) Vide S. Thom., quaest. *de anim.*, art. 20, ad 11.um. Cfr. 4.°, dist. 5, quaest. 1, art. 3 corp. et ad 2.um, et 5.um

(3) *De anim.*, lib. 2, cap. 7, num. 6.

III.—Quo pacto anima separata cognoscat Deum et alias substantias immateriales.

675. Hic quoque praemittendum est ante omnia *factum ipsum cognitionis*. Anima separata procul dubio cognoscit alias animas, tum quia in statu quoque unionis illas aliquo modo noverat, tum quia se cognoscendo, videtur consonum, ut alia quoque ejusdem ordinis sibique proportionata entia cognoscat, cum potissimum debeat cum iis, ut videtur, societatem inire. Angelos quoque cognoscit anima separata, quia cum se noverit incompletam substantiam, haud difficulter concludere poterit existentiam aliarum substantiarum ejusdem ordinis, quae sint completae, id enim ad ornatum hujus universitatis rerum pertinet. Praeterea multorum angelorum in se actionem experiri potest praesertim in hoc ordine providentiae, in quo Deus inferiores creaturas per superiores regit, et gubernat (1). Deum denique anima vel ex se ipsa, nam novit se creatam esse, non poterit non cognoscere discursu ab effectu ad causam. Itaque controversia est nobis tantum de *modo cognitionis*, et spectato solum naturali cursu.

676. PROPOSITIO 3.ª **Anima separata probabiliter cognoscit alias animas et angelos non per se ipsam solum, sed etiam per species illarum divinitus infusas; Deum vero non intuitive, sed discursu tantum naturaliter cognoscit, quamvis multo perfectius, quam in hac vita.**

Prima pars: *Anima non cognoscit alias animas et angelos solum per se ipsam*, probatur. Animae namque convenit notitia aliarum animarum tam quoad essentiam et existentiam, quam quoad proprietates individuales; idemque proportione sentiendum est de angelis. Atqui anima per suam duntaxat substantiam nequit ejusmodi notitiam assequi. Ergo...

Major patet quoad primum, quia caeterae animae sunt ejusdem secum specificae perfectionis. **Quoad alterum vero probatur**, quia quamvis angeli perfectiores sint, virtus tamen cognoscitiva non ita restringitur ad res aeque vel minus perfectas, quin possit etiam ad perfectiores terminari: quare non est, cur neganda sit animae notitia angelorum tum quoad essentiam, tum quoad individuales proprietates ab animae natura et proprietatibus distinctas.

---

(1) Vide S. Thom., quaest. *de anim.*, art. 17.

Minor patet, quia essentia animae in se cognita potest quidem ducere ad cognitionem aliarum animarum quoad essentiam, non autem quoad individuales proprietates: multoque minus essentiam et proprietates angelorum.

Secunda pars: *Anima cognoscet alias animas et angelos per species divinitus infusas*, tum quia sicut habet modum essendi similem angelis, debet etiam habere modum similem cognoscendi, nempe per species infusas; tum quia non suppetit animae alter modus cognoscendi ex superius dictis (n. 671). Hoc pacto videtur anima separata posse cognoscere angelos intuitive ac quidditative ope infusarum divinitus specierum; alias vero animas etiam comprehensive. Quod si quaeras

Quo pacto animae cum aliis animabus et cum angelis colloquantur, ut eorum sensa cognoscant; quamvis certum sit praedictos spiritus posse sibi invicem suas cognitiones et volitiones aperire, modus tamen prorsus est incertum, qua de re variae sunt Theologorum hypotheses circa locutionem angelorum (1), cui similis putatur esse animarum locutio.

Tertia pars *de cognitione Dei intuitiva*, probabitur in Theodicea, ubi ostenditur Deum naturaliter invisibilem esse omni enti creato.

Quarta pars *de cognitione discursiva*, non eget nova probatione.

Quinta pars *de cognitione Dei multo perfectiore in statu separationis*, probatur. Quia cognitio causae ex effectibus eo perfectior est, quo melius cognoscuntur effectus. Ergo cum anima separata se ipsam et angelos (immo et corporea, ut modo dicetur) longe perfectius cognoscat, quam in unionis statu, necesse est, ut exinde ad praestantiorem Creatoris notitiam perducatur. Praeterea si anima non fuisset ad finem supernaturalem ordinata et evecta, naturalem assecuta fuisset in statu separationis. Atqui naturalis quoque felicitas est in cognitione et amore Dei. Ergo talis debetur naturaliter animae separatae cognitio Dei et amor, ut illam beatam reddere queat, ideoque longe praestantior, quam habetur in hac vita.

IV.—An et quo pacto cognoscat anima separata corpora resque omnes materiales.

677. Propositio 4.ª **Anima separata cognoscit naturas et rationes cunctarum rerum materialium per species a Deo infusas, non tamen omnia individua, neque omnes eventus singulares, loquendo ex natura rei.**

---

(1) Praecipuas relatas vide, si lubet, in opere fusiori, volum. 6.°, num. 344. *Quod si quaeras...*

Prima pars: *Anima cognoscit naturas rerum materialium*, probatur 1.°, quia si cognoscit se et alias animas et angelos, a fortiori virtute pollebit cognoscendi naturas inferiores, nec proinde species intelligibiles deerunt. 2.° Cognitio rerum naturalium per se loquendo magna est animae perfectio ac naturalis illi. Ergo connaturale est, ut non negentur species. 3.° Sine naturalium rerum cognitione anima ne se quidem ipsam perfecte cognosceret. Cum enim sit forma materiae, ut se comprehendat, debet et materiam, ad quam habet forma ordinem, cognoscere; cumque media sit inter formas mere spirituales complete subsistentes et materiales, oportet, ut utrumque extremum attingat, ut se perfectius cognoscat (1). Caeterum Scotistae, cum putent corpora ab anima separata per species ex iisdem abstractas percipi (n. **670**), consequenter negant ab illa naturas omnium rerum cognosci, sed earum duntaxat, quae sufficienter approximatae sunt, ut earum excipi species possint (2).

Disputatur porro, qualis sit ista cognitio rerum corporearum animae separatae conveniens, confusane, an distincta. Confusam et communem, nec certam ac propriam, vult esse S. Thomas (3); alii vero, ut Aegidius, Suarez (4), Conimbricenses et Lossada, opinantur animae separatae inesse cognitionem distinctam et perfectam per proprias species (5).

Secunda pars *de speciebus a Deo infusis*, patet ex superius dictis, quia novas species habere aliter anima separata non potest (n. **671**).

Tertia pars negans *animam ex natura rei cognoscere omnia individua et eventus singulares*. Quae olim in unionis statu cognoverat, poterit etiam cognoscere in statu separationis, quia eorum species retinet. Alia tamen, saltem omnia, non posse animam cognoscere, probatur, quia materialia nulla possunt cognosci nisi per species divinitus infusas. Atqui nec necessarium esse videtur, nec ad naturalem Dei providentiam spectare, ut Deus animae separatae omnium singularium rerum materialium species infundat. Etenim cognitio ejusmodi, per se sumpta, animae necessaria non est ad perfectionem intellectus, sicut est cognitio essentialium rationum, sed generatim inservire solet ad praxim et usum vitae, qui profecto locum non habet in animabus separatis, siquidem non debent cum hominibus conversari, nec materialibus rebus uti.

Dixi *ex natura rei*, quia non repugnat, ut anima multa singularia cognoscat, referentibus angelis et aliis animabus postea ex hac vita migrantibus (6). Notat porro Angelicus species divinitus infusas determinari *in animà separata ad cognitionem singularium ad quae anima habet aliquem ordinem specialem vel inclinationem, sicut ad ea quae patitur, vel ad ea, ad quae afficitur, vel quorum aliquae impressiones et vestigia in ea remanent* (1).

---

(1) Vide Suarez, *de anim.*, lib. 6, cap. 7, n. 5.

(2) Vide Mastrium, *De anim.*, disp. 8, quaest. 2, art. 2, num. 23.

(3) 1 p. quaest. 89, art. 1 et 3; quaest. *de anim.*, art. 18 fin. corp. et art. 20 fin.

(4) *De anim.*, loc. cit. cap. 7, num. 8.

(5) Vide opus fusius, volum. 6.°, num. 346, *Quo modo autem animas...*

(6) Vide S. Thom., 1 p. quaest. 89, art. 8; ad 1.um

De facto autem animae beatae multa singularia cognoscunt ratione beatitudinis ad plenum earum gaudium et juvamen hominum viatorum, qui juvari ab illis valeant. E converso animae damnatae recipiunt singularium cognitionem, quae ad debitum earum supplicium inserviant. Animae vero originali peccato decedentium nullam obtinent singularium cognitionem, quia nulla illis debetur (2).

Et haec quidem valent etiam de cognitione singularium eventuum, qua naturaliter caret anima separata, quia jam est a viventium conversatione segregata et conversatione spiritualium substantiarum conjuncta (3). Unde animae decedentium in originali peccato, nihil de his quae in terra geruntur, sciunt; animae damnatorum, referente diabolo vel aliter disponente Deo, cognoscent quae ad tormentum earum ex divina ordinatione pertinent: animae purgantes, ut credere licet, interdum accipient quarumdam rerum notitiam, quae magis earum intersit. Animae demum beatorum, docente S. Thoma (4) cum S. Gregorio Magno (5), Deum videntes cognoscunt *omnia praesentia*, quae hic apud nos aguntur, intellige quae ad naturalem ordinem et universi perfectionem pertinent (6), non vero quae pertinent vel ad solam liberam voluntatem divinam, ut est electio alicujus, vel ad sanctificationem creaturarum, qualia sunt Ecclesiae mysteria, de quibus sunt revelationes in coelestibus; neque etiam quae pertinent ad solam voluntatem creaturarum, ut cogitationes cordium et orationes nostrae, quae non omnibus innotescunt, sed illis duntaxat, ad quas funduntur; nec demum rationes supernaturales ex divina bonitate sumptae, propter quas multi effectus fiunt: haec enim omnia non naturalis, sed divini ordinis sunt (7). Verbo, circa ea quae beatae animae in Verbo videntes essentiam divinam cognoscunt, haec solet dari formula ex S. Thoma (8) a Ferrariensi, Cajetano, Soto et aliis, ac praeclare explicantur ab Eximio Doctore (9), sanctos videre ex actibus liberis seu contingentibus effectibus omnia, *quae spectant ad cujuscumque statum*, vel magis peculiariter ejus intersunt.

---

(1) Quaest. *de anim.*, art. 20, fin. corp. Cfr. 1 p. quaest. 89, art. 4, fin. corp.

(2) Suarez, loc. cit., num. 3.

(3) S. Thom., 1 p., quaest. 89, art. 4.

(4) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 89, art. 8; 4.° dist. 45, quaest. 3, art. 1, ad 2.um

(5) *Moral.* lib. 12, cap. 14 in princip.

(6) Vide S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 3, cap. 59, ab init., et praesertim paragr. *Si autem praemissa.*

(7) Vide Cajetan., In 1.am part., quaest. 89, art. 8; Suarez, *de anim.*, loc. cit., cap. 7, num. 4.

(8) 4.° dist. 45, quaest. 3, art. 1; dist. 49, quaest. 2, art. 5; 3 p.; quaest. 10, art. 2.

(9) *De Deo, De attributis negativ.*, cap. 28, num. 15 seqq.

V.—Utrum anima separata perfectius intelligat, quam conjuncta.

678. Ex dictis colligitur: 1.° animam separatam plura cognoscere, quia praeter species hic acquisitas aliis utitur divinitus infusis. 2.° Anima se aliasque animas ac Deum multo melius cognoscit. 3.° Idipsum probabiliter dicendum est de angelis et corporeis naturis, quas per species infusas ita intelligere videtur, ut sine proprio discursu simul earum proprietates intelligat. Hinc negant multi Thomistae animam separatam discurrere; affirmant autem plures ex nostris saltem relate ad objecta, quae non potest anima clare et evidenter assequi (1).

ARTICULUS II

De motu locali animae separatae.

Duo quaeri possunt hic: primum, utrum anima separata se movere propria virtute valeat; secundum, utrum possit alia movere.

I.—Utrum anima separata possit se propria virtute movere.

679. **Status quaestionis**. Animae corporibus exutae non sunt immobiles; incredibile enim est eas, naturaliter loquendo, loco ubi homo moritur, perpetuo alligatas esse debere. Certum tamen est, eas non quaquaversus perpetuo vagari, sed intra certa spatia contineri (2), beatas nempe in coelis, caeteras sive in carcere piaculari, sive in limbo, sive in gehenna. Dubitatum vero est, utrum anima moveri possit *propria sua virtute* loco-motiva, quae profecto spiritualis sit, non autem organica. Negant nonnulli Thomistae; communis tamen sententia et Thomistarum et aliorum tenet animam separatam propria virtute spirituali pollere loco movendi, idemque significare voluisse videtur S. Thomas (3), cum scripsit animam Christi Domini nostri descendisse ad inferos eo *genere motus, quo angeli moventur.*

680. PROPOSITIO. **Dubitandum non esse videtur, quin anima separata virtutem habeat se loco movendi**.

Prob. 1.° Virtus haec negari animae non debet sive titulo perfectionis, sive titulo imperfectionis. Ergo...

Prob. antec. *Non titulo perfectionis*, quia angeli perfectiores sunt anima, et nihilominus potentia gaudent se movendi. *Non titulo imperfectionis*, quia brutorum animae imperfectiores sunt, at eamdem possident virtutem. 2.° Inter viventia corporea indicium est magnae imperfectionis, quod sint uni loco affixa. Ergo formae perfectissimae neganda non est virtus sese movendi. 3.° Rationales animae in statu separationis possunt sociatim vivere. Ergo etiam possunt naturaliter mutare locum, ut aliae ad alias accedant (1).—Si jam quaeras

---

(1) Vide Conimbricens. (*De anim., De anim. separat.*, disp. 4, art. 2, *Sed illud etiam*), Arriaga (*De anim.*, disp. 10, sect. 3, subsect. 1, num 39), Complutens. (*De anim.*, disp. 11, sect. 5, numero 6), etc. Cfr. opus fusius volum. 6.°, num. 348.

(2) Cfr. Compend. volum. 3.^{um}, num. 151.

(3) S. Thom., 3 p., quaest. 52, art. 1, ad 3.^{um}

Utrum potentia loco-motiva separatae animae re differat ab ejus voluntate, variae sunt scriptorum sententiae, sicut diximus etiam de potentia loco-motiva organica (n. 53); sed affirmative responderi potest ob rationes similes in illa quaestione allatas (n. 55).

II.—Utrum anima separata virtute naturali polleat ad res alias movendas.

681. Negant plerique Thomistae cum S. Thoma (2), quibus adhaerent e nostra Societate Suarez (3), Martinus del Rio (4) et alii. Affirmant Henricus Gandavensis, Aegidius, Scotus et Scotistae communissime et e nostris quoque multi (5). Res est valde dubia. Ratio S. Thomae est haec: *Manifestum... est, quod cum anima est corpori unita, non movet corpus nisi vivificatum unde si aliquod membrum corporis mortificetur, non obedit animae ad motum localem. Manifestum est autem, quod ab anima separata nullum corpus vivificatur unde nullum corpus obedit ei ad motum localem quantum est de virtute suae naturae supra quam potest aliquid ei conferri virtute divina* (6). Quae sane ratio probabilis est, non tamen rem evincit; quia, ut respondent adversarii, anima separata non solum habet quod si forma, sed etiam quod sit forma per se subsistens instar angelorum. Unde sicut in statu separationis habet modum intelligendi per species divinitus infusas, ita non apparet repugnantia in eo, quod habeat alium modum movendi alias res, non per proprium corpus, quemadmodum movet illas in unionis statu, sed immediate per suam virtutem spiritualem, sicut angeli.

Sententia contraria pluribus argumentis probatur a Siuri (7); verum neque illa sunt demonstrativa (8).

Unum probe nota, pro diversitate istarum sententiarum diversimode explicari, quo pacto interdum appareant hominibus animae defunctorum sub forma sensibili. Qui enim concedunt virtutem propriam naturalem movendi alia corpora, putant animas in ejusmodi apparitionibus, si reales sint, assumere sibi corpora, fere sicut angeli assumunt, et per illa loqui, varieque, manifestari. Si vero apparitiones sint imaginariae, eas ab ipsis animabus causari in phantasia illorum, quibus apparent, videlicet excitando species (1). Qui vero negant virtutem propriam movendi alia corpora, negant consequenter animas posse naturaliter apparere sub sensibili forma. Apparitiones vero, quae interdum contingunt, bifariam explicant; primo dicendo animas ipsas non apparere, sed earum vice angelos, fere sicut apparuerunt angeli in Veteri Testamento nomine Dei, personam illius sustinentes; secundo, dicendo animas ipsas in propria persona apparere, sed sub forma et specie corporea ab angelo formata et mota (2). Quae omnia dubia sunt, ac Deus nobis O. M. concedat certo cognoscere in statu aeternae beatitudinis.

---

(1) Quaedam objectionem solutae videri queunt in volum. 6.°,

(2) 1 p., quaest. 117, art. 4, *de malo*, quaest. 16, art. 2, ad 2.um

(3) *De anim.*, lib. 2, cap. 2, num. 3; *Metaphys.* disp. 35, sect. 6, num. 23.

(4) *Disquisition. magicar.* lib. 2, quaest. 26, sect. 2, circa fin.

(5) Vide v. g. Lossada, *De anim.*, disp. 2, cap. 7, num. 141.

(6) S. Thom., 1 p., quaest. 117, art. 4.

(7) *De novissimis*, tract. 7, cap. 2, num. 24.

(8) Cfr. opus fusius, volum. 6.°, num. 351.

---

(1) Vide Siuri, loc. cit., num. 22-29.
(2) Cfr. S. Thom., 1 p., quaest. 89, art. 8, ad 2.^{um}

* * *

INDEX RERUM

(NUMERUS PAGINAM DESIGNAT)

Abnormalitas impulsiva 387.

Abstractio specierum ex phantasmatis 210 seqq. et 220.

Abstractiva cognitio et intuitiva 63: quaedam dubia circa eam 64, 65. Cfr. vox *Intuitiva.*

Accidentia corporea utrum prius cognoscantur, quam substantia 232 seqq. Accidentis conceptus distinctus ceu formae subjecto inhaerentis eget discursu 234. Accidentium cognitio intellectum manuducit ad essentias corporum cognoscendas 234.

Actio grammaticalis vel metaphysica et praedicamentalis 141.

Actus suos anima cognoscit non directe per essentiam suam, sed reflexe atque indirecte ac per alienas species 227. Actus sensus interni et appetitus sensitivi aliorum cognosci a nostro intellectu non possunt 248, sicut nec actus intellectus et voluntatis 247. Actus liberi: vide vocem *Libertas.* Actus appetitus sensitivi quotuplex 288: actus voluntatis 309: vide vocem *Voluntas.*

Admiratio 298 ejusque objectum quale 298, et quosnam actus comprehendat 299.

Abventitiae ideae ac factitiae 206.

Aestimativa videtur esse facultas instinctus 28. Aestimativa et cogitativa quid differant 110, 113. Quid aestimativa ejusque organum 110: a quo accipiat species intentionales 111. Aestimativae vel cogitativae actus requiruntur ad movendum appetitum sensitivum 286.

Agens intellectus 210 et 216 seqq.: producit species intelligibiles 210 cum concursu efficiente instrumentali phantasmatis 213, 214. Vide vocem *Intellectus agens.*

Alienatio mentis 384. Vide *Amentia.*

Amentia et Amens 384, 385. Cfr. Caput Psychologia abnormalis.

Angeli non possunt a nobis perfecte cognosci in hac vita 224: possunt cognoscere actus sensus interni et appetitus sensitivi, non autem actus intellectus nostri 248. Angeli specifice differunt ab anima rationali 419, et possunt esse causa somniorum 378: possunt etiam assumere corpora 383. An et quo pacto angelos cognoscat anima separata, et cum iisdem colloquatur 481; angeli an possint excitare species 378, et movere voluntatem 315.

Anima sensitiva brutorum animantium est perfectior formis mineralium et animabus vegetalium, non tamen spiritualis, sed dependens a materia in existendo 41, unica in singulis individuis, non creata, sed educta de potentia materiae ac mortalis 41 seqq.: cfr. vox *Animal.* Animae sensitivae operationes ac potentiae vegetales 8, potentiae sensitivae 17 seqq., appetitiva et loco-motiva 29 seqq.: anima brutorum caret intelligentia 21 seqq.

Anima rationalis vel humana 389 seqq. Inest homini anima 390, et quidem unica eaque rationalis, a qua procedit omnis vita non solum intellectualis, sed etiam sensitiva et vegetativa 390 seqq. Utrum anima rationalis contineat formaliter, an vero solum virtute, animam sensitivam et vegetativam 393. Utrum eadem sit in cunctis hominibus anima rationalis, an vero singulae in singulis 394 seqq.; et utrum eadem successive plura corpora informet per metempsychosim 397 seqq. Animarum praevia existentia rejicitur 398, itemque transmigratio in alia corpora 399 seqq. Utrum anima solum valeat hanc numero materiam informare 402. Anima rationalis est substantia essentialiter simplex, et integraliter vel extensive indivisibilis 403 seqq. itemque spiritualis vel immaterialis 407 seqq., et immortalis vel incorruptibilis 411, et quidem natura sua 413 seqq., nec de facto unquam spoliabitur existentia 418. Anima rationalis specifice differt ab angelo 419. Omnes animae rationales ejusdem perfectionis substantialis videntur esse, ac solum diversificari accidentaliter 420. Origo animae humanae 421 seqq.: non procedit ex substantia Dei 422 seqq.. nec generatur a parentibus per traducem 423, sed creatur, non quidem ab angelis nec a parentibus, sed a Deo 424 seqq.; nec derivatur a parentibus quatenus sensitiva, ut postmodum fiat intellectiva per ideae intuitionem 426. Anima rationalis quandonam creetur 429 seqq. Non dantur in homine successive tres animae, vegetalis, sensitiva et rationalis 431, sed una sola quae ab initio conceptionis creatur, et corpori infunditur 431. Anima rationalis cognoscit se cum suis potentiis, non tamen immediate per se ipsam in hac vita 225, sed per actus suos 226. Anima se ipsam facile cognoscit quoad *an est*, valde autem difficulter quoad *quid est* 226 quo sensu dici possit anima se cognoscere habitualiter 226, et per alienas atque a sensibilibus abstractas species 227. Anima humana est forma substantialis corporis 433 seqq., et utrum corpus informet immediate 435, et quatenus rationalis 437. Sedes animae in corpore 438: anima rationalis quoad suam individuam essentiam vel entitatem substantialem est tota in toto corpore atque in qualibet ejus parte 439 seqq., at secundum virtutem non est tota in toto corpore, sed principalius in cerebro et corde 439. Utrum sanguis et humores informentur anima rationali 441, 442. Unio animae rationalis cum corpore 442 seqq. est naturalis et personalis 443, ac substantialis 444, et utrum anima ipsa concurrat ad unionem sui cum corpore 447: vide *Unio*. Animae humanae potentiae sive sensitivae sive intellectivae sive appetitivae, vide voces *Sensus, intellectûs, appetitus, voluntas*

Anima separata 470 seqq. an et qualem mutationem patiatur circa suam entitatem, sive relate ad existentiam, sive relate ad unionem cum corpore, sive relate ad personalitatem 470, an possit dici persona vel semipersona 471. Utrum separationis status sit animae naturalis, an violentus 472: non potest dici proprie violentus, sed connaturalis, quamquam connaturalior videatur status unionis 473, anima separata utrum naturaliter appetat unionem 474. Quaenam accidentia secum deferat anima migrans ex hac vita 475; potentiae organicae nullae sunt formaliter in anima separata, sed tantum virtualiter 475, inorganicae vero cunctae permanent 475, sicut etiam species intelligibiles in hac vita comparatae 475 itemque habitus sive intellectus sive voluntatis 476. An et quo pacto intellectus novas species intelligibiles acquirere valeat 477, utrum Deus immediate per se, an vero mediis angelis species intelligibiles animae separatae infundat 478. Quo pacto intelligat anima separata se ipsam 479, Deum et alias substantias immateriales 480, itemque naturas et rationes cunctarum rerum materialium 482 et individua et eventus singulares hujus mundi 482. Quomodo animae colloquantur cum aliis animabus et cum angelis 481. Utrum anima separata possit se virtute propria movere 484, et an polleat virtute movendi res alias 485.

Animalia vel **Animantia** medium gradum tenent inter viventia: generalis animalium descriptio 6, et partes praecipuae 7, seqq.: Animalium vegetativae operationes 8, generatio 8, nutritio praeter assimilationem, in qua formaliter consistit, complectitur digestionem, absorptionem, circulationem, respirationem, excretiones et secretiones 8, 9. Animalis calor 10; vide vocem *Calor*. Animalium actus et potentiae sensitivae 13 seqq. Utrum animalia sint mera automata, an vero facultate polleant sentiendi 13 seqq.: animalia, saltem perfectiora, praeter externos sensus gaudent etiam internis 18, ac nominatim sensu communi, imaginatione vel phantasia 18, aestimativa et memoria 19; et utrum etiam polleant intelligentia 21 seqq. Animalium instinctus 27 seqq.; vide vocem *Instinctus*. Animalium appetitus 30 seqq.; inest illis appetitus sensitivus 30, et qualemnam cognitionem sequatur 30; appetitus est potentia imperans motum 35, et quo pacto illum determinet, physicane causalitate, an solum morali vel sympathia 38; cfr. vox *Appetitus*. Inest animalibus multiplex motus immanens 31; potentia vero motus formaliter motiva seu motum exsequens ab appetitiva realiter distinguitur 35. Animalis natura et in quo reponenda sit 39 ejus differentia specifica et definitio 39. Anima brutorum est anima vegetali perfectior 40, 41 vide vocem *Anima sensitiva*.

Anthropologica schola criminalis 323 seqq.

Apperceptio. Leibnitzianorum vel conscientia 253.

Appetitus sensitivus et rationalis vel voluntas tribuendus homini 294 seqq.; animali autem solus sensitivus 30, cum careat intelligentia 21. Quo pacto appetitus determinet ad actum potentiam locomotivam 38, quae re ab illo distinguitur 35. Appetitus quid sit generatim 68, innatus et elicitus, sensitivus et rationalis 69; multiplex discrimen inter appetitum innatum et elicitum 69 In quibus conveniat, ac discrepet appetitus a cognitione 69. Duplex actus appetitus, prosecutivus et aversativus 278. Objectum appetitus eliciti est bonum vel malum cognitum pro diversitate actus prosecutivi et aversativi 279: appetitus nequit odisse bonum nec amare malum qua tale 279, nec potest amare objectum penitus indifferens 279, et utrum ac quomodo possit prosequi objectum imposibile 279. Appetitus eliciti actus et causae 280, actus appetitus causatur a bono in genere tantum causae finalis 280; Appetitus eliciti tanta est a cognitione dependentia, ut ne divinitus quidem ferri queat in bonum incognitum 281, et utrum dependeat a cognitione tamquam a causa an vero solum tamquam a conditione 282. Actus appetitus utrum sit qualitas absoluta 284.

Appetitus sensitivus: ejus objectum quale 284. Appetitus sensitivus non movetur nisi objectum proponatur cognitione sensitiva et practica 285 ideoque non movetur externa cognitione nec imaginatione, donec accedat judicium virtuale aestimativae 286; potest tamen interdum moveri per quamdam redundantiam ex cognitione intellectuali 285. Appetitus sensitivi organum 286, 287. Appetitus sensitivus est subjectum passionum 290. Actus appetitus sensitivi, concupiscibilis et irascibilis, ac variae subdivisiones horum 288: utrum concupiscibilis et irascibilis appetitus realiter differant 289 et uter perfectior 289: cfr. vox *Passiones*. Appetitus sensitivus movet voluntatem, non per se ac directe, sed indirecte 291, per *distractionem*, per *contrarietatem* et *ligando rationem* 292. Appetitus sensitivus movetur a voluntate 292, non tamen despotice sed politice 293; caret intrinseca et formali libertate etiam in homine, sed eam tantum denominative atque extrinsece possidet 293 sensitivus utrum sit habituum capax 366.

Appetitus rationalis. Vide vocem *Voluntas*.

Apprehensio simplex 149: vide vocem *Simplex apprehensio*.

Apprehensiva et judicativa de apprehensis virtus intellectus 377.

Assistentiae vel causarum occasionalium systema ad unionem animae cum corpore explicandam 448.

Associatio imaginum 109 reperitur etiam in brutis 110.

Assumere corpora valent angeli 383.

Attentio, quid 181, 182.

Auditus et organum ejus 77 objectum et modus quo afficitur organum 77: auditus eminet inter caeteros sensus ratione utilitatis ad capessendas scientias via disciplinae 75.

Automata 13, motus automatici 33.

Bonald (Vicecomitis de) traditionalismus 260 refutatus 261.

Bonnety traditionalismus 260 rejectus 261.

Bonum cognitum, ut tale, nequit odio haberi 279: bonum apprehensum quomodo influat in appetitionem 280; concurrit in genere causae finalis 280. Bonum minus vel aequale alteri utrum possit voluntas amplecti 307 seqq.

Bruta animantia utrum sint mera automata 13 seqq.; et an sint habitus capacia 367. Vide vocem *Animal*.

Calor animalis 10 et ejus causae 11.

Capilli utrum animentur 441.

Cartesii error circa naturam cognitionis 45 rejicitur 46. Cartesianorum systema de ideis innatis 206, 252 itemque opinio circa unionem animae cum corpore rejicitur 448. Cartesii opinio, bruta animantia esse automata statuentis 13 seqq.

Causa formalis et finalis unionis animae cum corpore 446 et materialis atque efficiens 447. Parentes vere sunt causae prolem generantes 447, 428. Causae phaenomenorum hypnoticorum 456, ac spiritisticorum 468.

Centra nervea 7, 381.

Cerebrum 7, an et quo pacto influat in sensationem 98 et intellectionem 165 seqq., et utrum pondus et forma cerebri ac numerus circumvolutionum servent proportionem cum intelligentia 167 seqq.

Circulatio sanguinis est functio nutritionis in animalibus 9.

Coactio utrum inferri a Deo queat voluntati 348. Libertas a coactione 327.

Cogitativa et aestimativa quid

differant 111. Cogitativa vocatur ratio particularis et intellectus passivus 111; opinio S. Thomae circa ejus naturam 111, a multis putatur, aliis tamen contradicentibus, eam apprehendere singularis substantiae rationem 112: excellentior est, quam aestimativa bruti, sed non videtur formaliter discurrere 112. Cogitativae aut aestimativae actus requiritur ad movendum appetitum sensitivum 286.

Cognitio generatim inspecta 45 seqq. Natura cognitionis 45 actualis cognitio non est dos perenniter ornans animam 46, multoque minus de ejus essentia 46, sed actus accidentalis objectum aliquod manifestans 47, est autem accidens absolutum, non modale 49, et quale subjectum ejus 50, 51. Materialistarum opiniones circa cognitionem 52, 53. Cognitio est actus animae immanens 53 similitudo et imago sui objecti 54, 55, subjectum suum assimilans objecto cognito 56, superatque omnes vires naturae brutae communes 56. Cognitum est in cognoscente, non quidem secundum *esse* reale, sed secundum *esse* intentionale 58. Cognoscentia discriminantur a non cognoscentibus in eo, quod praeter formas proprias possint vitaliter recipere formas etiam aliarum rerum secundum *esse* intentionale 59: unde cognitio per se semper importat perfectionem 59, et cognoscentia perfectiora sunt non cognoscentibus 59. An et qualem immaterialitatem debeat habere principium cognoscens 60 radix cognitionis utrum stet in immaterialitate 61. Cognitionis variae divisiones 62: cognitio intuitiva et abstractiva 63 et quaedam dubia soluta circa hanc divisionem 64. Vide vocem *Intuitiva*. Cognitio quidditativa et non quidditativa 66, comprehensiva et non comprehensiva 67. Cognitionis terminus 129: vide vocem *Verbum*: utrum in omni cognitione producatur verbum 130 seqq. Cognitio licet requirat objectivum concursum vel speciem, 183 seqq., non tamen consistit in sola speciei receptione, sed in mox consecuta vitali et immanenti operatione 197. In cognitionis actu, quamvis indivisibiliter procedat a potentia et specie, vitalitas debetur potentiae, speciei vero ratio similitudinis et imaginis objecti 199, 203. Cognitio in quo conveniat, et in quo discrepet ab appetitione 69. Cognitio nostra incipit a sensibus, et perficitur in intellectu 164, 171, 178, 276. Cognitio utrum sit necessaria ad appetitionem 281, et utrum influat instar causae, an vero instar merae conditionis 282. Cognitio movens appetitum sensitivum debet esse sensitiva, sed practica 285: ideo non sufficit externa sensatio nec imaginatio, sed requiritur cognitio aestimativae 286. Cognitio spiritualis etiam potest movere appetitum sensitivum per quamdam redundantiam 285. Cognitio est potentia directiva motuum animalium 34.

Cognitio intellectualis. Vide vocem *Intellectio*.

Cognitio sensitiva. Vide vocem *Sensatio*.

Cognitum est in cognoscente, non secundum *esse* reale, sed secundum *esse* intentionale 58.

Cognoscentia quo pacto discriminentur a non cognoscentibus 59, sintque illis perfectiora 59.

Cognoscitiva potentia, licet activum et passivum praebeat in suo actu concursum, simpliciter tamen dicenda est passiva, non activa 197, 198. Potentia vel principium cognoscitivum utrum debeat aliqua pollere immaterialitate 60.

Colores atonici et spectrales 75, 76.

Combustiones physiologicae 11.
Comprehensiva cognitio 67.
Conceptus vocatur verbum 132. Conceptus proprius et communis 231.
Concupiscibilis et irascibilis appetitus 288, utrum re differant 289, et uter perfectior 289: concupiscibilis appetitus sex sunt actus 288.
Concursus objecti utrum requiratur ad cognitionem, sive per se sive per species 183 seqq., fere exhibetur per speciem, ut autem objectum per se concurrat, debet intime uniri potentiae 190.
Condillaci sensismus 250 rejectus 251.
Conscientia quid conscientia et quotuplex 70 seqq., psychologica 161; ad quam revocatur cognitio propriae personalitatis 162. Cur, quamvis conscientiae testimonium infallibile sit circa proprium objectum, ratiocinia tamen in illa fundata possint esse dubia et falsa 162.
Consensus voluntatis media excogitata approbantis 312.
Consilium vel **Consultatio** mediorum 311.
Contractilitas musculorum 36, non confundenda cum potentia motiva 37.
Contrarietas: per contrarietatem movet voluntatem appetitus sensitivus, et quomodo 292.
Corpus suum homo quo pacto percipiat, utrum per sensum fundamentalem recentiorum, an per sensum communem experimentaliter 116 seqq. Corpora vel corporeas substantias quo pacto cognoscat intellectus in hac vita 232, et quomodo quibusve speciebus in anima separata 481. Corporis et rei corporeae conceptus 407.
Corruptibile proprie atque improprie sumptum 412.
Cousini (Victoris) ontologismus 270 rejectus 271.
Craniologia utrum probet aliquid contra intellectus humani spiritualitatem 168, 169.
Creatianismus, rejecto generatianismo, stabilitur 423.
Criminalis schola anthropologica 323 seqq.

Debilitas mentalis, 384.
Defatigatio in quo sita sit 37.
Delinquentes nati et instinctivi atque ex occasione 323 seqq.
Delirium et causae illius 383.
Dementia 384, paralytica, senilis, praecox 388, 389. Cfr. vox *Amentia*.
Dentes utrum animentur 441.
Dependentia ab organo vel materia potest esse intrinseca et extrinseca, inchoativa, concomitans et objectiva 164, 172: qualis dependentia intellectus a materia in hac vita 177 seqq., et quanta 179, 180, et quaenam ejus radix 179.
Depersonalisatio, quid 182.
Despotice non movet appetitum voluntas, sed politice 318.
Determinatio est actus liber voluntatis 338.
Determinismus et deterministae 322: determinismus, ejus fundamentis expensis 329 seqq., positive impugnatur 334 seqq.
Deus cognosci a nobis potest in hac vita aliquo modo 223, non tamen quidditative 67, sed valde imperfecte per viam remotionis aut negationis, per viam affirmationis seu per demonstrationem ex rebus creatis et per analogiam et excessum 224: et quomodo cognosci possit ab anima separata naturaliter 480. Deus immittere potest somnia 377, et species infundere novas, ac jam existentes excitare 378, itemque movere voluntatem etiam directe atque immediate 315, et quo sensu dicatur Deus movere voluntatem vel applicare ad primam volitionem finis 316. In Deo cognoscente nobilius ac verius *esse* habent res creatae 59.

Diabolus auctor phaenomenorum hypnoticorum superiorum 464 et spiritismi 468: potest esse causa somniorum 378.
Dicere et **Dictio** relate ad verbum internum mentis 147: dicere et dictio utrum re distinguantur a formali intellectione 148.
Dichotomia 391.
Distractio: quomodo per distractionem appetitus sensitivus voluntatem moveat 292.
Dolor et voluptas 118 in quo formaliter situs sit dolor 120. Causae doloris 119, perceptio objecti dolorem afferentis 119 et displicentia consequens in appetitu 119.
Dominium importatur in libertatis conceptu 328.
Duplicationis personae phaenomena 72, 455.

Electio quid et quale illius objectum 311; quo pacto causetur ab intentione finis 312; et actus eam comitantes 312. In electione mediorum magis elucet, libertas adeo, ut omnis actus liber participet aliquo modo rationem electionis 344, 348.
Electiva dicitur esse perceptio eorum, qui in statu hypnotico versantur 459.
Eliciti actus et imperati 313.
Emanatismus circa originem rationalis animae rejectus 422 seqq.
Embryo. Quandonam animetur embryo 430 seqq. Embryo humanus utrum sit prius animal, quam homo 431. In embryone humano non sunt successive tres animae, sed una duntaxat, eaque rationalis, quae ab initio conceptionis creatur, et infunditur 431.
Energiae mundanae conservatio utrum contrarietur libertati 329.
Ens in tota sua latitudine sumptum est objectum terminativum vel adaequatum intellectus humani 221: estque primum cognitum ab intellectu 244.
Epilepsia 387.
Essentias corporum et rerum materialium quomodo cognoscat intellectus noster in hac vita 237 seqq.: et quomodo in statu animae separatae 481.
Eventus mundanos singulares an et quomodo cognoscat anima separata 483.
Evidentiam principiorum quomodo faciat intellectus agens 220.
Evolutio mentis an egeat traditione, sermone vel magisterio 260 seqq.
Excitamenta musculorum ad motum 37 sensuum adaequata et inadaequata 82.
Excitatio specierum intentionalium 196.
Excretiones animalium 10.
Exhalatio 10.
Experimentalis et rationalis vel scientifica cognitio 63; psychologia 1; historia 3.
Extasis quid differat a raptu 465. Extasis et raptus nihil habent commune cum phaenomenis hypnotismi 465.

Factitiae ideae 206.
Fames 11, ejus sedes, natura et causae 12.
Felicitas: circa felicitatem an et qualis detur libertas 342.
Finalis causalitas boni in appetitionem 280.
Finalitas vel finalis tendentia manifeste splendet in functionibus nutritionis animalium 10.
Finis est objectum formale voluntatis 301, et utrum sit ejus objectum adaequatum ita, ut nequeant media qua talia appeti 302. Finem appetere an valeat appetitus sensitivus 285. Circa finem ultimum an, et qualis detur libertas 342, et an, et quaetenus circa fines particulares 343. Actus voluntatis circa finem 309; circa media 311.
Fletus quid, et ejus causae 300.
Fruitio, voluntatis actus circa finem, quos alios actus comple-

ctatur, et in quonam formaliter consistat 309 versatur solum circa finem, non vero circa media 310.

Fundamentalis sensus quodammodo vocatur tactus 115, sed inter recentiores designatur sensus quidam interior, per quem homo suum corpus perenniter percipit 116, sensus fundamentalis in hoc altero sensu rejicitur 117.

Futura an, et quo pacto cognoscat intellectus 246; nempe necessaria certo, secus vero contingentia et libera, licet haec interdum probabiliter conjicere valeat 247.

Generatianismus circa originem animae 423 rejicitur 424 seqq.

Generatio animalium 8.

Gioberti Vincentii ontologismus 272 rejectus 273.

Günther (Antonius): ejus opinio circa rationalem animam relate ad corpus 391, 433.

Gustus 78 re differt a tactu 78 ejus organum et objectum 78.

Habitus 355 seqq.: ejus generalis descriptio 356; habitus naturales, et supernaturales, per se ac per accidens infusi 356. Definitio habitus soli naturali conveniens 356; duplex munus habitus, alterum in genere causae efficientis, alterum in genere causae formalis 357, habitus realiter distinguitur ab actu, et utrum sit eo perfectior, an imperfectior 357. Vindicatur habitus existentia 358. Habitus causa et radix est in indifferentia vel indeterminatione potentiae ad diversimode operandum 359. Quo pacto habitus concurrant ad actus 360: concurrunt efficienter, et quidem ad ipsam actus substantiam 360. Causa efficiens habituum 361 sunt actus, iique soli 362, conservantur autem a Deo efficienter 362: plerumque multi actus requiruntur ad habitum in statu perfecto producendum, unus tamen sufficit ad habitum scientiae, itemque, si valde intensus sit, ad voluntatis habitum generandum 363; actus vero primi ita disponunt potentiam, et concurrunt ad habitus productionem, ut aliquid reale ac permanens efficiant, quod inde ab initio essentiam habitus in gradu remisso possideat 364. Subjectum vel materialis causa habituum 364, est sola activa potentia, non autem mere passiva 364. voluntas est habituum capax 364, itemque intellectus 365, intellectus speculativus et practicus 365, et appetitus sensitivus 366, et probabilius etiam sensus internus, praesertim imaginatio, in homine 366, utrum autem dentur habitus in potentia loco-motiva, disputatur 367. Utrum bruta animantia sint habitus capacia 367. Habitus essentia 367, seqq.: habitus intellectualis videtur distingui a speciebus 368, sicut etiam habitus voluntatis ab omni specie actuque intellectus 368, 369 ubi quid dicendum de theoria valorum. Habitus sunt augmenti, sive extensivi sive intensivi, et remissionis capaces 370: utrum habitus intendantur solum per actus intensiores 371: quo pacto fiat extensivum habituum augmentum 371. Habitus remittuntur etiam, et corrumpuntur 372, non sola cessatione ab opere nisi forte occasionaliter 372, sed per se contrariis actibus, habitus vero in potentiis sensitivis possunt corrumpi etiam per accidens ex defectu subjecti 372. Habitus quomodo cognoscat anima 227. Habitus principiorum differt ab intellectu agente 366, 217.

Hallucinatio 381, ejus causae 381: prorsus distinguitur a visionibus sanctorum a Deo immissis

382, hallucinatio positiva et negativa 454.

Harmoniae praestabilitae leibnitzianum systema 449.

Homo utrum intelligentia praeditus sit 125 seqq.: vide vocem *Intellectus*. An et quotuplicem appetitum habeat 294 seqq.: vide *Appetitus*. Homo an instinctu ducatur 113; quomodo proprium corpus percipiat 116 seqq.; percipit experimentaliter ope sensus communis 116, non vero perenniter nec antecedenter ad omnem aliam sensationem 117. In homine non dantur succesive tres animae, sed una duntaxat, eaque rationalis, quae inde ab initio conceptionis creatur, et corpori infunditur 430 seqq

Hypnotismus 453 seqq.: ejus brevis descriptio 453. Somno hypnotico dicuntur obnoxii esse plerique homines 453, modi ejusmodi somnum inducendi et stadia varia 454. Ingens hypnoticorum phaenomenorum multitudo 454: phaenomena ordinis vegetativi 454, sensitivi et intellectivi, affectivi et loco motivi 455, itemque phaenomena extraordinaria ordinis immaterialis, quae *occultismum* constituunt 455. An phaenomena hypnotica naturalibus causis sint adscribenda 456, seqq.: variae sententiae 456. Suggestio frecuentissime dicitur esse causa hypnoticorum phaenomenorum 457. Somnus hypnoticus non videtur causas naturales superare, quamvis suis non careat mysteriis 458. Videtur etiam naturaliter explicari posse majus commercium hypnotizati cum hypnotizatore ac facilitas excipiendi hujus suggestiones 459. Phaenomena ordinis vegetativi an possint per naturales causas explicari 459, et quid de phaenomenis ordinis cognoscitivi et loco-motivi 461. Phaenomena superiora, quae *occultismum* sapiunt, non possunt per causas naturales explicari 462. Quare quaedam phaenomena hypnotismi naturalia sunt, quaedam alia praeternaturalia, quae diabolo sunt tribuenda 463. An liceat hypnotismum exercere 464. Utrum hypnotica phaenomena infirmare valeant miraculorum et donorum supernaturalium veritatem 465; nihil habent commune cum hypnotismo miracula.

Hysteria 387.

Ideae adventitiae, factitiae et innatae 206; innatarum idearum assertores 206: nullae sunt in humano intellectu ideae innatae 207 seqq.

Idiotismus 384.

Idolum vocatur terminus productus per actionem sensus interni 133.

Imaginatio et phantasia quid differant 107, ejus realitas, vis et utilitas 108, organum et species requisitae 108: quo pacto excitentur species sensibiles in imaginatione asservatae 109. Imaginationis vis ad mira phaenomena ordinis vegetativi edenda 458, et cur tantopere influere valeat in organismum 457. Imaginationis solum actus non sufficit ad movendum appetitum 286. Imaginatio vel phantasia praebet intellectui materiam 177: imaginationis actus vel phantasma concurrit cum intellectu agente ad producendam speciem intelligibilem 213 seqq. Imaginatio saltem in homine est habituum capax 366.

Imago objecti est cognitio 53, 55. Imaginum vel impressionum persistentia vel imagines consecutivae 77

Imbecillitas 384.

Immateriale *esse* habent res materiales in intellectu cognoscente 59. Immaterialia quomodo cognoscat anima separata 480. Conceptus rei immaterialis vel spiritualis 407.

Immaterialitas, non quidem stricte sumpta pro spiritualitate, sed latius, quatenus importat elevationem quamdam supra communem materiam, est ratio, cur subjectum sit cognoscitivum 60: unde cognoscentium et cognitionis eo est perfectior gradus, quo subjectum majori polleat immaterialitate 61.

Immortale et incorruptibile quid 412. Utrum anima rationalis sit immortalis 413 seqq.

Immortalitas essentialis, naturalis et gratiosa 413.

Imperati et eliciti actus 313.

Imperium utrum sit actus intellectus, an voluntatis 313: utrum judicium practicum per modum imperii requiratur ad determinandam voluntatem 304, 305.

Impossibile objectum an et, quatenus possit appeti 279.

Incorruptibile proprie et improprie sumptum 412.

Independentia quaedam importatur in libertatis conceptu 328.

Indifferens penitus objectum an possit amari 279

Indifferentia quaedam essentialiter requiritur ad libertatem 328, non tamen passiva 345, nec objectiva 346, sed activa 346, nec quae praecise requirat perfectum voluntatis aequilibrium 328. Indifferentia judicii vel objectiva 336, 346: stante; utrum possit voluntas necessitari 350 seqq.

Infinita intellectus noster utrum possit cognoscere 248.

Influxus physicus inter animam et corpus datur 444; non tamen per illum formaliter anima corpori unitur 448.

Ingeniorum varietas quomodo possit explicari in homine 421 et 164.

Inquisitio mediorum 312.

Insania moralis 385.

Insensatae species 20, 29 a quo producantur 111.

Instinctus animalium 27 quid, et circa quae operationum genera versetur 27: utrum detur in homine 113: variae sententiae super natura illius 28, et communior inter veteres probabiliorque eligitur, statuens instinctum situm esse in aestimativa 28: lex naturalis brutorum 29.

Intellectio an formaliter consistat in ipso verbo 141 seqq., et utrum sit qualitas absoluta immediate, an vero mediate per mediam actionem praedicamentalem producta 144 et utrum possit a solo Deo produci 146, atque in alieno subjecto poni 147. An intellectio re distinguatur a *dictione* 147.

Intellectualis cognitio non requiritur ad movendum appetitum sensitivum, interdum tamen movet illum per quamdam redundantiam 285.

Intellectus asseritur homini 125 seqq. et utrum sit facultas inorganica vel spiritualis 163 seqq.: argumenta materialistarum non probat illum materialem esse 165 seqq. Utrum intellectus servet proportionem cum pondere, forma et numero ac profunditate circunvolutionum cerebralium 167. Intellectus, quamvis nequeat in hac vita operari sine aliqua dependentia a materia 171 seqq., est tamen potentia inorganica et spiritualis 173, cum non dependeat a materia intrinsece ac tamquam ab organo, sed extrinsece, inchoative, concomitanter et objective 172 quanta sit haec dependentia a materia, et quaenam ejus radix 177 seqq. Discrimen inter sensum et intellectum 177. Utrum intellectu polleant bruta 21 seqq. Tres sunt operationes intellectus, simplex apprehensio, judicium et ratiocinium vel discursus 149. Intellectus nos in hac vita nequit judicare nisi praecedat simplex apprehensio, et componendo, ac dividendo 150: vide vocem *Judi-*

cium. Intellectus speculativus et practicus 365 re non distinguuntur 365, intellectus vero principiorum differt a synderesi 366. Intellectus virtus apprehensiva et judicativa de apprehensis non semper aeque viget in homine 377. Intellectus utrum sit voluntate perfectior 319 seqq. Intellectus separatus Averrois 395 exploditur 395 seqq. Intellectus intelligendo format verbum 130, et in quibus actibus 133: vide vocem *Verbum*.

Intellectus objectum adaequatum et terminativum vel extensivum et proportionatum vel proprium aut connaturale 221, 237: adaequatum vel extensivum est *ens* in tota sua latitudine, aut etiam *verum* 221. Intellectus noster quomodo cognoscat in vita entia spiritualia vel immaterialia 222, ut Deum 223, angelos 224, et animam cum potentiis 225 actibus, habitibus et speciebus 227. Et utrum intellectus aliqua utatur specie ad reflexam suorum actuum cognitionem 227, 228. Quo pacto cognoscat corpora et substantias quidditatesque rerum materialium in hac vita 230 seqq.: cognoscit quidem materiales substantias conceptu quodammodo proprio 231, non tamen stricte proprio, qui sit absolutus et non connotativus ad accidentia et proprietates 231; non cognoscit prius substantiam qua talem 232, sed prima ejus cognitio videtur ita terminari ad accidentia, ut simul eorum subjectum confuso modo attingat 233. Conceptus distinctus substantiae, ut subjecti, et accidentis, ut formae inhaerentis eget discursu et ratiocinatione 234; cognitio demum specifica substantiae materialis posterior est accidentium cognitione in nostro intellectu 234. Objectum proprium et proportionatum intellectus nostri in hac vita non est ens immateriale, sed quidditas rei materialis vel sensibilis 237 seqq. Utrum singularia materialia cognoscat conceptu proprio ac distincto 240; et utrum directe, an solum indirecte 241 seqq.; et quid prius, singularene, an universale 244 seqq. An et quomodo cognoscat futura, secreta cordis aliorum et actus intellectuales 246, itemque actus sensuum internorum et appetitus sensitivi 248; et infinita et plura ut plura utrum valeat cognoscere 248. Et quomodo cognoscat res, sive maetriales sive immateriales in altera vita, in statu separationis 477, 479 481. Intellectus agens et possibilis 216.

Intellectus agens est causa efficiens specierum intelligibilium 210 seqq. cum instrumentali concursu phantasmatis 213. Quid intellectus agens 216: quo pacto se habeat respectu possibilis et respectu objectorum 217; distinguitur ab habitu principiorum, et cur dicatur semper esse in actu 217: an re distinguatur ab intellectu possibili 218, et uter perfectior 218. Munera et officia intellectus agentis 219 seqq.: illustrat vel illuminat phantasmata 219, abstrahit speciem a phantasmatibus 220, facit objecta intelligibilia in actu 220, facit evidentiam principiorum, et confortat intellectum possibilem 220. Utrum intellectus agens in anima etiam separata species abstrahat 478.

Intellectus possibilis est virtus cognoscitiva 216. Vide vocem *Intellectus*. Intellectus possibilis antequam species ab agente recipiat, est tamquam tabula rasa, in qua nihil est scriptum 216.

Intellectus passivus vocatur cogitativa hominis 111.

Intelligentia utrum insit animalibus 21 seqq.: vide vocem *Animal*. Intelligentiae veri nominis signa 22, 23. Intelligentia utrum servet proportionem cum pondere, forma, numero et profunditate cerebralium circunvolutionum 167.

Intelligibile vel intellectum in actu est intellectus in actu 58. Intelligibiles actu et proxime non sunt res generatim nisi per speciem impressam 191. Ex intelligibili et intellectu an fiat aliquid magis unum, quam ex materia et forma 200. Intelligibilis species 199: vide vocem *Species intelligibilis*.

Intentio quo pacto influat in electionem 312: utrum possit voluntas simul plura intendere 310. Intentio finis vel expresse vel implicite ac virtute importat mediorum appetitionem in communi 311.

Intentionale generatim dicitur quidquid spectat ad cognitionem 57. Intentionale *esse* quod res cognitae habent in cognoscente, nihil reale intrinsecum ponit in ipsis 58.

Intuitiva cognitio et abstractiva 63: utrum ad intuitivam cognitionem requiratur actualis existentia objecti 64: utrum cognitio referens rem absentem vel non existentem, quamvis repraesentet illam ut praesentem, sit intuitiva 64. Cognitio partis in toto utrum sit intuitiva, an abstractiva 64. Quo pacto differant cognitio intuitiva et abstractiva, essentialiterne, an accidentaliter 64. Utrum eadem cognitio potest esse intuitiva et abstractiva; intuitiva cognitio potest esse non solum directa, sed etiam reflexa 64. Intuitiva cognitio etiam requirit species 190.

Irascibilis et concupiscibilis appetitus 288, utrum re differant 289, et uter perfectior 289, actus appetitus irascibilis varii 288.

Judicium est actus intellectus 149. Nequit intellectus judicare nisi componendo et dividendo 151, et quomodo determinetur mens ad judicandum in evidentibus 158 et utrum in probabilibus et obscuris requirat imperium voluntatis 158. Judicium, saltem implicite, importat quamdam reflexionem supra praecedentes apprehensiones 151: omne judicium continet perceptionem identitatis vel discrepantiae terminorum, quae subaudit comparationem eorumdem inter se 151, est actus non voluntatis, sed intellectus 152. Compositio mentalis, quam importat judicium, non est mere apprehensa, sed effecta a mente judicantis 152. Actus judicii est cognoscitivus, qui praedicatum subjecto tribuit modo assertivo ac determinativo: unde judicium affirmativum habet tendentiam adhaesionis vel approbationis, negativum autem recessus ac reprobationis 153 seqq. Utrum judicium sit qualitas simplex 156 seqq. Judicii indifferentia quae dicitur objectiva, 3-6, est radix libertatis 347, et nihilominus, ea stante, potest voluntas necessitari 350 seqq.

Kantii (Emmanuelis) rationalismus transcendentalis refutatur 257: Kantius absurde admittit gradualem quamdam compositionem in anima rationali 403.

Laromiguieri sensismus 250 rejectus 251.

Leibnitzii opinio circa cognitionem 45 rejicitur 46 systema de origine idearum 252: commentum de animabus initio mundi creatis, et in corpusculis inclusis 429 refutatum 432; systema de unione animae cum corpore per quamdam harmoniam praestabilitam 449.

Liberum arbitrium et **Libertas** 327 seqq. Libertas non datur in somnio 377; an sit in appetitu sensitivo libertas 293. Libertatis hostes et vindices 322 seqq., ejusque declaratur descriptio 327. Libertas a coactione et necessitate vel libertas indifferentiae 327, 328: libertas indifferentiae importat dominium actus, indifferentiam et independentiam quamdam 328 libertas contradictionis vel quoad exercitium et contrarietatis vel quoad specificationem 328 physica et moralis 329. Expenduntur argumenta determinismi contra libertatem 329, seqq., et impugnato positive determinismo 334 stabilitur existentia libertatis 335 seqq. Actus liber voluntatis vocatur determinatio 338. Liberi possunt esse actus hominis bifariam, formaliter atque intrinsece, ac denominative et extrinsece 339. In quibusnam actibus sit homo liber 341 seqq.: non in iis qui non possunt dirigi rationis judicio, naturam rei cum adjunctis sufficienter considerantis 342, voluntas circa finem ultimum sub universalis boni vel felicitatis ratione non habet libertatem specificationis, habet tamen exercitii 342; circa fines particulares bonaque concreta gaudet voluntas libertate utraque, nisi forte illa ad ipsam naturalem hominis constitutionem pertineant, vel necessario connexa cum felicitate apprehendantur 343. Circa bonum infinitum, Deum, intuitive cognitum voluntas necessitate gaudet, secus autem si tantum abstractive cognoscatur 343. Libertas evidentius elucet, et perfectius exercetur in mediorum electione 344 et omis actus liber aliquo modo participat rationem electionis 344. Liberi arbitrii vel libertatis natura declaratur 345: non est habitus 345 sed potentia naturalis, eaque indifferens, non indifferentia solum passiva et objectiva 346 sed activa 346 et utrum haec potentia sit voluntas 347: radix quidem libertatis est in intellectu, ipsa tamen formalis libertas est dos voluntatis, a qua solum ratione distinguitur 348. Utrum necessitari queat voluntas, stante judicio indifferenti 349. Liberum arbitrium vel libertas in actu primo recte definitur facultas quae, positis omnibus praerequisitis ad operandum, potest operari et non operari 352 vera hujus definitionis interpretatio 353 seqq.

Ligando rationem movet appetitus indirecte voluntatem 292.

Loco-motiva potentia 34 seqq.: vide vocem *Motrix potentia*.

Lockii (Joannis) sensismus 249, 251, et systema de unione animae cum corpore 448.

Magisterium utile quidem est, non autem necessarium ad mentis evolutionem inchoandam 263.

Malebranchii (Nicolai) ontologismus 269 refutatus 270 seqq., et systema de unione animae cum corpore 448.

Malum cognitum ut tale non potest amari 279.

Materiales res habent *esse* inmateriale in intellectu cognoscente 59: unde *esse* quod habent in Deo cognoscente, est longe nobilius ac verius 59. Materialis rei notio 407. Materialia et corporea quo pacto cognoscat anima separata 481.

Materialismus et **Materialistae** 53, 87, 163 refelluntur 165 seqq.: eorum argumenta non probant rem 165 seqq.

Medium *sub quo*, *quo* et *in quo*, *per quod* et *ex quo* 135. Utrum verbum sit medium *in quo* 136 seqq. Media, qua talia, utrum possint appeti 302. Ubi adsunt plura media, sive aequaliter sive inaequaliter utilia, potest utrumlibet eligere voluntas 307. Media non sunt objectum formale, sed tantum materiale voluntatis 301, 302. Mediorum electio 311 vide vocem *Electio*. Mediorum consultatio et inquisitio 312, consensus vel probatio et usus 312. In mediorum electione magis elucet libertas 344. Media spiritistica eorumque quatuor genera 468.

Melancholia 385.

Memoria sensitiva 113, objectum ejus 113, organum 114 et species 114. Quid differat a reminiscentia 113, felicitas et tenacitas proprietates memoriae 114 quo pacto excitantur species rememorativae 196. Memoria intellectiva 159 admittenda est 160 quae tamen re non distinguitur ab intellectu 160.

Methodus tenenda in Psychologiae tractatione 5.

Motrix potentia triplex 34, utrum potentia formaliter exsequens motum re differat ab appetitu seu potentia motum imperante 35. Motricis potentiae organum 36, et quo pacto ea determinetur ad actum 38. Motrix potentia in anima separata 484.

Motus localis mechanicus et immanens 30, motus naturalis et spontaneus vel voluntarius 31. Insunt animalibus multi motus immanentes 31, motus animales magis proprie sunt motus spontanei vel voluntarii 32. Motus reflexi et automatici 32, 33. Motus primoprimi non sunt liberi 342. Motus localis organum 36.

Movere an et quo pacto possit voluntatem appetitus sensitivus 292, et a quibus moveatur voluntas 314 seqq. Et quo sensu Deus dicatur voluntatem movere vel applicare ad primam finis volitionem 316. Et an voluntas moveat appetitum 292, et alias potentias 318, et quo pacto 318, 319.

Musculi cum nervis et centris sunt organum motus localis 36, egent autem excitamentis, ut se ad motum determinent 37. Muscularis conatus 74 tactu percipitur 78.

Naturales effectus quinam sint 456.

Necessitari utrum voluntas queat, stante indifferentia objectiva 350.

Nerveum systema et nervea centra 7.

Nervi centripeti ac centrifugi 7 cerebrales, rachidiani et sympathici 7, 286.

Neurasthenia 386.

Neuroglia probabile organum appetitus sensitivi 287.

Objectiva indifferentia 336, 346 an ea stante possit voluntas necessitari 350.

Objectivitas sensationis vindicatur 81 seqq.

Objectum. Objecti concursus sive immediate sive media specie an requiratur ad omnem cognitionem 183 seqq.: quamquam fere non praestatur nisi media specie intentionali 190, 91, sqq. 101 vide *Species*. Ut autem per se immeditae concurrat objectum, debet potentiae intime uniri 190. Objectum respectu potentiae se habet non pure terminative, sed motive, qui influit in cognitionem 191. Ab objecto et potentia paritur notitia 185. Objectum sensus quale 81 et quotuplex 81; vide vocem *Sensus*, et *Sensibile*. Objectum intellectus 220 seqq.: vide vocem *Intellectus*. Objectum appetitus generatim 278, et quale objectum appetitus sensitivi 284, vide vocem *Appetitus*. Objectum voluntatis 300 seqq.: vide *Voluntas*.

Occasionalium causarum systema ad animae unionem cum corpore explicandam 448.

Occultismi phaenomena hypnotica 455 causae praeternaturali adscribuntur 462.

Olfactus organum ejus et objectum 78.

Ontologismus generatim inspectus describitur 265, et refutatur 266, ontologismus Malebranchii et asseclarum exponitur, et rejicitur 269 seqq.; ontologismus moderatus aliorum 270, pariter explosus 271: Giobertianus ontologismus 272 etiam respuitur 273.

Operationes vegetativae animalium 8, et sensitivae animalium 18 seqq. Operationum intellectus tria genera 149.

Organum sentiendi 98, appetitus sensitivi, 286.

Origo idearum 248 seqq.; animae humanae 421.

Palingenesia vel metempsychosis 397, rejicitur 398 seqq.

Paranoia, 386.

Parallelismus psycho physicus intes excitationem et sensationem, 91; inter eventus psychicos et somaticos, 451.

Parentes generantes sunt vere causae efficientes unionis animae cum corpore, saltem morales, et utrum etiam physicae 428, 447.

Partes. Utrum omnes humani corporis animentur 438 seqq.

Passiones animi 290, earum divisio 290, subjectum autem non est voluntas, sed appetitus sensitivus 291. Passio quomodo indirecte moveat voluntatem 291, nempe per distractionem per contrarietatem, et ligando rationem 292.

Peccatum ex infirmitate 292.

Perceptio spatialis per visum et tactum 105, 106; temporis et motus 106, electiva videtur esse in quibusdam phaenomenis hypnoticis 459.

Persistentia imaginum vel impressionum 77.

Persona et **Personalitas**. Utrum anima separata dici possit persona 471. Personalitas propria, quam perperam Herbertus Spencer negavit posse a nobis cognosci, cognoscitur per conscientiae testimonium 162, 72.

Phantasia et imaginatio 107, vide vocem *Imaginatio*.

Phantasmatis nomine quid intelligatur 213. Phantasmata intellectionem comitantur 179, 180, ac praebent intellectui materiam, unde et habent se instar objecti, et colori comparantur 172, 178, 164. Phantasmata quo pacto concurrant ad productionem intelligibilis speciei: variae sententiae 213, quarum probabilissima tuetur concursum efficientem instrumentalem 214 seqq.: phantasmata quo pacto illustrentur ab intellectu agente 219, et fiant intelligibilia in actu 220.

Phrenologia an quidpiam probet adversus intellectus et animae spiritualitatem 170.

Physiognomia et craniologia non destruunt animae vel intellectus spiritualitatem 170.

Pili utrum animentur 441.

Platonis ratio explicandi unionem animae cum corpore 433, refutatur 447.

Plura ut plura utrum possit intellectus noster cognoscere 248.

Politice, non despotice, movet voluntas appetitum sensitivum 292.

Potentiae sensitivae ac **cognoscitivae**: vide vocem *Sensus*. Potentia cognoscitiva utrum sit principium adaequatum cognitionis, an vero requirat objectivum concursum 92, 101, 184: vide vocem *Species*; et an debeat habere aliquam immaterialitatem 60. Ex objecto et potentia paritur notitia 185. Potentia cognoscitiva utrum dicenda sit activa, an vero passiva 198. Potentia et species intentionalis utrum sint habendae instar causarum partialium, unam adaequatam constituentium 202 et an dicendae sint principales vel potius instrumentales 203.

Potentia appetitiva: vide vocem *Appetitus*. **Potentia motrix**: vide vocem **Motrix**. **Potentia intellectiva**. Vide *Intellectus*.

Practicum judicium proponens

bonum an et quale debeat esse ad movendam voluntatem 304 seqq.

Praeexistentianismus 397 refutatus 398 seqq.

Praerequisita et requisita quaenam necessaria sint ad libere operandum 352.

Praeternaturales effectus 456, praeternaturales effectus hypnotismi diabolo adscribendi sunt 462, 464, itemque phaenomena spiritismi 469.

Primo primi-motus carent libertate 342.

Pseudologia phantastica, 387.

Psychologia quid 1, objectum ejus 1, dignitas et utilitas et jucunditas 1, 2: arctam habet necessitudinem cum pluribus scientiis naturalibus 4, quarum observationibus et inventis eget 4, et quarum studia, ne aberrent, dirigere debet 5, et sic mutuo se juvant 5. Methodus tenenda in Psychologiae tractatione 5. Psychologia experimentalis et rationalis, 1, 3. Utriusque stadia historica, 3, 4. Animalis 6-43. Psychologia humana seu superior, 47 sqq.

Qualitates sensibiles comites habent vibrationes et undulationes, per quas influxus illarum propagetur 82, 83, qualitatum sensibilium realitas et objectivitas probatur 84 seqq.

Quidditas rei materialis quo pacto cognoscatur ab intellectu nostro in hac vita 238 seqq.: vide vocem *Intellectus objectum*. Quidditas rei materialis vel sensibilis est objectum proprium et proportionatum intellectus in hac vita 238 et quo pacto cognoscatur ab anima separata 481.

Quidditativa cognitio, quae non est confundenda cum cognitione qualicumque quidditatis, declaratur 66. Quidditative cognoscere Deum non possumus in hac vita 67, 223.

Rachidiani bulbi nervi 7.

Radix cognitionis utrum sit in immaterialitate 61, et radix libertatis in judicio intellectus indifferenti 347.

Raptus et extasis quid differant 465, phaenomena raptus nihil habent commune cum hypnoticis phaenomenis 466.

Ratio particularis vocatur cogitativa 111. Ratio superior et inferior 159.

Ratiocinatio quid 158. Ratiocinium formale et virtuale 112.

Rationalismus transcendentalis Kantii 257 refutatur 259.

Raulica (P. Joachimi Ventura) traditionalismus 260 rejectus 261.

Reflexi motus 32.

Relationis functiones 13, 54.

Rememorativae species 101, quomodo excitentur cum sunt sopitae 109, 195.

Reminiscentia quid differat a memoria 113.

Requisita et praerequisita 352.

Respiratio, respiratio animalium 9.

Ridiculum quid 299.

Risus et **Risibilitas** 299, qualis cognitio ridiculi objecti sit necessaria ad movendum risum 300.

Rosminii (P. Antonii) systema de origine idearum 254, rejectum 255 seqq.; Rosminii sensus fundamentalis, 116; doctrina circa originem animae humanae 424 et 426; et commentum de animabus in corpusculis inclusis 429, 432, et modus explicandi animae rationalis cum corpore unionem 450.

Sanguis ejusque partes et officium, sanguis venosus et arterialis et circulatio ejus, 9. Utrum animetur 442.

Scholasticum systema de idearum origine 274, probatur 275.

Scientiae naturales juvant Psychologiam, sed egent ejusdem tutela et directione 5.

Secreta cordis an possit cognoscere intellectus noster vel angelicus 247.

Secretiones animalium 10.

Semipersona an dici possit anima separata 471.

Sensatio generatim sumpta 73, ordinatur in homine et animali ad corporis sustentationem, in homine praeterea ad cognitionem intellectualem 80: est veri nominis cognitio 15, non vero consistit in meris motibus mechanicis 87 seqq.; est operatio organica 94; et certissime brutis inest 13. Sensatio non est mera speciei receptio, sed immanens operatio mox consequens, quae vitalem objecti expresionem continet 94, 197, duplicem respectum importat, alterum ad objectum, quod repraesentat alterum ad subjectum 80. Sensationis mensura a Psycho-Physicae studiosis facta 93. Sensationis objectivitas vindicatur 84 seqq. Sensationis externae undenam specificentur 99: perficiuntur in organis propriis periphaericis simul cum centralibus 98. Sensatio externa non sufficit ad movendum appetitum sensitivum 286. In omni sensatione, etiam externa, producitur terminus aliquis, quamvis non vocetur *verbum*, sed *species expressa*, aut etiam *idolum* si sermo sit de interna sensatione 133. Nec sensatio nec facultas sensitiva existit formaliter in anima separata 97, 475. Sensationis objectum: vide voces *Sensibile* et *Sensus*.

Sensibile triplex, proprium, commune et per accidens, eorumque discrimen 81. Sensibile per accidens non imprimit speciem sui, propria vero et communia imprimunt 82. Sensibilia propria sunt formae quaedam activae seu energiae corporibus inhaerentes, quae jure merito dicuntur qualitates sensibiles 82, excitamenta adaequata et inadaequata 82.

Sensismus Lockii, Condillaci et Laromiguieri exponitur 249, et refutatur 251.

Sensitivae operationes animalium 17 seqq.: vide vocem *Sensationes*. Sensitivae potentiae: videm vocem *Sensus*.

Sensus. Sensibus externis et internis gaudent bruta animantia 17 seqq. Utrum sensus sit potentia pure materialis, cujus actus solis materiae viribus perficiatur 87 seqq. Utrum sensus sit facultas vel potentia inorganica 95 seqq. Sensum inter et intellectum quaenam sint discrimina 177. Sensus an referant objecta, prout sunt in se ipsis 84 seqq. Sensus utrum percipere valeant objectum spirituale 123 et indivisibile vel indivisibiliter existens 124, et negationes ac privationes 76. Sensus nec judicare formaliter, nec discurrere valent 120, nec reflectere 121. Sensus repraesentant et proponunt intellectui suum objectum 178.

Sensus externus 73 quotuplex 73 seqq. Quinque sensus inter se multipliciter comparati 74, et sensus hominis comparati cum belluinis 75; organa et sedes externorum sensuum 98 seqq. Sensus externi singillatim declarantur 75 seqq. Undenam acquirent species sensibiles 91.

Sensus interni 100 seqq. quot 100, et utrum re distinguantur 115, et unde acquirant suas species 102. Sensus communis 102 et sensus intimus 103 sensus communis objectum 103, sensus communis existentia vindicatur 103. Ope sensus communis vel intimi percipitur experimentaliter proprium corpus 116, quin ad hoc requiratur sensus *fundamentalis* quorumdam recentiorum 117. Sensus internus an capax habituum 366.

Sensus fundamentalis 115: vide vocem *Fundamentalis*.

Sensus muscularis 74 tactu percipitur 79.

Sensus divisus et **compositus** Thomistarum in definitione libertatis interpretanda 353.

Separata anima: vide *Anima separata.*

Sermo utilis quidem est ad mentis evolutionem 262 non tamen necessarius absolute, etiam per modum conditionis sine qua non, ad veritates naturalis ordinis, metaphysici vel religiosi 262, 263.

Similitudo objecti, quam prae se fert cognitio, non est naturalis et entitativa 53, sed intentionalis et secundum repraesentationem 56.

Simplex apprehensio suasiva 149: non suasiva non sufficit ad movendam voluntatem 303, suasiva vero sufficit ad actum complacentiae inefficacem, secus ad efficacem 303. Simplex apprehensio an necessario praecedere debeat judicium 150 praecedit quidem, sed non ita ut nec per divinam virtutem judicare valeat intellectus sine praevia distincta apprehensione 150. Utrum efficienter influat in judicium 150, et utrum attingat etiam copulam, atque adeo integram propositionem 151.

Singularia materialia quo pacto cognoscat intellectus 240 seqq.: cognoscit quidem proprio ac distincto conceptu 241 non autem directe 241, nec primo 244, nam directe ac primo cognoscit universale 244 seqq.: singularia immaterialia potest etiam directe cognoscere 240.

Sitis causae ac sedes 11, 12.

Somnambulismus 379: causa phaenomenorum in somnambulismo occurrentium 379. Quo pacto explicari valeant, quae somnambuli in hoc statu faciunt 380.

Somnium quid 376 somniorum varietas 376. In somnio non datur libertas 377. Frequentia et duratio somniorum 378, et causae, sive naturales sive supernaturales 378.

Somnus quid 373: an detur somnus sine somnio 373; causae somni 374. Somnus est phaenomenum vitae animalis 375: somnus vegetalium 375. Somnus naturalis et artificialis 374: somnus hypnoticus 453.

Species intentionalis expressa vel verbum 130: cfr. *Verbum.*

Species impressa 183 seqq.: specierum intentionalium osores 183. Ubicumque objectum ipsum per se nequit potentiam cognoscitivam ad actum suum foecundare ac determinare, requiruntur species intentionales, *vicariae* objecti 184 seqq. et 190 seqq., sive in sensibus externis 94, sive in internis 101, sive in intellectu 187. Species impressa non est id, *quod* potentia cognoscit, nec id, *in quo* prius cognitio res alias intuetur, sed id, *quo* directe atque immediate ipsam rem percipit 190. Per speciem impressam fiunt res actu et proxime cognoscibiles 191. Distinguenda est species impressa ab expressa vel actuali cognitione 197. Species utrum pereant, an vero conserventur post cognitionis actum 195. Species debet intrinsece afficere potentiam, cognitio tamen non consistit in sola speciei receptione, sed in mox consecuta immanenti ac vitali operatione 197. Species impressa quid et qualis 199: species se tenet ex parte objecti 199, est qualitas quaedam realis 199, potentiae cognoscitivae inhaerens 200, et similitudinem gerens objecti 201, potentiam ita determinans et complens ad actum, ut ex utraque unum integrum et adaequatum principium cognitionis existat 202 et species quidem intelligibilis est spiritualis vel immaterialis, sensibilis est materialis seu dependens in *esse* a materia 203. Species impressa non est simpliciter perfectior objecto, licet intelligibilis dici queat perfectior secundum quid, 203. Quid dicendum de duplici *esse*, quod in specie distinguunt multi, videlicet entitativum et repraesentativum 200, et an ratione hujus *esse* repraesentativi ex intellectu et intelligibili fiat magis unum, quam ex materia et forma 200. Utrum speciei insit similitudo formalis, an virtualis duntaxat cum objecto 201. Species et potentia sunt duae partiales causae unam adaequatam integrantes 202, et utrum sint reputandae causae principales, an vero potius instrumentales 203. Species intentionales quomodo cognoscat intellectus noster 227. Species utrum sint extensive divisibiles, sive secundum entitatem subjectivam sive secundum repraesentationem 203: species est extensive divisibilis 204, sensibilis demum est corruptibilis, intelligibilis autem incorruptibilis 204. Species rememorativae 101, 115, 187, 108 quomodo excitentur 196. Species primariae vel inmediate ac derivatae vel discursivae 205. Species discursivae substantiae corporalis admittendae sunt, quae aliquo modo sint propriae, quamvis non in sensu stricto 233. Species insensatae 111.

Specierum intentionalium causa efficiens, sive sensibilium sive intelligibilium seqq. 92, 102, 210 sqq.; vide *Intellectus agens* et *Phantasma*. Species innatae utrum dentur in hac vita 205, seqq. et 253 seqq.

Spencer (Herberti), absurda ejusdem opinio negantis animam posse suam cognoscere personalitatem 162.

Spiritismus 467, ejus historia et descriptio 467, 468: phaenomena spiritistica 467, mediorum genera quatuor 468. Causae phaenomenorum 468 sunt spiritus maligni, non animae damnatorum, sed daemones 468, 469. Ex spiritismo nullum validum depromi potest argumentum adversus catholicam Religionem 469, 470.

Spiritualitas intellectus demonstrata 173 seqq. et voluntatis 297 spiritualitas rationalis animae 407. Vide voces *Anima rationalis* et *Intellectus*.

Spiritus et rei spiritualis conceptus 407.

Status separationis animae. Vide *Anima separata*.

Stigmata sanctorum nihil habent commune cum phaenomenis hypnoticis 454, 460, 466.

Substantia rei materialis quomodo cognoscatur ab intellectu in hac vita 231, 238 seqq.: et utrum prius cognoscatur, quam accidentia 233 seqq. Conceptus distinctus substantiae ut subjecti accidentium eget discursu 234. Substantiae corporeae species minus propriae admittuntur 234. Quomodo corporeas substantias cognoscat anima separata 481.

Suggestio 457; suggestiones hypnoticae variae 454: suggestio pure mentalis 455.

Supernaturales effectus 456.

Sympathicum magnum 7, 80, 287.

Synderesis probabilius non est potentia naturalis, sed habitus facile acquisitus, sicut intellectus principiorum 366.

Systema quid sit in organismo nerveum systema 7 et ganglionare 8. Systemata empirica ad idearum originem explicandam exponuntur et refutantur 249 seqq.: systema Rosminii 254 seqq.: systema rationalismi transcendentalis 257, traditionalismi 260 seqq., ontologismi 265 seqq., et scholasticum expositum, ac probatum 275.

Tactus quid 74, ejus organum

et objectum 78, perceptio spatialis et motus per tactum 106, 107 tactus cur vocetur sensus fundamentalis 115. Utrum tactus sit unus sensus, an multiplex 74, eminet inter alios sensus ratione certitudinis et utilitatis ad scientias via inventionis comparandas 75.

Temporis perceptio 106.

Traditio an necessaria ad veritates ordinis naturalis cognoscendas 260, vel ad evolutionem mentis inchoandam 263.

Traditionalismus expositus et refutatus 260 seqq.

Traducianismus rejectus 423 seqq.

Transcendentalis rationalismus Kanti 257, refutatus 259.

Transmigratio animarum 397, rejicitur 400 seqq.

Trichotomia rejicitur 391.

Ubaghs et aliorum mitiorum traditionalismus 261 rejectus 263, itemque ontologismus 265.

Ungues utrum animentur 441.

Unio animae rationalis cum corpore 442 seqq. est naturalis et personalis 443, ac substantialis 444. Ratio formalis unionis istius 446, causaque finalis materialis et efficiens 446, 447, et utrum ea sit spiritualis, an materialis 446, praeposterae hujusce unionis explicationes 447, Platonis 447, Malebranchii 448, Cartesii et Lockii 448, Leibnitzii 449 et Rosminii 450.

Universale utrum primo cognoscatur ab intellectu nostro in hac vita 244: primum cognitum est quidditas rei materialis vel sensibilis sub aliquo praedicato maxime universali et confuso, qualis est *ens* 244.

Usus mediorum 312 activus et passivus 313.

Velle vel voluntas sumpta pro actu circa finem 309.

Verbum utrum in omni cognitione producatur 131, 132 seqq.: vocatur etiam *species expressa* et *conceptus* et *idea* 130. Verbum datur in omni cognitione creata, saltem si visionem beatificam excipias 131 et seqq., et cur terminus internus conceptus vocetur verbum 133 Verbum definitur 135: est qualitas absoluta 131, et utrum sit id *quod* cognoscitur, vel saltem medium *in quo* 135 seqq.: non est id *quod* primo et proxime cognoscitur in cognitione directa, nec medium *in quo*, sed medium *quo* ipsum objectum immediate in se cognoscitur 137 seqq. Utrum verbum distinguatur a formali intellectione 141 seqq., et utrum producatur immediate, an vero media actione praedicamentali 144 seqq., et utrum a Deo possit produci per absolutam potentiam, et in alieno subjecto poni 146.

Verum fundamentaliter acceptum est intellectus objectum adaequatum vel terminativum 221.

Vesania maniaca depressiva 385.

Virtus intellectus apprehensiva et judicativa de apprehensis 377.

Vis vel coactio utrum a Deo inferri voluntati queat 348.

Visio directa Dei, qualem ontologi comminiscuntur, multis capitibus repugnat 266 seqq. Visiones divinitus immissae non confundendae cum hallucinationibus 382, nec cum phaenomenis hypnoticis 465. Visiones intellectuales, imaginariae ac corporales 382.

Visus eminet inter sensus ratione claritatis 74 et certitudinis ac perfectionis utilitatisque ad comparandas scientias via inventionis 75. Describitur visus 75 ejusque organum 75, objectum 76 et impressiones 76.

Voluntas est potentia inorganica 297, et praecipuae illius differentiae ab appetitu sensitivo, 296. Voluntas non est subjectum passionum 290: movetur ab appetitu sensitivo, non directe ac per se, sed indirecte 291. Voluntatis objectum quodnam generatim 301: an finis ita sit objectum adaequatum voluntatis, ut haec non possit appetere media, qua talia 302: quomodo proponi debeat objectum voluntati 303 seqq., an requiratur judicium practicum 304, et quale 305. Voluntas utrum possit appetere bonum, quod sibi non proponatur ut majus vel melius 307 seqq. Voluntatis actus varii 309, circa finem 309, et circa media. Voluntas utrum possit simul plura intendere, 310. Voluntatis objectum formale est finis, media sunt objecta duntaxat materialia 302. Voluntas quo pacto moveri queat ad actum ab aliis potentiis, a corporibus, ab angelis a Deo, 315 et an et quo pacto moveatur ad primum actum in quavis serie 316 seqq. An et quo pacto caeteras potentias moveat 318, et utrum in genere causae efficientis 319. Voluntas secundum quid, et ratione habita particularium considerationum, intellectum partim excedit in perfectione, partim ab illo exceditur, 319, 330, simpliciter tamen, omnibus perpensis, est minus perfecta, quam intellectus 321. Voluntatis libertas: vide vocem *Libertas*.

Voluptas et dolor 118: in quo sita sit formaliter 119, 120.

INDEX AUCTORUM

Aa (van der) 153 161 213 217 241 286 304 375.
Abulensis 233.
Aegidius 482 485.
Aguirre 134.
Alamanni 140 156 248 301.
Albertus Magnus 92 112 202 430.
Algazel 113.
Alapide 432.
Alcinous 433.
Alimena 325.
Allan-Kardec 397 408 470.
Anastasius presbyter 428.
Anselmus (Sanctus) 54 131 142 143 184 185 314 329 423.
Aphrodisius 202.
Apollinaris 391 427 428.
Ariminensis Gregorius 183 280 281.
Aristoteles 3 11 19 56 74 75 82 101 107 109 112 134 172 184 185 199 200 201 202 207 216 217 219 235 240 244 245 246 292 299 308 317 327 355 363 365 374 376 393 394 405 411 430 438.
Arriaga 76 120 184 218 233 286 301 349 371 430 484.
Arrubal 304.
Athanasius (Sanctus) 443.
Augustinus (Sanctus) 3 16 18 19 40 54 59 73 96 100 103 114 126 131 133 135 142 143 159 184 185 215 225 229 269 277 278 290 310 312 314 315 340 409 421 422 424 439 465 469 474.
Avempace 206.
Averroes 3 112 200 206 391 394 395 433.
Avicenna 112 113 159 177 179 206 207 210 391.
Azor 289 303 304 314 378.

Backle 332.
Baco a Verulamio 40.
Bacon 183.
Bain 323 451.
Baldelli 383.
Balmes 40 250.
Balzer 391 434 435.
Bañez 60 202.
Barbedette 430.
Beaunis 119.
Bebian 265.
Becanus 124.
Bellarminus (Beatus) 304 305 306 334 346 350 427,
Bellynck 375 379.

Benedictis 153.
Benedictus XIV 382 383 460 465 466.
Bencke 72.
Beraza 327 340.
Bernheim 454.
Berthier 265.
Biel 183 280 367 372.
Billuart 350 353.
Boecius 156.
Boedder 117 153 286 304.
Bois-Reymond 56 89 163 330.
Bon (Le) 442.
Bonald 260 261 433.
Bonaventura (Sanctus) 184 185 269 281 314 345 403 416 424 425 441.
Bonnety 260 261 262.
Bonniot 90 118 458 463.
Bouillier 45 270.
Boyd-Barret 838.
Braid 453.
Branchereau 266 270.
Broca 114.
Broussais 87 163.
Bucceroni 286.
Büchner 53 87 163 323 408.
Buridanus Petrus 361.
Busse 461.

Cabanis 53 87 163.
Cajetanus 35 59 60 76 139 200 202 219 233 240 293 302 314 316 319 436 437 471 477 483.
Calepinus Ambrosius 483.
Calvinus 350.
Camper 170.
Campos Pulido 325.
Capreolus 35 124 202 219 240.
Carus Lucrecius 52 87 163.
Case 84
Cassiodorus 423.
Castelein 286 458 463.
Castellá 286.
Castropalau 378.
Cavellus 130.
Charcot 454.
Chrysostomus (Sanctus) 290 460.
Clausius 6.
Clifford 451.
Coconnier 458 463.
Colin 442.
Collins 322 331.
Comte 322 324.
Complutenses 35 148 156 160 161 179 185 200 202 205 216 219 235 304 484.
Compton 184 213 289 430.
Condillac 115 125 127 153 250 251.
Conimbricenses 24 28 93 115 120 135 141 156 185 197 202 203 205 217 231 233 241 244 289 319 374 375 376 430 474 477 482 484.
Conradus 316 361.
Cornely 414.
Cornoldi 430.
Courmont 287.
Cousin 151 270 271.
Cuello Calon 325.
Cuevas Fernández 15 42 153.
Cuvier 21.
Cyon. 79.

Damiron 151 270.
Darwin 28.
Dehove 66 84.
Delare 435.
De Maria 241.
Democritus 52 87 163 205.
Denzinger 399 408 413 422 427 434.
Descartes 13 14 45 69 152 206 252 253 286 294 433 438 448.
Destutt de Tracy 125.
Devièrre 391.
Deza 124.
Diderot 322.
Diogenes 438.
Domet de Vorges 86.
Dominguez 164.
Donadiu 463.
Donat 452.
Dougall (Mac) 92.
Dühring 163.
Dupasquier 156 160 184.
Durandus 183 193 282 347 360 361 441 477.
Durham 374.

Eadmerus 423.
Ehrle (Em. Card.) 391.
Eisler 73.
Ekkard 397.
Empedocles 163 197 400.
Encinas 381.
Epicurus 87 163 438.
Eucherius Lugdunensis 423.

Fabre J. H. 21.
Fabre (Sans Fiel) 266 270.
Farges 90 406 430.
Faustus Rhegiensis 407.
Fechner 90 451.
Fenelon 266 270.
Ferrariensis 35 60 136 140 202 233 437 474 477 483.
Ferraris 378 379.
Ferri 323 332.
Ferrière 169 406.
Feuerbach 87 167 169.
Fischer 331.
Flammarion 397.
Flourens 21 298.
Fonseca 115 142 153 231 282 303 304 314 317 371.
Fonsegrive 307.
Fouillée 125 323 335.
Fox 467.
Franco 456.
Frédault 377.
Frémy 169.
Fröbes 73 85 90 93 100 105 107 109 114 125 153 159 161 166 178 179 182 236 264 375 376 382 458.
Frohschammer 424.
Fulgentius (Sanctus) 423.

Gabriel 62 412.
Gall 170.
Gandavensis 183 202 280 412 485.
Garnier 379.
Garofalo 333.
Gassendus 40.
Gay 458 463.
Geissel 391 393.
Gemelli 73.
Genicot 463.
Gennadius 409.
Genuensis 358.
Gerando (De) 265.
Gerson 281.
Geyser 153.
Ginneken (Van) 181.
Gioberti 266 272 273.
Gonzalez (Card.) 125 401.
Gonzalez Thyrsus 474.
Goudin 156 221.
Granado 301 304.
Grand (Le) 45 183 206.
Gratiolet 28.
Gravina 382.
Gregorius (Sanctus) 208 409 421 423 469 483.
Gregorius (Sanctus Nyssenus) 290 423 427 428.
Guermomprez 463.
Guibert 114.
Günther 391 393 434 435.

Hack Tuk 461.
Haeckel 7 163.
Halensis 115 347.
Haller 374.
Hamel 325.
Hartley 53 163 322 374.
Hartmann 411.
Héfélé 391 435.
Helmont (Van) 438.
Helvetius 163 322 331.
Henricus 314.
Herbart 72.
Herbertz 73.
Heredia 467.
Hermes 424.
Herwaeus 231 232.
Herzen 323.
Hettinger 408.
Hieronymus (Sanctus) 188 421 424 427.
Hobbes 87 163 322 339.
Hoffding 321.
Holbach (De) 163 322.
Hontheim 238.
Hume 125 322.
Hurtado 64 142 144 156 184 233 286 289 301 367 430 472.
Huxley 14 451.

Ibero 35 182.
Irenaeus (Sanctus) 143.
Isidorus Hispalensis (Sanctus) 423.
Izquierdo 120 144.

Jacobi 149.
Jacques 270.
Jamblicus 397.
James Constantinus 463.
James William 55.
Jansen 391.
Jansenius 322 334 350.
Javellus 202 231.
Joannes a Sancto Thoma 28 64 65 130 133 136 141 148 153 156 160 201 205 235 319 350.
Joannes Constantinopolitanus 397.

Joannes Damascenus (Sanctus) 131 142 185 290 308 408.
Joannes Thessalonicensis 408.
Joly 21.
Jouffroy 270.
Jungmann 286.

Kant 72 129 149 151 206 257 258 259 260 273 403.
Katschthaler 414.
Kircher 458.
Kirchmann 331.
Klee 424.
Klimke 164.
Kohlschutter 374.
Külpe 3.
Kuno 331.

Lafontaine 453.
Lahousse 153 241.
Lamark 28.
Lamius 266.
Lamettrie 87 163 322.
Lancisius 438.
Lange 164.
Laromigiére 250 251.
Lehmen-Bessmer 29.
Lehmkhul 463.
Lelong 463.
Leibnitz 45 48 72 206 252 253 307 333 424 429 432 449 450.
Leo I 398 399 422 425.
Leo X 395 412 426 434.
Leroux 398.
Leroy 21 286.
Lessius 378 409 474.
Leucippus 52 87 163.
Liberatore 241 395 430.
Lindworsky 35 66 126 153 159 161 162 182 212 230 286 369 375 376 458.
Liszt 325 326.
Lock 125 136 153 249 250 251 448.
Loewy 381.
Lombardus Petrus 425.
Lombroso 323 333 334.
Longet 33.
Lossada 38 50 65 74 76 81 101 109 119 120 142 144 153 156 158 183 187 192 196 203 205 218 228 233 279 282 283 289 301 303 304 307 312 313 314 319 321 350 358 360 361 363 367 368 371 471 482 485.
Löwenthal 163.
Lugo 66 120 144 298 367.
Luycks 403.

Macarius (Sanctus) 428.
Maignanus 40.
Malebranche 13 152 266 269 270 271 274 438 448.
Malpartidensis 141 156 202 286 289.
Maluquer 77.
Maréchal 66.
Maritain 130.
Martin 286.
Martin del Río 378 379 382 383 485.
Martínez del Prado 65 76 134 139 140 143 148 202 319 437.
Martinon 142 144.
Martorell 286.
Mastrius 64 65 120 148 156 160 205 286 301 303 319 430 471 475 482.
Matharan 463.
Maudsley 88.
Mauri (Silvester) 115 187 213 217 317 472 474.
Maury 375 377 370 380.
Mayr 144.
Mazella 215 424.
Medina 282 305 314 316 343.
Mendive 73 161 241 286 304.
Mercier (Card.) 104 109 238.
Méric 458 463.
Mesmer 456.
Michel 391.
Milne-Edwards 21 298 374 375 442.
Mill Stuart 322.
Milon Cajetanus 270.
Mir Joan 458 463.
Mirabaud 163.
Moigno 460.
Moleschott 87 163 167 169 408.
Molina 60 141 153 185 282 314 368 371.
Monakow 114.
Moreau de la Sarthe 377.
Morgan 87.
Morselli 332.
Müller J. 99.
Murillo 334.

Neumann 169.
Nemesius 397.

Obejero 463.
Ockam 62 183 367 372 412.
Oesterreich K. 55 84 88 164.
Oischinger 424.
Olivi 433 435.
Origenes 397.
Oviedo 120 144 183 286 289 303 312 472.

Palmieri 95 96 97 153 161 184 193 211 241 414 444.
Paludanus 124 281.
Pamphilo 421.
Pereira 13 115 378.
Perrone 286.
Pestolazza 450.
Petavius 334.
Peyronié 438.
Pezzadi 397.
Pflüger 374.
Philippus a Sma. Trinitate 179 221.
Philon 391 397.
Philoponus 240 391.
Piat 333.
Pius IX 391 393 434 435.
Plato 94 177 178 197 205 207 252 327 390 397 411 429 433 438 447 449.
Plotinus 94 411.
Plutarchus 438.
Pomponatius 411.
Pontius 183 286 303.
Porphyrius 397.
Portalié 463.
Preyer 374.
Priestley 53 163.
Prins 324 326 327.
Puysegur 456.
Pythagoras 397 400 411.

Quatrefages 21.
Quetelet 332.
Quiros 153 184 314 474.

Rabanus Maurus 423.
Ramière 286.
Raulica Ventura 260 261.
Raynaud 397 398 430 474.
Reid 150.
Reidiani 53 151.
Rhodes 120 142 144 156 218 221 375.
Ribot 323.
Richardus 124 231 232.
Richet 14 323.
Rickaby 259.
Ripalda 304.
Rosmini 14 46 116 206 252 254 255 256 266 424 429 430 450.
Roure 467.
Roy (Le) 286.
Rubius 45 112 120 124 142 144 147 156 160 202 203 213 217 228 231 233 282 472 474 477.
Rufinus 423.
Ruiz de Montoya 60 62 144 156 304 312.

Salas 282 289 304 312 314 343.
Saldaña 326.
Salis Seewis 56 88.
Salmanticenses 350.
Sanchez 378.
San Severino 149.
Schanz-Koch 21 88.
Schiffini 241 304.
Schlöss H. 384.
Schopenhauer 163 164 323.
Scotus 66 73 142 147 178 184 185 190 213 218 221 226 231 241 244 303 319 412 416 430 477 485.
Sergueyeff 374 375.
St. Hilaire Isid. Geoffroy de 21.
Sicard 265.
Simplicius 94 433.
Siurî 485 486.
Soarez lusitanus 64 65 142 144 312 349 375 472.
Socrates 411.
Sommer 374.
Soncinas 202 231 282.
Soto 474 483.
Spencer 28 88 162 163 322.
Spinoza 322 331 451.
Spurzheim 170.
Stoici 205 322 438.
Strauss 411.
Suarez 28 35 38 54 55 62 73 74 81 112 120 121 124 128 139 142 144 147 148 151 153 155 156 159 160 179 183 184 185 187 188 198 201 202 203 210 213 214 215 218 219 223 224 225 228 233 234 235 247 248 281 282 286 288 289 290 298 301 302 303 304 307 309 310 311 312 314 315 318 319 334

342 343 344 346 349 350 354 355 357 360 361 363 365 367 368 371 376 377 378 382 383 414 417 430 465 471 472 474 477 479 482 483 485.
Surbled 21 287 375.
Swedemborg 467.
Switalski 55.
Sylvius 153 161 248 316.

Taine 46 53 56 73 85 88 390 451.
Tarde 326.
Tellez 142 144 213.
Tennemann 125.
Tepe 414.
Tertullianus 407 408 424 428.
Themistius 433.
Thomas (Sanctus) 3 19 24 28 34 35 36 41 42 45 55 59 60 63 68 69 74 75 80 81 82 85 86 87 89 93 94 96 101 103 107 108 109 110 111 112 113 114 115 119 120 122 124 127 128 131 132 133 134 135 136 137 140 141 148 151 156 159 160 161 166 172 173 175 178 179 183 185 187 190 192 197 198 199 200 201 202 205 206 207 208 209 210 211 212 213 214 215 217 218 219 221 225 226 227 229 230 232 233 234 235 237 238 239 240 241 243 246 247 248 249 263 264 267 269 275 278 280 281 283 284 285 286 287 288 289 290 291 292 293 295 296 297 298 301 302 303 304 306 308 309 310 311 312 313 314 315 316 317 318 319 320 321 328 329 335 337 338 339 340 343 345 346 347 348 349 350 355 356 357 359 360 361 362 363 365 366 367 368 371 377 378 390 392 396 397 398 399 402 405 416 417 418 419 420 422 423 424 425 426 427 428 429 433 434 435 436 437 438 439 440 444 445 446 447 448 460 461 465 469 472 474 475 476 477 479 480 482 483 484 485 486.
Thomassinius 266.
Thyrraeus 386.
Toland 163 322.
Toletus 35 59 60 94 104 112 120 124 142 144 173 184 201 217 225 229 233 234 289 371.
Tongiorgi 40 46 116 153 161 241 264 265 286 304.
Topinard 167 169.
Trismegistus 411.
Tullius Cicero 322.
Tyndall 53 56 87 88 89 163.

Ubaghs 261 266.
Ugarte de Ercilla 253 467.
Ulloa 284.

Vacant 463.
Valentia 115 124 153 281 288 289 290 301 303 304 310 312 314 316 317 343 355 361 414.
Vallet 286.
Vazquez 76 120 142 144 147 151 153 156 282 298 301 303 306 312 314 316 317 361 371.
Veilsse 265.
Veneto 115.
Venturoli 463.
Villa Guido 73.
Villada 463.
Virchow 163.
Vogt 53 163 408.

Wasmann 21 24 26.
Weber 90 93.
Weis 381.
Wicleff 322 334.
Wiener 53.
Willems 72 73 180.
Wolf 45 46 253.
Wundt 28 90.

Yold 451.

Zamboni 275.
Zuntz 381.

150.2
Ur 7
22914

URRABURU, John, S.J.

AUTHOR

Compend. Philosophiae Scholasticae

TITLE Vol.4 Psychologia

DATE DUE	BORROWER'S NAME
	Velez
	STORAGE - CBPL

22914